EXAMEN RECITATIONVM D. NICOLAI SELNECCERI DE LIBRO CONCORDIAE,

Admonitionem Neustadianam luculenter firmantium.

In gratiam doctrinæ Christianæ Studiosorum in Academia Lipsica, & aliorum piæ Concordiæ amantium, collectum

A

Iohanne Balęo, Theologiæ Studioso.

Zacharias Ursin. D. authore.

PSAL. 9.

In laqueo isto quem absconderunt, captus est pes eorum.



Johannis Heidfeldii.

NEAPOLI NEMETVM DESCRIPTVM

TYPIS MATTHAEI HARNISCH.

cIↃ. IↃ. XXCII.

Laetatur cor quaerentium Dominum.

DE RECITATIONIBVS D. NICOLAI Selnecceri Epigramma.

Sic iterum recita Selnecre: & protinus omnes
E manibus calamos hostibus eripies.
Nam respondendi tollit tua cura laborem,
Dum solidè, nostri quæ posuêre, probas.
Dictum est à nostris, te falsa docere tuósq;
Hoc tu confirmas quótq; quibúsq; modis?
Ostensum est etiam vi vos & fraudibus vsos:
Verum hoc, pars libri prima, fuisse docet.
Ergo dignus eras, me iudice, Nectare Græco;
Atq; hoc, si saperet, bibliopola daret.

Aliud.

Partes tui libri duæ sunt, Selnecre:
Narratio atq; pulcra confirmatio.
Illa doces fuisse agendi in omnibus
Talem modum, qualem Neapolis suis
Casmiriana pinxit ante paginis:
Hac falsitatem dogmatis tui probas,
Nostriq; veritatem, ita euidenter, vt,
Vtranq; qui sese intuerier neget:
Vel sit profanus, vel lubens cæcutiat.

Aliud.

α. Εἰπέ μοι ἀνθολογεῖν τί σοι ἐστὶν Σέλνεκρε. β. πῇ μὲν
ἐστὶ τὸ ἀντιλογεῖν, πῇ δὲ ἀειλογέειν.

Aliud.

α. Ἀντιλογεῖν τε ψευδολογεῖν τε ἀειλογέειν τε
ταῦτα τί σοι ἐστὶν Σέλνεκρε. β. ἀνθολογεῖν.

OPTIMARVM ARTIVM ET DOCTRINAE CHRISTIANAE STVDIOſis in Academia Lipſica S. D.

PVLCRE Pſal.37. de bona cauſſa canit: Educet ſicut lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem: vt de mala & iniuſta 1. Sam. 2. dicitur, Impij conticeſcent in tenebris. Creſcentibus enim diſputationibus, bona cauſſa firmior fit, & veritas euidentior, mala contrà languidior, abſurditate & falſitate magis magíſque ſe prodente. Vtriuſque rei ratio, etiam de veritate & falſitate in rebus humanis olim à viris ſapientibus eſt animaduerſa, & elegantiſſimis verſiculis ab Euripide expreſſa in Phœniſſ.

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ
κοὐ ποικίλων δεῖτ' ἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων.
ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν. ὁ δ' ἄδικος λόγος
νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Veritatis oratio, quia ſimplex eſt, varijs interpretationibus non indiget, ſed falſa ſententia, quia ſubinde vacillat, ideò & noua quotidie fulciendæ ei adminicula quęruntur, inueſtigantúrque ſolicitè omnia, quæ medicinam illi facere poſſint. Sed parum proficitur. Dum enim falſa falſis ſtabiliuntur, fit vt inter concertandum, mendaciorum defenſores, ab aduerſarijs peritis, vel ad principiorum negationem, vel ad contradictionem, vel

denique ad principij, vt loquuntur Scholæ, petitionem adigantur. Exemplum huius rei valde illuſtre eſt cauſſa Sacramentaria & Vbiquitaria; Ac præ reliquis eius defenſoribus, Nicolaus quidam Selneccerus, cùm in alijs ſuis centonibus, tum in primis in ſuis de Libro Concordiæ recitationibus. Refutare enim in illis voluit librum Admonitionis Neoſtadianæ; Sed qui vtrunq; ſcriptum ſine præiudicio contulerit, facilè videbit, eum quæ refutare voluit, ita confirmaſſe, quaſi ad hoc ipſum conductus eſſet. Admonitio queritur, noſtros iniuſtè condemnari in libro Concordiæ Bergenſis, duabus potiſſimum de cauſſis: tum quòd doctrina noſtra vera, aduerſariorum falſa ſit; tum quòd modus decernendi & condemnandi à patribus Bergenſibus introductus, planè cum diuinis & humanis legibus pugnet. Vtrunque querelæ firmamentum tam apertè, tam ſolidè ſtabilitur à Selneccero, vt, qui dogmatum Bergenſium vanitatem, & actionum iniuſtitiam denuò probare, vel demonſtrare alijs velit, is lucem Soli fœnerari videatur. Legat mihi aliquis probationes doctrinæ Selnecceri, legat eiuſdem Doctoris reſponſiones: Faxo dicet, illis nihil inanius eſſe, his nihil futilius. Præcipuas obiectiones præterit: quæ affert, ea partim inter ſe pugnant, in his ipſis recitationibus, partim cum ſcriptis ipſius prioribus, partim cum ſociorum, Brentij & Schmidlini libris. Negat Vbiquitatem abſolutam in omnibus locis; Negat Philippum ſenſiſſe cum Sacramentarijs; Negat alia, quorum contraria Schmidelinus διαῤῥήδην vera eſſe contendit. Actionum iniuſtitiam, breuiter & ſtrictim à ~~nobis~~ adumbratam, viuis quaſi coloribus depingit, prolixè exponens, quàm multa multi mouerint contra ſubſcriptionem, ad quæ tam frigida & iniqua reſponſa data ſunt, vt vel pueri intelligant, pleroſq; eorum, qui

noſtris

qui acquieuerunt ijs, vel metus, vel inscitiæ ratione acquieuisse. Si autem hæc tantùm in vno territorio sunt facta, quæ à causse defensore recitantur: facilè æstimari potest, quid alibi acciderit, & quid ij dicturi sint, qui non alterius partis excusationem, sed rerum veritatem in narrando spectabunt & sequentur. His de caussis iudicarunt nostri, se ἀχαριστίας crimen effugere vix posse, nisi aliquis D. Superintendenti Selneccero, pro opera tam laboriosè & commodè ipsis nauata, gratias agat. Optarim equidem, laborem hunc aliquẽ suscepisse ex disertioribus, & magis in hoc genere exercitatis. Quia verò intellexi, grauioribus eos occupationibus distineri, rogatu amicorum, opellam meam qualemcunque caussæ communi deesse nolui, & honori D. Superintendentis & Theologiæ professoris in Academia Lipsensi. Etsi autem videri possit valde παράδοξον, ab eo ipso, qui cupiat haberi sui agminis πρόμαχος, & non vnius, sed multorum Goliathorum profligator, dogma de Vbiquitaria corporis Christi præsentia, euerti, caussámque nostram stabiliri: nulli tamen alij παράδοξον illud videbitur, nisi ei, qui à personarum autoritate & multitudinis clamore pendens, adultæq; superstitionis opinionem mordicus retinens, ex hac potius iudicium facit, quàm ex ijs, quæ vltrò citróque ab Antagonistis dicuntur.

Quanta enim vis superstitionis sit, quámque difficulter opinio inueterata, altioribus radicibus actis, ex animis hominum euelli possit, cùm alia luculentè demonstrant, tum in primis illud de orali corporis Christi manducatione dogma, à Monachis & Pontificibus Romanis Ecclesiæ Christi obtrusum, cuius absurditas etsi hoc tempore ita detecta est, vt vel à pueris animaduersa illa derideatur: maiore tamen conatu, quàm antehac ferme vn-

quã, defenditur, cùm à Pontificijs, tum ab alijs, qui fratres ſuos, aduerſus communes hoſtes ſub Chriſti ſignis militantes, adiuuare debebant, niſi vt Lutherani audiant, quàm vt Chriſtiani ſint, contentioſius pugnarent. Ac Pontificijs quidem falſitatis patrocinium fraudi eſſe non poteſt, cùm nunquam inficiati fuerint, ſe conciliorum ſuorum quorumcunque decretis tantum tribuere, quantum autoritati Sacrarum literarum; Illis verò alteris iure aliquis ſuccenſeat, quòd profeſſi ſe Antichriſti Romani aduerſarios, non ſolùm conſeruationi, verùm etiam amplificationi regni eius, vel ſcientes, vel imprudentes inſeruiunt, propugnando pro eo errore, quo veluti tibicine ſolium Papæ fulcitur. Oralis enim corporis Chriſti manducatio, ſine præſentia corporali, nulla eſſe poteſt: atque hac conceſſa, quis eſt, qui non videat ἀρτολατρείαν ſtabiliri? Si enim vel ſub pane, vel ſub ſpeciebus panis verum Chriſti corpus deliteſcere creditur, adorationis cultus etiam ab inuitis exprimitur, atque ita quidẽ, vt ad panem, ſeu locum, in quo panis iſte eſt, & mens & oculi conuertantur. Ad huius idololatriæ intolerabilis confirmationem, etſi initio aſſumebatur τὸ ῥητὸν verborum Chriſti, quia tamen inter dimicandum, ſponte illud elabebatur è manibus, vel etiam retinere conantibus extorquebatur: idcirco noua defenſionis inita ratio, ac excogitata præter & contra verbum Dei, prodigioſa illa corporis Chriſti Vbiquitas, vno quaſi impetu omnes propemodum fidei articulos conuellens ac labefactans. Inter patronos autem dogmatis illius ἀσυστάτου ſi non primum, at ſecundum à primo locum hactenus ſic affectauit Nicolaus Selneccerus, vt ſi dignitas ex calumnijs & conuitijs æſtimetur, iure omnibus præferendus eſſe uideatur: nunc autem ita cauſſam egit ſuam, vt alijs eam defendendi locum non reliquerit.

querit: adeo eam ſua defenſione labefactauit, deformauit, prodidit atque euertit. Huius ergo recitationes de libro Concordiæ, breuibus illuſtrandas duxi notationibus, & autoritatem illius ſequentibus indicandum, quàm bene cum ſimplicitate Orthodoxæ doctrinæ, de perſona Filij Dei, & de Sacramentis, D. Superintendenti conueniat, eíque pro cauſſæ noſtræ confirmatione, quas meritus eſt, gratias agendas publicè, atque huius gratiarum actionis cauſſas euidentes, in hoc Recitationum examine ſeu conſideratione monſtrandas. Hanc autem meam qualemcunque lucubratiunculam, optimarum artium & doctrinæ Chriſtianæ in Lipſenſi Academia Studioſi, veſtro potiſſimum nomini inſcribendam exiſtimaui, vt ijdem & Recitationum Selnecceri auditores, & noſtrarum obſeruationum lectores, ex illorum, quæ audiuiſtis, repetitione & meditatione, atque cum his noſtris collatione, fructum in perſpicienda veritate vberiorem perciperetis.

Valete.



EXAMEN

RECITATIONVM D. NICOLAI SELNECCERI de libro Concordiæ.



XORDIVM *præfationis libri sui Selneccerus facit à magnitudine lætitiæ, qua Bergensis Concordia ipsius animum perfuderit. Non minore fortassis lætitia exultabat populus Israël, Exod. 32. cùm conflato vitulo aureo, sedebant ad edendum & bibendum, & surgebant ad ludendum. Sed loquitur ipse de concordia piè & rectè sentientium; si modò vbiquitatem carnis Christi, & eiusdem in pane præsentiam exosculantes, piè rectéque sentiunt, vt Selneccerus contendit. Consensum, inquit, illum ante paucos annos maximo pretio, si licuisset, redemissemus: Nondum scilicet è medio sublato eo, qui vestræ sessioni in templo Dei obstabat. Sed quis credat Selneccerum maximo pretio redemturũ fuisse Ecclesiarum consensum, qui gratis tot turbas excitauit? Antea, ait, dissensiones fuerunt domesticæ plurimæ. Quasi verò modò non multò plures successerint, & quidem grauiores. Nunc tantùm cum hostibus certandum sibi esse ait, antea domesticas dissensiones fuisse plurimas. Hic statim in fronte libri Apostolica effulget mansuetudo.* ἀρχομένου δ᾽ ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγὲς, *inquit Pindarus. Hoc est harum recitationum* πρόσωπα τηλαυγὲς, *pro hostibus habere tot myriades, non dico Sacramentariorum, quos ille vocat, hoc est, omnes per Europam exteras Ecclesias (hi enim iam dudum à Selneccero sunt condemnati) sed Christianorum, Germaniam nostram, patriam habentium. Saxoniam excipit, Misniam, Turingiam, Marchiam, Prussiam, Sueuiam, Palatinatum*

tinatum

tinatum Electoralem, addat etiam Franconiam: Reliqui hostes iudicantur à Selneccero, Palatinorum bona pars, Heßiaci, Pomerani, Anhaldini, Holsati, Dani, Silesij, Bohemi, Comites ad Rhenum fermè omnes, pleraq; ciuitates Imperij præcipuæ, & alij nec pauci, nec hactenus hæreseos conuicti aut damnati, qui grauibus de caußis subscriptione sua doctrinam Patrum Bergensium comprobare noluerunt. Non dubito, quin Patres in his ipsis modò enumeratis ordinibus & populis, & condiscipulos habeant multos, & amicos veteres, fortè etiam affinitatibus aliquos aut sanguine coniunctos, quorum alios absentes ament, alios colant, ad alios, etiam durante ista opinionum distractione, familiariter scribant. Quis ex illis præter Selneccerum est, qui omnes dissentientes hostes iudicet? Expreßit hic Selneccerus vno verbo χαρακτῆρα animi sui, cuius libidini vt indulgeret, ne patriæ quidem suæ parcendum esse censuit. Nam & illa inter eas est, quæ subscriptionē iustißimè recusarunt. Sed quomodo certat nobiscum Selneccerus? Nónne sicut Pilatus, Herodes, Pharisæi cum Christo, refutando rationes conuicijs, argumenta vinculis, obiectiones exilio? Addit, Misericordia Dei stabili nos iungit concordia. Si diuinitus hæc concordia vel conflata vel inita esset, arctiore copula constringeretur, quàm vt vel ambitio, vel ex offensione odium exortum, eam dissolueret, de quo in præsentia nihil addam, ne videar è tonstrina egressus hæc scribere. Sufficit nobis, inquit, Saxonia: Et nobis sancta Christi Ecclesia sparsa per orbem vniuersum.

Congregationem Bergensium ait in nomine Domini Iesu factam esse. Atq; Spiritus negans Christum in carne venisse, non est ex Deo, sed est spiritus Antichristi, 1. Iohan. 4. Addit, Qui antea videbantur disiuncti, iam coniunctos esse. Quàm coniuncti sint, ex Brunouicensibus, Lipsensibus, Rostochianis, Francofurtensibus ad Viadrum, quærat qui volet. Mira narrantur, quæ fortaßis exponentur ab alijs, qui in his conquirendis sunt diligentiores, quàm ego.

Accedunt quotidie plures, inquit. Immo, mi Selneccere, plures discedunt: & plures veritatem intelligentes latitant in plerisque Germaniæ regionibus, magis vestra quàm Papæ tyrannide oppressi, adeò vt vel liberiore aliqua vocula excidente, statim illis exilij terror inijciatur.

Mundi, scribit, patiamur odium aduersus nos: quasi verò mundus, id est, multitudo profana, de veritatis inquisitione parum sollicita, & in cœno Idololatrias demersa, vos non amet, & quidem meritò, cùm liceat ipsis, vobis conniuentib. in omni nequitiæ genere, se volutare, dum modò Caluinistas execrentur, & Lutheranos se magna voce iactitent.

Subiungit prophetiam Caiphæ: Tandem bona caussa triumphabit. Triumphabit ea certè, cùm fiet quod paulò pòst addit; loquens de reditu Christi è cælo: est in limine ingressus eius. Quo pacto enim Selneccero ingreditur is, qui iam inuisibiliter hîc adest suo corpore, secundum illius somnium, quo corpus deitati æquiparat, & sic omnem eius vel ingressum & egressum tollit?

De verbo Christi gloriatur; Cùm nemo longiùs ab eo recedat, quàm ipse Selneccerus, nemo impudentius ei contradicat, quàm idem Selneccerus.

Paulò pòst subiungit; videant & caueant alij sibi, qui sine caussa ab ore & verbo Christi, se abstrahi patiuntur. Videat ergo & caueat etiam sibi ipse. Nam, vt Plautus ait, Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet, Etiam cum cauisse ratus, sæpe is cautor captus est. Multi certè sunt qui affirmant, ipsum Selneccerum deceptum à Schmidelino forti illo supplantatore, dum pro nescio qua restricta vbiquitate, quam Selneccerus sibi adduci voluit, absolutam ei supposuit. Videat Selneccerus, ne dum alijs cauere vult, ipse à verbo Christi abstrahatur, non panem credens esse corpus, sed corpus in pane, contrà atque os Domini locutum est.

Plauti elegant dictum

Quis

Quis autem ex eruditis non cum delectatione legat illam bellissimam παρονομασίαν, *rationis narrationem narrare: & phrasis & allusio elegans est, vt non è triuio arrepta, sed in Selnecceri Museo nata esse videantur. Improbè autem dissimulat, quæ de vero rationis vsu, etiam in sacris literis concesso, Neostadiani piè & vtiliter disseruerunt fol. 96. & 97. Illa refutare Selneccerus debebat, & tum debacchari in eos, qui rationis narrationem narrarent.*

Ad rationes quas nobis minatur, quod attinet, quia ab omnibus Deo reddendæ erunt, ne se quidem eximere poterit. Sed in Theologorum catalogo, periculum non est, ne reperiatur: nomen suum audiet aliquando inter eos legi, qui arundinis instar, vt ipse loquitur, huc illuc ad varios dogmatum ventos inflecti se passi fuerint. Sic facere ait illos, qui se Sacramentarios nominant. Illi verò à vobis ita appellantur, factiosorum nominum autoribus: constantiores non paulò, & durioribus exercitijs probati veritatis confessores, quàm vos delicati martyres.

Sequitur συναθροισμὸσ, *bene longus, multorum in nos congestorum criminum, sed breuis futurus, si mendacia detrahantur. Quàm graue, inquit, erit, omnipotentiam Christi negasse. Dixerim ego, quàm graue erit, hisce calumnijs Ecclesias innocentes onerasse. Fatemur futurum grauissimum ijs qui negauerint. Sacramentarij his minutis interrogatiunculis non mouentur. Neque enim omnipotentiā negat, qui quotidie orat; Credo in Deum patrem omnipotentem; neque etiam omnipotentiæ aliquid adimit, qui eam ex reuelata Dei voluntate & natura interpretatur.*

Fatemur etiam graue futurum, veritati Christi contradixisse. Qui contradicant aut contradixerint, de eo quæritur. Probet Selneccerus Sacramentarios veritati contradicere; Cum fatentur panem esse corpus Christi Sacramentaliter: probet hoc ex verbo Dei, & ad παλινῳδίαν *omnes nostrorum Ecclesias*

vno verbo traduxerit. Videat D. Superintendens, ne ipse Sacramentales phrases naturaliter explicando, ac verba Christi inuertendo peruertendóque, eius culpæ affinis reperiatur, cuius alios reos facit. Quæ adduntur de definitione vnionis Hypostaticæ duarum naturarum in Christo, secundum quantitatis & mensuræ Physicæ modum, nostros, credo, non offendunt; neq; enim hi vnquam vnionem illam admirabilissimam eo modo definiuerunt. De natura humana, vt humana, loquuntur. Num igitur vnionem ad quantitatē & mensuram Physicam reuocant? Valde ineptus est Dialecticus, qui, quæ de natura dicuntur, ad vnionem refert, ad cuius mysterium ideò obstupescimus, quòd scimus naturam humanam creatam, ac finitam, à diuina in vnitatem personæ assumtam, cum omnibus suis proprietatibus essentialibus in ea sustentari, neque ab ea in omnem æternitatem diuulsum iri.

Qui communicationem maiestatis, potentiæ & gloriæ diuinæ conculcent, ipse viderit. Si per maiestatem, potentiam & gloriam intelligit essentiales Dei proprietates, nostri disertè negant, eas realiter, vt noui Theologi loquuntur, vlli creaturæ communicari posse, cùm ipse Deus dicat, se alteri suam gloriam non daturum esse. Si verò loquitur de proprietatibus diuinis, competentibus homini Christo, secundum περιχώρησιν & comprehensionem vtriusque naturæ in concreto nomine alterius naturæ; vel de excellentia donorum & effectorum diuinorum, quibus natura humana Christi prædita est, quæq; de abstracto eius nomine verè prædicantur, alios, non autem nostros, quærat, quos conculcationis istius accuset. Melius enim, Dei beneficio, & solidius, quàm à Selneccero & toto ipsius grege, hæc omnia, quæ ad veram Christi maiestatem pertinent, ab illis asseruntur, & ab hæreticorum omnium iniurijs vindicantur.

Quàm graue, inquit, erit, Dextram Dei infinitam ad certos limites & fines, ac ad certum locum alligasse? Quia negant

nostri,

nostri, quicquid ad dextram Dei collocatum est, id esse vbique: inde ineptissimè colligit, dextram Dei certis limitibus circumscribi. Scriptura docet, Christum sic esse ad dextram patris, vt corpus Christi sit nunc in cælo donec redeat. Hîc si quid desiderat Selneccerus, habet cum quo disputet. Per sessionem autem ad dexteram quid intelligatur, si nescit, discat ex admonitione Neostad: fol. 25.

Pergit; Quàm graue erit Christi humanitatem loco incerto inclusisse. Qui in cælis dicit esse corpus Christi, num loco incerto includit? Audite Theologum egregium, qui cælum locum incertum nominat, incertus de hospitio, quod eum post fata excepturum sit.

Sequuntur ἀειλογίαι *quibus vti solet, cùm* ἀντιλογίαι *desunt; atque interim tamen, tam graphicè se & suos depingit, vt luculentioribus encomijs ornari nequeant. Qui Testamento Christi peregrinas interpretationes & consequentias secundum rationis ductum affingant, infrà liquidò demonstrabitur. Nam ad ea quæ sequuntur, quid opus est respondere? Neq; enim nostri simpliciores decipiunt, sed erudiunt, ac dubitationibus liberant, tantum abest, vt quenquam implicent. In precibus quòd nonnulli languidiores sunt, ipsi præstare nõ possunt, neq; etiã debent. Parum enim honorificũ fuerit vel Selneccero, vel alijs, expectare, dum à nostris sui hac in parte officij admoneantur. Ad dissidia quod attinet, non verisimile est excitari illa vel cumulari ab ijs, qui se legitimæ disceptationi offerunt. Si qua igitur consolatio & certitudo ex animis multorum eripitur, ab ijs certè eripitur, qui controuersias sopitas ventilant, & omnem compositionis spem inauditos condemnando præcidunt. Verbum & Spiritum sanctum, ait, iactari à nobis. Dolet huic orali & carnali Theologo ab elementis caducis, vel instrumentis, deduci homines ad ipsum opificem: dolet huic, non pani attribui, quod Dei solius proprium est. Reliqua quæ adduntur, quo referantur, ego non in-*

telligo. Neq; enim nostri alios dolis circumuenerunt, sed ipsi perfidè ab hostibus circumuenti sunt, trucidati, submersi, carcerib. exilijs mulctati sunt. Extant præterea eorum confessiones: demonstret Selneccerus, vbi aliter locuti fuerint quàm sentiant.

Quàm graue, inquit, erit, tractare res sacras obductum larua & effictο nomine voluisse, nec tamen profiteri & indicare se ipsum ausum fuisse? Non tam credo hoc graue futurum, quàm Selneccerus existimat. Neq; enim ita omnes gloriolæ cupidi sunt, atq; ipse est. Ac quòd multa incertis autoribus prodeunt, vel confictis nominibus, id eò fit, quòd vel ij ipsi Hypocriticam Selnecceri crudelitatem, sub qua degunt, metuant, vel extra periculum constituti, amicis quos illis in locis habent, nocere nolint. Quid autem refert, veritatem tuóne an alieno nomine defendas? Satis multi multa scripserũt additis nominibus; refutentur illi præteritis ἀνωνύμοις. Ac libelli fortasse à nostris ederentur nulli aut non multi ἀνώνυμοι vel ψευδώνυμοι, nisi inspecto statim autoris nomine, nostrorum hominum scripta tanquam veneni pestilentissimi referta, à vestris abijcerentur, tuis Selneccere clamoribus & aliorum persuasis, vel solo attactu librorum Caluinianorum infici homines, vt scilicet vos soli audiamini & spectemini in vestro Theatro.

Quàm graue, inquit, erit calumnias in viuos ac mortuos euomuisse. His verbis non obscurè perstringit suum veterem amicum, Schmidlinum, vt & in sequentibus. Is enim Philippum mortuum improbissimè insectatus est, & verbo Christi expresso cedere noluit, dum πανταχουσίαν introduxit, μακρὰν χαίρειν φράσας τῷ ῥητῷ.

Eutychianismi, Arianismi, Nestorianismi, semina qui sparserint, si oblitus est Selneccerus, relegat per ocium Anhaldinorum Apologiam; & si nostros ostenderit seminatores harum hæresium iure nominari posse, & se & Schmidlinum aliosq; patres, multis criminibus liberauerit.

Dissolutio-

Dissolutionis etiam audet mentionem facere, atq; ita vt vel autores vel confirmatores eius nostros faciat: non ignarus maiori disciplinæ seueritate Ecclesias nostrorum coërceri, quàm Lutheranas, quas isti sic vocari volunt, in quibus si ardentius studium esset pietatis, & grauitatis Christianæ tuendæ, etiam fructus emendationis istius ad nostras in Germania Ecclesias redundarent, quæ aliorum licentia conspecta, iugum Domini sibi solis imponi mirantur.

Articulos fidei & mysteria nostris consequentijs & ratiocinationibus non deformanda esse ait: quia τὸ πῶς ignoramus. Ad articulos fidei quod attinet, facilè concesserim τὸ πῶς illud sæpenumero excludendum esse: quoties nimirum sacro Domini ore non expressum est. μονὰς, inquit Iustinus, ἐν τριάδι νοεῖται, καὶ τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται, καὶ πῶς τοῦτο διερωτᾶν οὔτ᾽ ἄλλους ἐθελόμην, οὔτ᾽ αὐτὸς ἐμαυτὸν δυναίμην πείθειν, τοὺς περὶ τῶν ἀπορρήτων λόγους γλώσσῃ πηλίνῃ καὶ σαρκίῳ ῥυπῶντι κατατολμᾶν. In ijs verò, quorum ratio & modus aliquatenus verbo Dei expositus est, ac præsertim in Sacramentis, non simpliciter hoc dederim. Quia enim illa signa visibilia sunt, fidei in nobis confirmandæ caussa, verbo Euangelij addita; vt valde turpe fuerit homini Christiano, præsertim adulto & iam solidioribus cibis vescenti, ac maximè Superintendenti primario, nescire quæ vis sit sacramentalium phraseων, ac quærere, quomodo panis sit corpus Domini: Sic tamen Catechumenus credo non peccat, si erudiri se petat, πῶς ἄρτος εἴη σῶμα τοῦ χριστοῦ. Atque huius ipsius phrasis ignorantia in quas tenebras Ecclesiã detruserit, in quod idololatriæ cœnum eandem demerserit, demonstrari quidem facilè, sed deplorari satis non potest.

Hoc verò horribile est, quod paulò pòst legimus. Magnum quiddam, inquit, ex animo dicam. Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu? Non credo, inquit, vllum Sacramentarium τὸν γεωμετροῦντα Christi quantitatem, vt est in Athanasio, & dimensorem potentiæ Christi (ducem intelligo & Doctorem,

non seductum Laicum) nectentē consequentias secundum rationis suæ fatuitatem, verè credere, Christum esse verum & omnipotentem Deum, & hominem factū, sedere carne sua ad dextram & in dextra Dei Patris omnipotentis. Hæc Selneccerus. Qui quid de Sacramentarijs, quos vocat, credat, aut crediturus sit, non magnoperè laboramus. Interea non video, quid caussæ sit, cur nequeant ij verè credere, Christum esse verum & omnipotentē Deum, qui veritatē humanæ naturæ in Christo asserunt, non secundum rationis suæ fatuitatem, sed secundū ipsius Christi verba, Palpate & videte; Spiritus carnem & ossa non habet: & secundum Angeli vocem; Surrexit, non est hic. Quid si nos multò iustius non credamus, vllum Vbiquitarium credere, Christum esse verum hominem, natum, passum, crucifixum, suscitatum, sublatum in cælum, inde rediturum. Cur ergo cum tali homine contendimus, inquit. Contendat sanè Selneccerus cum quocunq; velit; nos interea, siue tacente illo, siue respondente, veritati non deerimus, vt vt turbetur pax siue in Germania, siue alibi. Si enim gloria Dei præferenda est omnibus rebus humanis, nequaquam veritatis, qua illa illustratur, defensio, metu periculorum est deserenda: neque tanti facienda publica tranquillitas, vt nobis conniuentibus hæretica doctrina ad posteros transmittatur. Addit, Quidquid alij dicant, scio me verum dicere. Nos verò, quidquid Selneccerus dicat, scimus, eum in hac tam audaci asseueratione impudenter mentiri, qui nisi cum suis desinet errores hæreticos defendere, & se, & Germaniam, & multas Ecclesias in mala grauissima conijciet.

Arguit paulò pòst Neostadianos blasphemiæ & diabolici sarcasmi, quòd similibus quibusdam absurditatem & vanitatem solutionum seu potius præstigiarum Sophisticarum, quibus Vbiquitatis patroni eludere conantur argumenta ac testimonia Scripturæ & veteris Ecclesiæ, ipsis opposita, sic declararunt, vt etiam ab indoctis possent intelligi. Hæc fraudum detectio tam

acriter pupugit Selneccerum, vt cùm eam refellere non posset, velut æstro iracundiæ percitus, in tragicos maledictorum & criminationum ἐπιτροχασμοὺς erumperet. Volunt patres Bergenses, carnem Christi vbique substantialiter adesse. Opponitur eis Scriptura, quæ docet, eam perpetuò fuisse, esse & fore vno tempore vno duntaxat loco circumscriptam & visibilem. Respondent illi: vno loco comprehensam esse, secundum modum existendi corporis naturalis & glorificati; sed vbique existere, secundum modum existendi dextræ Dei, hoc est, Deitatis. Excipiunt hîc nostri: modos hos non tollere contradictionem, sed ipsam contradictionem esse, ac proinde petitionem principij, & contradictionis non conciliationem, sed ineptam & putidam elusionem: quandoquidem hoc ipsum quæritur, an isti duo modi existendi in vno & in omnibus locis, simul possint esse in eodem Christi corpore. Modus veri corporis est esse περίγραπτον; modus dextræ Dei est esse ἀπερίγραπτον. Nihil igitur aliud, nisi hoc nobis respondent: Corpus Christi est circumscriptum & locale, secundum modum existendi circumscriptum & locale: & non est circumscriptum & locale, secundum modum existendi non circumscriptum & non locale. Sic autem dicimus omnes contradictiones eludi posse: idq; exemplis monstramus imperitioribus: Dies est lucidus, secundum modum lucis: & tenebrosus, secundum modum tenebrarum. Album est album, secundum modum albedinis: & est nigrum, secundum modum nigredinis. Quid hîc est Arianum, Turcicum, blasphemum, diabolicum, sarcasticum?

Porrò quia negant nostri, corpus Christi esse infinitæ potentiæ: hinc iste infert, statuere eos, humanitatem Christi esse nullius potentiæ, aut non esse vnitam Deitati. Quasi verò sequeretur, Christi caro non habet infinitã potentiã, Ergo habet nullam: aut quasi sequeretur, Natura humana non est omnipotens, Ergo non est vnita omnipotenti naturæ, vel, homo Christus non est omnipotens.

Post Lutheri prophetiam obsoletam, & ex iracundia, non ex prophetico Spiritu profectam, scribit Sacramentarios minari nescio quas exagitationes, opprobria, vim. Opprobria nos vobis vera, vos nobis falsa; Vim, nos veritatis, vos potestatis politicæ nobis opponitis. Sic Lupus in Apologis accusat ouem inferiori loco bibentem, quòd aquā profluentem ipsi turbarit. Quem enim nostri omnibus locis ferè oppreßi exagitant? quod genus hominū scurrilibus probris æquè conspuitur, atque illi ipsi? quibus plus violentia nocuit, & adhuc nocet, vel saltem deinceps metuenda est, quàm illis? Videat igitur, quid dicat, & quid olim suo iudici dicturus sit, qui nunc impudentißimas calumnias in conspectu Dei & hominum euomere non veretur.

Paulò pòst aliud argumentum adducit, cum prius nondum soluerit, & actorum probatorum, epistolarum, & historiarum mentionem reprehendere audet. Quod genus si recitationibus eius detrahatur, quid tandem reliquum erit? Cur autem historiarum narrationes mendacißimas vocet, perquàm scire velim, cùm adhuc nemo extiterit, qui illas refutarit. Neque verò à nostris quidquam istorum profertur ad probanda dogmata, sicut ipsorum tota contentio nititur autoritate humana Lutheri: Sed duntaxat ostendendi caussa, quid illi senserint, quos nobis opponunt.

Argumentum autem Neustadianorum contra realem communicationem, ex ipso libro Bergensi adductum est: Quidquid carni realiter inest, hoc est, ita vt prædicari de carne poßit: necesse est ei vel essentiale vel accidentale esse. Vbiquitas autem carni nec essentialiter, nec formaliter, nec habitualiter, nec subiectiuè inest. Vtraq; præmissa est Patrum Bergensium. Concludimus ergo necessariò: Vbiquitatem realiter non inesse carni, nec verè de carne prædicari posse. Ad hoc argumentum ita respondere conatur Selneccerus: Idiomata diuina insunt humanitati Christi, non vt substantia humanæ naturæ, nec vt pars,

nec vt diuinitatis accidens, & tamen reuera insunt, quia omnis plenitudo diuinitatis habitat in carne Christi. Insunt igitur ratione οἰκειώσεως καὶ ἐνεργείας, *& tamen semper sunt & manent idiomata diuinæ, non humanæ naturæ, etiamsi naturæ humanæ communicari dicātur. Responsio verò egregia, qua nec forma nec materia argumenti conuellitur, sed manifesta contradictionis implicatio conclusioni opponitur. Si enim idiomata realiter communicantur, quo pacto vel esse, vel appellari, vel manere idiomata possunt? Vnde autem Selneccerus probabit, ex omni plenitudine habitantis in Christo Deitatis, consecutam fuisse communicationem proprietatum realem? Sed de his, vt ipse ait, postea in recitationibus. Hoc tantùm quæro, quare pro accidente humanitatis substituerit accidens Diuinitatis. Mirum, ni animaduerterit, si vbiquitas nec essentia, nec accidens sit carnis, eam de carne prædicari non posse. Nam quod ait, eam reuera inesse in carne & ei communicari, strophæ sunt æquiuocationum, quibus se inuoluunt Sophistæ. Si enim inesse & communicari idem sunt Selneccero, quod carnem realiter esse vbique, nihil falsius est: Sin autem hæc idem ipsi essent, quod inhabitare & vniri carni personaliter, sublata esset de re ipsa controuersia.*

Ceterum scribit, prodire hunc laborem ad gloriam Christi, gratum futurum Lutheranis, id est, verè Christianis. Hic facilè aliquis mihi persuaserit, Selneccerum in Symboli recitatione, Credo Ecclesiam Lutheranam, non Apostolicam, Catholicam, dicere: quemadmodum in Cantico Lutheri, loco Papæ & Turci, Caluinistas nominat.

Prodit, inquit, vt Prodromus. Atque si ex hoc prodromo copiæ æstimandæ sunt, non est, quòd eas extimescamus. Prodit autem, vt idem fatetur, prodromis spirantibus: quod sanè cautè addidit, vt minus scilicet miremur, si fortè vt ventosus in his recitationibus deprehendatur.

vter inflatus [illegible] dum ne medius crepet.

In fine territat Sacramentarios scriptis nescio quibus paulò post edendis, ac in primis volumine Chemnicij Episcopi Brunsuicensis, cuius monophysiticam seu monotheleticam περιχώρησιν, à reali proprietatum omnium Deitatis essentialium in carnem effusione, sine ἐξισώσεως exæquatione Brentiana, nondum distinguere potui. Operæ credo pretium facturus sit, si in opere inchoato discrimen ponat. Manet, inquit, aureus & inuictus libellus Chemnicij de Christi persona: Sed manet etiam Danæi responsio nondum à Chemnicio refutata.

Hæc ad præfationem obiter annotare volui: Iam ipsas recitationes audiemus.

Prima Recitatio. Fol. 1.

Inchoaturum se ait enarrationem Examinis Theologici. Hic non abs re fuerit quærere, qua occasione factum sit, vt Selneccerus ad explicationem Examinis Theologici, in corpore Doctrinæ comprehensi, accesserit, quod corpus ante aliquot annos in arce Lichtenbergensi (cùm se D. Salmutho, in Ecclesijs hoc retinere conanti, acerrimè opponeret) corpus errorum & confusionum appellauit, cuius impressionem grauissima mulcta sanxit, cuius autoris scripta infra omnes mortuos amandauit, ac tanquam sacramentarijs blasphemijs (licet enim ipsius verbis vtamur) referta condemnauit. Consilium planè ridiculum aduersarijs; Selnecceri amicis, atque ipsius sermonum conscijs, in primis verò Sueuico ipsius fratri παράδοξον, sanctissimis Philippi manibus graue: quibus nihil tristius, nihil acerbius, nihil contumeliosius offerri potest, quàm monumenta orthodoxam doctrinam complexa, & accuratè singulari dilucidæ proprietatis studio elaborata, ex ingratorum & maleuolorum discipulorum libidine, ad confirmationem falsorum dogmatum detorqueri, aurum cum scoria misceri, gemmas cum luto, aromata cum fœtoribus, fuliginē cum splendore, tenebras cum luce. Si reuiuiscat senex ille amabilis, & propter pietatem ac eruditionem, innumerabilesq;

rabilesq́ alias virtutes, toti propemodum Europæ olim venerabilis, si inquam reuiuiscat, ac audiat in publicis scholis, non solùm absurda atq; à veritate orthodoxa abhorrentia, áque se ipso euidentissimis Scripturæ testimonijs refutata dogmata iuuentuti studiosæ proponi; verùm etiam suam autoritatem ad eorundem introductionem & comprobationem adhiberi: vbertim credo lacrymas profundat, ac miserabilem Ecclesiæ statum deploret, seq́; è conspectu hominum citissimè subtrahat, ne eos in Cathedris docentes audire cogeretur, quos viuus adhuc pestes Ecclesiæ futuros esse præuidit: neu oculis intueri ea, ad quorum etiam mentionem toto quasi corpore cohorrescebat.

Scribit Selneccerus, se additurum ex forma Concordiæ Christianæ, de controuersis articulis explicationem &c. Egregiam verò explicationem, quæ corpori doctrinæ tanquam nouo panno vetus vestimentum assuetur. Appendiculam autem illam Schmidelinianam, ad Confess. Augustanam agglutinatam, Formam vocat Concordiæ Christianæ, quæ forma qualis sit, viuis quasi coloribus depingitur à Theologis Palatinatus: qui formam illam ita expresserunt, vt nihil ea deformius, propter errores quibus scatet, effingi possit. Ideóque non video, quare Ecclesiæ & Scholæ, à Selneccero dictæ puriores (quas idem tantùm in Saxonia & vicinis regionibus, ad subscriptionem illectis, esse autumat) Forma illa non à pictore aliquo vel fictore egregio, sed fabro imperito profecta, superbire debeant, & alios Formam illam non amplectentes præ se contemnere. ó formosam formã.

Appellat autem Theologos Neostadianos nouos homines, quo sensu equidem dubito. Neque enim doctrina ipsorum, illo ipso teste, noua est, aduersus quam acerrimè Lutherus, etiam ante natum Selneccerum, dimicauit, sed parum honestè, rationes refutando conuitijs. Quòd si loquitur Selneccerus more Romano, vt scilicet intelligat per se cognitos, nulla commendatione maiorum; non video cur appellationem hanc admodum agrè Noui homines

ferre debeant, præsertim cum Selneccerus ipse magis sua quàm maiorum suorum, siue patricij illi siue plebeij fuerint, improbitate clarus habeatur. Hæc ad hunc modum perscripta, cùm amico cuidam ostendissem, monuit ille, argutiam Selneccerianam à me non satis intelligi: allusisse enim eum ad nomen oppidi: id quod à me non animaduerti potuisse valde mirabar. Sed concedamus illos esse nouos homines & obscuros, si cum Selneccero conferantur: sæpe tamen fit, vt & ab eiusmodi veri aliquid proferatur. Cui enim ignotus versiculus παροιμιώδης? πολλάκαι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν. *Atque sit credo melior noui hominis vera oratio, quàm patricij cuiuscunque in veritatem iniuria.*

Dolenter autem conqueritur ibidem de importunitate Sacramentariorum, à quibus insimulari se & alios Doctores ait mendacij & vanitatis. Mirum ni Selneccerum vt veritatis patronum laudent, quem non modò atrocissimarum calumniarum ebuccinatorem esse experiuntur: sed etiam falsissimarum opinionum defensorem esse sciunt, ac defectionis ab August. Confessione publicè conuincunt, vt crimen illud ἀποστασίας *& periurij, meritò ei inferri omnes sani intelligant.*

Ne autem Selneccerus auditores diu detineat, caussam recitationum præcipuam ponit, quòd oporteat homines certos esse de doctrina, fide, confessione, de fundamento & canone siue regula & norma, siue directorio & Lydio lapide capitum & veritatis doctrinæ.] Si sacras literas vel verbum Dei intelligit esse fundamentum, canonem, normam, regulam &c. quid opus erat tot recitationibus, præsertim ad Christianos, qui neque de fundamento illo dubitant, neque præter verbum Dei vllam aliam normam aut regulam vel agnoscunt vel admittunt: Sin, quod veri est similius, de sua deformi illa appendicula loquitur: næ ille vehementer errat, si veritatis & optimarum artium studiosos, arenam pro fundamento, malleum pro regula, forcipem pro norma, punicem pro Lydio lapide accepturos esse existimat.

Addit

Addit ab aduersarijs pontificijs & Sacramentarijs eodem animo suam doctrinam conuelli. Sed toto cælo errat D. Superintendens. Pontificij enim illo altero idolo destructo, suum stabiliunt: Nostri vtrunque, & transsubstantiationem & consubstantiationem auersando detestantur, & detestando oppugnant.

Cæterum metuit ne ipse & alij æquiparentur canibus mutis. Fol. e.
Atq; hoc metu ipsum libero. Neque enim mutum canem esse Canis latrans.
Selneccerum quisquam dixerit, cuius latratu rabioso omnia personant, & quidem luce, cùm nulla suspicio est: cuius proteruia tanta est, vt pro furibus domesticos mordeat.

His præmissis, Selneccerus vt ad rem ipsam alacrior accedat, se ipse, quasi leo cauda, ad virtutem verbis extimulat, & ad fortiter pugnandum incitat. Ac ne videatur miles esse rudis vel barbarus, Atticum iusiurandum vsurpat, τοξότης credo, non ὁπλίτης, qui nisi sub scuto Aiacis delitesceret, quo se tegeret, aut vim hostium ingruentium propulsaret, nō haberet. Nam quam fidem παραστάτου præstiterit, alio fortaßis loco, & ab alijs commemorabitur. Quid autem volunt sibi hæc verba, ὑπὲρ ὁσίων καὶ ἱερῶν? quæ sunt illa ὅσια καὶ ἱερά? ἀρτολατρεία scilicet, pro qua noui isti Attici milites alacrius pugnant & vehementius, quàm veteres illi pro aris & focis. Imprudens autem alijs tacentibus se ipse accusat his verbis: An hodie non confundunt illi nos, qui in tanta luce & dexteritate doctrinæ non tantùm non iuuamus propagationem & defensionem veritatis, sed etiam turpi defectione, aut potius Epicurea securitate ἢ κακοπιστίᾳ ἢ μᾶλλον ἀπιστίᾳ obloquimur & opponimus nos aris nostris, scilicet linguæ, voci & promißioni Christi filij Dei. Se alloquitur Selneccerus & suos manipulares. Sorex se suo indicio prodit. Fatetur Selneccerus, se in tanta luce & dexteritate doctrinæ, non modò non iuuare propagationem veritatis, verùm etiam, quantum in ipso sit, impedire. Ipsus se insimulat defectionis, Epicureæ securitatis, κακοπιστίας & ἀπιστίας. Suo se

testimonio iugulat, cui credere par est omnes, cum nemo Selneccerum melius nouerit, quàm ipse se. Clamabit se de Sacramentarijs loqui. Aut igitur ipse etiam Sacramentarius est, aut quid dicat non intelligit, omnium quemadmodum loquitur, minimus, corpore quidem, sed prauitate animi longè maximus.

Fol. 3. Attexit longum catalogum eorum, à quibus Lutherana doctrina oppugnetur. Atque inter hos recenset Sacramentarios inflatos (quia scilicet non adorant σκύβαλα Selnecceri) quos humiles Lutherani ita fouent, & amplectuntur, vt præ amore passim studeant illos foras excludere. τεκμήριον putat esse veræ doctrinæ, quòd illi contradicatur à multis, ijsdemque improbis. Contradictio per se (vt neque supplicium martyrij) τεκμήριον veritatis esse non potest: alioquin etiam Arius, Samosatenus, Nestorius, quibus se Ecclesia orthodoxa fortiter opposuit, veritatis defensores fuissent. Non etiam satis est, si contradicant improbi. Sæpe enim fieri potest, vt ab illis falsitas refutetur, & ijdem in vno rectè sentiant, in alijs allucinentur. De persona filij Dei Ecclesia Romana orthodoxum consensum retinet & tuetur: quia autem eadem in alijs compluribus Doctrinæ Ecclesiasticæ capitibus errores manifestos probat, & non solùm probat, verùmetiam gladio & armis defendit: eáne de caussa Selnecceri dogmata vera esse existimabimus, quòd à pontificijs vt hæretica exagitentur?

Sacramentarijs inflatis subiungit Epicureos ventres, sapientes mundi, peruersos & impios omnes, securos & atheos, itémque fanaticos, & opinionum absurdarum sectatores pertinaces. Non ignotum est, in omnibus aulis reperiri viros aliquot præstantes, qui modestiam interdum & humanitatem à Theologis requirant, qui caussam pertinentem ad publicam & Ecclesiæ tranquillitatem, rectè & ordine agendam esse moneant, qui liberè & grauiter, quid sibi in hoc vel illo displiceat, indicent: hi omnes è vestigio Theologis illis Epicurei sunt, sapientes mundi, peruersi & impij: cum contrà ijdem Theologi in oculis ferant

flagitiosos

flagitiosos quosque & ebriosos, porcis quàm hominibus similiores, si tantùm Lutheri nomen crepent, & Sacramentariorum hostes perpetuos ad extremum vsque vitæ halitum se fore dictitent. Hi sunt illis verè Christiani, verè Lutherani, Zelo Dei pleni.

Addit se dicturum aliquid propter simpliciores: propter eos scilicet qui salute dicta verbo Dei & rationi, patiantur se quasi naso eò duci, quò Selneccerus vult, nempe ad antrum vbiquitatis Cyclopicum, in quo mysteria optimè explicant ij, qui Christi corpus dentibus, secundum Berengarij παλινῳδίαν metu mortis extortam, & à Luthero ac Selneccero laudatam, atteri affirmant.

Scribit à Sacramentarijs mera spiritualia iactari. Hoc est quod illi dolet, à Sacramentarijs crebrius inculcari spiritualiter illud, quàm carnaliter, oraliter, labialiter, dentaliter. Dicat nobis Theologus celeberrimus, quid est Christianismus sine spiritu? quid verbum, quid sacramenta sine spiritu? quæ fides, quæ conuersio, quæ inuocatio, quæ gratiarum actio, quod pietatis studium sine spiritu? O Superintendentem dignum qui macello præficiatur, non Ecclesiæ.

Sed hoc valde bellum est, Selneccerum dolere Ecclesiarum distractione, Selneccerum inquam, qui, absque dissensionibus illis esset, in Saxonia consenesceret, & pernis non alaudis vesceretur. Sed operæpretium est, videre quid illi doleat. Possunt, inquit, iustissimæ querelæ multorum sapientum & piorum proferri de dissensionib. & pugnis in religione, præsertim inter eos qui debebant esse coniunctissimi animis & sententijs pro veritate & gloria Christi &c. De pontificijs Selneccerum loqui non credo, de Sacramentarijs, quos vocat, multò minus. Paulò enim pòst sibi nihil cum illis negotij esse dicit. Latent igitur, vt video, alicubi hostes, ac fortasse domestici vel vicini, cum quibus Selneccero confligendum, qui dum παῤῥησίᾳ Theologorum Palatinatus Christia-

na crudeliter ipsum magistrum appeti affirmat, satis ostendit, quibus argumentis, si rationes desint, deinceps aduersarios refutaturus sit. Non pudet autem hominem verborum contumelias nostris obÿcere, cum in ipsius volaticis chartis versuum propemodum numerum conuitia ipsis diabolis, credo, ignota, aquent.

Nodi etiam Gordÿ mentionem facit, quem dudum ille dissecuisset, si Alexandrum aliquem cum gladio inuenire potuisset. Sed nodus ille Gordius neque Alexandrum, neque alium vel regem, vel principem requireret, si explicationes, & solutiones

Fol. 4. ex verbo Dei petita admitterentur. Paulò pòst ait se ingressurum via regia. Displicet scilicet Superintendenti angusta illa ducens ad cælos semita. De lignis, lapidibus, sordibus ipse viderit, nostrorum Ecclesÿs non multum negotÿ est cum lignis & lapidibus, multò minus cum sordibus Pontificÿs, cum hæc omnia iampridem è templis earum remota esse constet. Quòd si aliqua ex his, inter eÿciendum in viam regiam delata, Selneccerus existimat se incedentem remoratura esse, vel remouenda illa curet, vel in barathrum præcipitanda. Nostra nihil retulerit.

Ex animo se loqui ait, & precari, obtestaturq; ipsum filium Dei. Id quod & alibi facit, non ignarus, facta sua verbis non respondere; Ideóq; facilè fieri posse, vt fidem non inueniat, nisi religiosa asseueratio adhibeatur.

Orat etiam vt hæreat à collo filÿ Dei ceu miser vermiculus. Non opus est filio Dei eiusmodi vermiculis, à quibus & ipsius caro ore arrodatur, & membra eiusdem in his terris crudelitati Pontificiæ dilaceranda, comburenda, suspendenda, trucidanda obÿciantur.

Addit se de ÿs quæ expositurus sit, rationem redditurum sine dolo & fuco, & sine ambagibus. Agnosco verba quibus etiam vsus est in oratione quam Lipsiæ habuit Calend. Febr. An. 1574. Nam & in ista his verbis promittit Selneccerus, se viuere & mori

mori velle in agnita veritate cælesti, quæ de omnibus & singulis doctrinæ capitibus, Dei beneficio, laboribus & scriptis D. D. Lutheri patris, & corpore doctrinæ à D. Philippo Præceptore, beatæ vtriusque memoriæ, conscripto, comprehensa est, categoricè, dilucidè, sine inuolucris, ὁσίως καὶ ἁπλῶς. Quàm verè hoc tum dixerit, Schmidelino credo optimè notum est: quàm verè eadem modò scribat, paulò pòst patefiet.

In fine petit, ne sibi excidat vocula vlla non munita verbo, suo scilicet: nam Dei non ausus fuit addere, præclarè sui erroris sibi conscius. Miror cur non retinuerit verba patrum reliquorum, qui gloriati sunt, nihil in libro Concordiæ nisi stylo S. S. exaratum esse.

Post propositionem aggreditur occasionem & consilium conscripti libri Concordiæ, ac narrationem instituit satis luculentam, delectaturam fortasse eos, qui nugas Selnecceri adorant, posteritati certè parum profuturam, quæ non quid Lutherus aut Philippus docuerint, sed quid ex verbo Dei docere debuerint, consideratura est. Si quæ scripserunt vel à verbo Dei, vel inter se discrepantia, condonetur hoc imbecillitati humanæ, ac de vtroque commemoretur id, quod Basilius de Apollinario scripsit: ἐγὼ δὲ Ἀπολινάριον μὲν οὐδέποτε ἐχθρὸν ἡγησάμην, ἀλλ᾽ ἔστιν ἐφ᾽ οἷς καὶ αἰδοῦμαι τὸν ἄνδρα. οὐ μὴν οὕτως ἐμαυτὸν τῷ ἀνθρώπῳ συνῆψα, ὥστε τὰ ἐκείνου ἐγκλήματα αὐτὸς ὑποδέχεσθαι. Fol. 4. & 5.

Scribit semina quædam Sacramentariæ sectæ ab vno atque altero iacta fuisse viuo Luthero. Fundamenta veritatis posita fuerunt, non hæreseos sparsa semina. Vnus autem ille & alter vel mille Selnecceris præstiterunt, vt notum omnibus paulò humanioribus. Quot enim Selnecceri conflati vel vnum Philippum efficiant?

Addit à Vuolphio editas hac de re epistolas, in maximam ignominiam autorum. Quasi verò veritatis assertio infamet homines. Memini me audire ex summo viro, quem metu

Selneceeriana crudelitatis nominare non audeo, cum diceret Philippum sæpe optasse, vt si sibi Christi nomine aliquid perpetiendum esset, in hac ipsa caussa perpeteretur. Estne igitur verisimile, eum, qui pro hac caussa quiduis subire voluerit, editione illa epistolarum, tanquam existimationi suæ ignominiosa, offensum iri si reuiuiscat? Sed notetur hic stupor Selnecceri. Scribit Vuolphium ostendere conari id, quod paulò antè ipse concessit verum esse, nempe Luthero viuo sacramentariæ sectæ semina sparsa fuisse. Nescit quid scribat, in dubium reuocat id, quod ex historiæ fide ipse probat verum esse. Fatetur ipsum Lutherum literis conquestum fuisse de istis seminibus sparsis, quo ipso confirmatur, Lutherum non ignorasse sententiam Philippi & Crucigeri, & tamen eos agnouisse pro fratribus.

Addit, consilium fuisse Lutheri, vt si venenum latius se diffunderet, abire ex his terris disseminatores istius iuberentur. Atqui parati erant vltro id facere, nisi Lutherus obstitisset, ac rectè quidem & prudenter. Nam & se & Philippum nouerat, præclareq́ intelligebat, se sine Philippo parem aduersarijs non futurum. Maluit igitur modesta vti dissimulatione, quàm vestra recens introducta proscriptione. Nam quod scribit, Lutherum metuisse ipsorum conscientiæ, valde ieiunum est. Quis enim non videt, meliore aliquem conscientia esse ijs in locis, vbi confessionis & fidei libertas conceditur, quàm in ijs vbi adimitur?

Scribit Lutherum Zelo iustissimo commotum etiam ipsum voluisse discedere Vuiteberga. Non hac de caussa mi Selneccere, sed propter laxationem disciplinæ, quam disciplinam initiò neglectam, postea obtinere non potuit. At vos obtinere poteratis, hoc præsertim magistratu, quē scimus modestiæ & honestatis esse amantem, nisi maior esset cura destruendi, quàm ædificandi.

Fol. 6. *Ait, Lutherum vestibulo sui Musei inscripsisse hæc verba; Nostri professores examinandi sunt de cœna Domini. Vtinam*

asscri-

asscriptum tum fuisset & hoc; Quia Lutherum examinarunt Heluetij, & quidem ita vt non admodum bellè in examine illo steterit.

Addit Lutherum ad Maiorem dixisse: Silentio tuo te ipsum reddis suspectum. Malè Lutherus, malè & vos, quibus statim hostis est, quicunque non furenter debacchatur in Sacramentarios.

Ait à Philippo fuisse repressas disputationes de controuersia Sacramentaria. Non reprimebat Philippus veritatem sed contentiones. Etsi fortasse hoc timidius, quàm pro rei magnitudine & Ecclesiarum salute.

Dicit etiam pastorem ac ministros Ecclesiæ Vvittenbergensis, clancularijs quorundam conatibus se opposuisse. Atqui illi ipsi rem tum non intelligebant, ac ex Lutheri autoritate pendebant.

Philippum paulò pòst appellare audet candidum & humanißimum pectus, quem modò vt audiuimus, sparsisse dixit semina sectarum, O osculum; scis cuius?

Addit Philippum neque in lectionibus, neq; in scriptis publicis patrocinium vllius dogmatis Sacramentarij suscepisse. Fol. 7. Hoc scilicet studio habebat Philippus, veritatis doctrinam, sine partium litigantium mentione, publicè tradere, ac quia prudentia excellebat, ideò erat timidior, &, in primis propter hypocritas cautior, quos non ignorabat cupidißimè ex hac ipsa controuersia occasiones turbandarum Ecclesiarum arrepturos esse. Docuit tamen eadem quæ nos: atque huius rei testes laudo Gallum Heshusium, Schmidlinum, & totam Flacciobrentianam cohortem, magis saltem ingenuè id fatentes, quàm Selneccerus negat. Respondisse ait Philippum magistratui, acquiescendum esse in doctrina Lutheri Catechetica: Sed non in vestris glossis, neq; in Vbiquitate, & scriptis Lutheri polemicis.

In Caluino scribit Philippum notasse quadam.fortè etiam aliqua in hoc ille. Ac,qua fuit summorum virorum humanitas,neuter procul dubio alterius censura offensus fuit, id quod ex epistolis videre est, vltrò citróq; missis. Doctrinam certè Caluini de cœna, de filio Dei, laudauit Philippus multis audientibus,qui etiamnum viuunt, testes quàm Selneccerus multò digniores fide.

Instructio Loseriana,quos Sacramentarios arguat alij viderint. Neque enim nos Christi corpus in cœna esse negamus, sed in pane negamus esse: Neque diuellimus Christum,etiamsi non eodem modo secundum vtranque naturam nobis eum adesse dicimus. Quis autem ex nostris tantùm spiritus κοινωνίαν in cœna fieri dixit, non etiam corporis & sanguinis? Vnius ex nostris testimonio contenti erimus. Sic enim Beza in epistolis; Certè verba illa:quod pro vobis traditur:&:qui pro vobis effunditur:necessariò huc te adigunt, vt de ipsamet corporis & sanguinis substantia intelligere cogaris.

Fol.104. Audiat,si vacat,ipsos Neostadianos. Sic enim illi: Per ea qua diximus,euanescit etiam illa calumnia, Nos veram præsentiam corporis Christi tantùm de Deitate intelligere. Atqui cum Christus panem & vinum non Deitatem,sed corpus & sanguinem suum esse dixerit, hinc intelligimus eum corporis & sanguinis sui, & mortis suæ, & nostræ in corpus ipsius insitionis Symbola hæc esse propriè & præcipuè voluisse. Atque hæc est κοινωνία de qua Paulus loquitur. Vnde rectè Cyrillus,nobis rationem coniunctionis non tantùm secundum Spiritum, sed etiam secundum carnem cum illo esse contendit. Valde igitur ineptè hæc Philippi breuis instructio contra nos adducitur:cui tamē si tan-
Fol. 8. tundem fidei haberemus, quantum ille priuatis Philippi epistolis à nostris editis,quis præter Selneccerum insectatione dignos nos censeret?

Eodem

Eodem modo, inquit, scripsit ad alios etiam Philippus. Quid tum postea? Nam ad plures alio modo scripsit, & quidem meliori. Priuatis epistolis à nostris collectis fidem habere non vult, quam libertatem petimus vt & nobis concedat in suis. Non vult in Philippo duplicitatem quærere, quasi duplicitas sit erroris correctio. Tu verò duplex es, mi Nicolaë, qui præ te fers studium vel voluntatem retinendæ doctrinæ Philippicæ, à qua δὶς διὰ πασῶν dissentis.

Addit Philippum ne à Caluino quidem adduci potuisse ad categoricam & publicam suæ sententiæ declarationem. Ergo à vobis dissensit, etiamsi oppugnare vos noluit, cum publicæ paci Ecclesiarum metuens, tum vestram crudelitatem perhorrescens.

Reliqua quæ adduntur nihil aliud quàm Philippi timiditatem indicant, vel altissimi ingenij εὐλάβειαν, qua fortasse ille prudentius vsus est quàm vtilius. Nam illa quæ ad Ecclesias Saxonicas scripsit Philippus, quid continent quod nobis aduersari videatur? Noster animus non est, inquit, aliam doctrinam accipiendi aut proponendi, quàm tantummodo perpetuam illam & vnam doctrinam, quam Deus Ecclesiæ suæ per vnigenitum filium suum patefecit, & quæ in Proph. & Apostol. scriptis comprehensa est. Piè hæc omnia dicta, & tam pro nobis quàm quæ maximè. quid addit? & in eo intellectu, qui in Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasij expressus est. Præclarè adhuc omnia. Sequitur: Cum quibus concordant Lutheri Catechismus & confessio, item Confessio Imperat. Augustæ exhibita Anno 1530. Hoc fulmen est, inquiet Selneccerus, quo perculsi Sacramentarij hiscere non audent. Imò hoc illos maximè vocales reddidit. Legat Dominus Superintendens, quæ Neostadiani de vera sententia Confessionis Augustanæ copiosè disputauerunt: legat, perlegat, & ordine absque iracundia refutet. Quòd si iam vera Augustanæ Confessionis sententia nostrarum Eccles. doctrina non repugnat,

non etiam repugnabit Catech. Lutheri & Confeß. Nam diuersum quid ab Augustana Confeßione in Lutheri Catechismo contineri, ne Selneccerus quidem ipse dixerit. Ac Philippus respexit ad fundamentum doctrinæ, quod in illis Lutheri libris continetur, non ad stipulas quæ alicubi admistæ sunt. Porro si vobis eam potestatem sumitis, vt cum exceptione corpus doctrinæ Philippi admittatis, secundum declarationem Lutheri; cur non etiam Philippo permittitis probare Catech. Lutheri & Articulos Smalcaldenses, secundum declarationem Scripturæ & suam? Opponat igitur hæc verba Philippi editis ipsius Epistolis, & lucrum inde ablatum domum secum asportet. Non enim ita insaniunt veritatis amantes, vt claris obscura præferant, ambigua certis & perspicuis. Ac sanè quid opus erat mentionem facere priuatarum epistolarum, cùm extent publica scripta Philippi, nostram sententiam palàm confirmantia, Commentarij in Epist. ad Corinth. ad Coloss. Articuli Bauarici &c. Neque tamen omnis fides abroganda priuatis epistolis. Sic enim & Ambrosij & Augustini & aliorum epistolæ abijciendæ essent: nam & illæ ad priuatos scriptæ sunt.

Vvestphalum vocat virum optimum & senem venerandum, quem scimus facem fuisse huius incendij, quo nunc conflagrant Ecclesiæ.

Fol. 9. Mentionem etiam facit Doctoris cuiusdam Morlini, qui Brunsuuigæ pro veritate propugnarit. Credo illum intelligi Morlinum, qui clamarit, Du must nicht sagen / Mum / Mum / Du must sagen was der Priester in der handt hat. Ex Landfranci fortè schola hic prodijt, ideóq; honoris caussa à Selneccero nominatur. Philippus patheticum eum Theologum appellauit.

Addit, in posteriore controuersia Bremæ exorta, potuisset Philippus &c. Potuisset inquit. Imò non poterat neque volebat etiam, multò minus debebat Philippus veritati contradicere, quam Hardenbergius defendebat, & adhuc defendunt istius

Ecclesiæ

Ecclesiæ ministri, vt fremant & minas spirent atrocissimas vicini ἀλάστορες. Dicit Philippum nimium fuisse deditum Hardenbergio, quasi ita insanierit Philippus, vt pluris fecerit Hardenbergium, quàm suam & Ecclesiæ Christi salutem, falsa in gratiam Hardenbergij defendendo. Addit Philippum Bremensibus respondisse verbis non satis dilucidis. quia scilicet non damnabant veritatem, non diris deuouebant Sacramentarios, ideo Selneccero obscura visa sunt.

Scribit Philippum non permissurum fuisse vt publicè partes Caluini defenderentur. Sed si quis tentasset, non prohibuisset, id quod sciunt ij, quos publicè veritatem profitentes confirmauit.

Dicit à Conyza profectum fuisse initium disputationum de communicatione Dialectica. Sed ipse se redarguit. Samosatenici enim, qualis Conyza fuit, negant communicationem idiomatum dialecticam: Brentianam verò realem concedunt; & sicut Vbiquitarij, huius solius ratione Christum volunt nominari Deum. Fol. 10.

Scribit Vviteberg. metuisse sibi opponi phrasin realis communicationis. q. verò Theologi Vviteberg. atq; adeo ipse Selneccerus realem communicationem in persona non probarint, eámque defenderint.

Explicationem Philippicam Epistolæ ad Coloss. veritati doctrinæ suæ obstare negat. Hîc ne lector decipiatur, monendus est de Selnecceri veritate, quæ talis est, vt per eam liberaliter concedatur, etiam duo contradictoria, sine ambiguitate intellecta, simul vera esse posse.

Philippi epistolam ad Elect. Palat. Fridericum, beatissimæ memoriæ, scriptam, breuem nominat & infaustam. Est quidem illa breuis, sed in ista breuitate luculentè vbiquitatem refutans: ideóq; illi & eius patronis infausta, nobis & veritati felicissima. Ad excusationem autem Eberi, quod attinet, qui ad vnum, secretò, nec vt vulgaretur scriptam fuisse dixit, est illa nimis frigi-

da. Scripta enim illa epistola fuit, non vt premeretur, sed vt secundum illam iudicaretur & ageretur in toto Palatinatu, & si per Philippum stetisset, in tota Germania. Hoc verò ridiculum, quod ait, miris dolis fuisse illam extortam. quis enim nisi amens credat dolis fuisse adductum Philippum, vt probaret manu & ore id, quod improbaret corde? Epistola ipsa satis refutat hoc Selnecceri mendacium.

Addit, Alioquin ista ἀνατολόγηλος perhibetur. Qua igitur conscientia Philippum in tuas partes trahis? Paulo Crellio similis similem vindictam expecta.

Fol. 11. Philippus in Actis Ratisbonensibus sic scripsit: Christus inquit, Accipite, manducate, Hoc est corpus meum, & deinde, Hic est sanguis meus: ideo fatemur in cœna Domini verè & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino exhiberi sumentibus.] Hæc putat rectè adduci contra nostros. Sed fallitur. Nam & illi dicunt verè & realiter corpus Christi in cœna præsens esse, & dari sumentibus: at non in pane, neque ori præsens esse, sed fidei, & omnibus quidem cum pane & vino sumendum offerri, sed solis fide sumentibus communicari. Philippus nullius oralis manducationis hoc quidem loco mentionem facit. Telum igitur hoc leuiter emissum, ne ad vmbonem quidem clypei peruenit. Addit etiam Irenæi dictum, credo vt nobis gratificetur. Quo enim dicto frequentius ad suæ sententiæ confirmationem, quàm hoc ipso nostri vtuntur?

Scripsit Philippus, inquit: Deo iuuante pium consensum in Ecclesijs nostris fideliter tueri volumus. Sed in eo consensu Philippus nunquam complexus est oralem manducationem.

Quæ paulò ante emigrationem suam Philippum scripsisse ait, quid contra nos? Neque enim in specie disertis verbis mentio controuersiæ Sacramentariæ facta est. Ac si, quemadmodum suprà est dictum, vera Augustanæ Confess. sententia nostræ doctrinæ non aduersatur, non etiam aduersabuntur Smalcal. articuli

ticuli dextrè & orthodoxè explicati. Hoc modo: panem & vinum in cœna dicunt esse verum corpus, hoc est, Sacramentum veri corporis, & non tantùm dari & sumi à pijs, sed etiam à malis Christianis, illud scilicet Sacramentum vel visibile signum. Sic nihil credo absurdi inculcatur. Nam si τὸ ῥητὸν vrgeas, & dicas panem esse verum corpus, in quæ castra tibi secedendum sit, etiam me tacente, ipse vides. Sed ita, inquies, tantùm signi fit mentio: Vbi igitur κοινωνία τοῦ σώματος? Ergo debebant loqui cum Irenæo, vt res dilucidè exponeretur. Exhiberi scilicet rem terrenam, panem & vinum, vt ore sumatur, exhiberi etiam rem cælestem, scilicet corpus & sanguinem, vt fide comedatur & hauriatur. Sic res esset & plana & expedita. Sed quorsum hæc tam multis? Insistendum nobis est vestigijs Selnecceri, qui magis laborat & occupatus est in autoritatibus humanis colligendis, quàm Scripturæ testimonijs. Accusat nostros, quòd Philippum faciant διπλοῦν ἄνθρωπον. Si mutatio sententiæ hominem reddit διπλοῦν, Selneccerum τριπλοῦν καὶ τετραπλοῦν iure nominare poterimus. Sed Philippus longè in hoc Selneccero felicior. Is enim falsitate abiecta, orthodoxam doctrinam amplexus est: Selneccerus veritate repudiata, ad errores desciuit. Atque idcircò hic cum Salomone, non autem Philippus conferendus erat. Ac si rectè Schmidelinum noui, citius iam Selneccerum cum Salomone comparauerit, quàm Philippum. Epitaphia carmina in obitum Philippi composita illorum exemplo, qui ædificabant monumenta prophetarum, quos patres ipsorum trucidauerant, Matth. 23. Luc. 11. ideo credo inseruit, vt ostenderet se non adeò ἄμουσον, vt vulgò habetur, vtque fieret δῆλον ὅτ' ἐν τᾷ γᾷ κἀυτός τις φαίνεται ἦμεν.

Sacramentariorum clandestinis molitionibus, mortuo Philippo, in aula obstitisse ait, amplissimum virum D. Nauium Archiatrum Electoris. Virum optimum fuisse Næuium, nemo est qui negat. Sed quia Philippus, Næuio vel par, vel maior omni Fol. 13.

virtutum genere, errare, etiam ipso Selneccero teste, potuit; qua fronte Nauium ab omni nauo & eodem lapsus periculo eximet? Si potuit labi Philippus, potuit & Nauius; Si Nauius, potuit etiam Selneccerus, vtroq; longè inferior; qui quantum in aula præstiterit, putat Deum tantum nouisse, cum norit conqueratur tota Germania. Sed dicat quæso D. Superintendens, quæ tandem fuerint clandestinæ illæ Sacramentariorum molitiones, quid spectarint potissimum. Nihil aliud credo, nisi (quod euentus docuit) vt homines ab vbiquitatis portento, & à reliquijs ἀρτολατρείας pontificiæ auocarentur. Hoc illud scelus est, tanta verborum atrocitate à Theologis exaggeratũ, atq; adeo inuidiosè, vt periculosa publici status conuersio subinde inculcaretur, quasi de summa Republica actum esset, nisi corpus filij Dei etiam in cantharis cereuisiarijs præsens statueretur, & impurissimo flagitiosorum hominũ ore manducari crederetur. His prodigiosis errorib. qui vel palàm, vel clàm obuiã ire voluerunt, eos posteritas, si qua futura est pia & erudita, non pœnis, sed præmijs dignos fuisse iudicabit.

A Nauio & se transit ad Vvinshemium qui si in Dialecticis prædicationem Sacramentalem eandem esse dixit cum hac; Homo est Deus; non inscitiæ eius (fuit enim vir doctissimus) sed inueterato errori asscribendum. Ac digna odio Selnecceri inhumanitas, qui maculam aspergit existimationi clarissimi viri, nullam aliã ob causam, nisi vt sub ipsius & aliorũ pelle suas auriculas occultet: quæ tamen tamdiu prominebunt, quamdiu personalem vnionem à Sacramentali discriminare non poterit. Fatetur ipse esse Sacramentalem vnionem; Ergo necesse est concedat esse etiam Sacramentalem locutionem, non inusitatam; quando exempla extant similia. Addit exemtas fuisse Sacramentales locutiones, ex merè figuratis. Ergo ex aliqua parte sunt figuratæ.

Dicit in Sacramentali phrasi singulas voces suam significationem propriam retinere. Concedimus: si ad copulam addat

Sacra

Sacramentaliter, mysticè, significatiuè, non substantialiter, naturaliter. Bucerus, inquit, scripsit, duas res exhiberi; Rectè: Sed non vtramq; ore accipi. Mentionem audet facere patrum, quos si in explicatione phraseon Sacramentalium, verbum Est propriè, id est, ὑπαρκτικῶς sumsisse probauerit, ne proscripti quidem spontè Germania cedemus.

Fatetur ipse veteres hac collatione vsos, vt ostenderent in neutra vnione vllam conuersionem naturarum fieri. Adducit etiam dictum Gelasij, quo panis dicitur transire in Diuinam naturam: num μετουσιώσει? Non opinor. Id enim Gelasij ipsius verba non concedunt. Ait enim naturam & substantiam panis esse non desinere, sed manere in suæ proprietate naturæ. Quid ergo restat, nisi vt transire in Diuinam substantiam intelligamus esse, per significationem coniungi cum diuina substantia? id enim antea non habuerunt, cum essent res profanæ. Atq; hæc est differentia inter vnionem personalem & Sacramentalem. In Christo duæ naturæ sine vlla conuersione vniuntur in hypostasi: in Sacramento panis & vinum cum corpore & sanguine per significationem: non vt Papistæ volunt, per conuersionem: non vt alij vel per inclusionem vel alligationem, vi verborum pronunciatorum, quemadmodum Selneccerus interpretatur, & vult panem Spiritus sancti operatione in Diuinam naturam transire, scilicet secundum institutionis verba: Hoc est corpus meum. Atqui ne Papista quidem dixerit, ita Symbola transire in diuinam substantiam, vt cum ea coniungantur in eadem hypostasi. Si igitur Sacramentalis vnio non est ὑποστατική, si non fit per conuersionem, si non per inclusionem, vel alligationem, vel consubstantiationem (nam hæc omnia ipse Selneccerus excludit) nos dum Selneccerus alium vnionis modum ostendet, interea panem & vinum cum corpore & sanguine per significationem Sacramentalem, hoc est, veracem atq; efficacem instar verbi Dei prædicati, coniungi statuemus, vt signum à Deo datum cum re sign

Fol. 14.

Fol. 187.

ficata. Atq; ita Gelasius se explicat scribens contra Eutychetem & Selnecceri figmenta: Transit in Diuinam virtutem panis, sicut imago in id quod repræsentat; sicut mysterium: Dicit Gelasius, panem esse imaginem corporis, Ergo: est: sumit pro significat. Sed vide egregium correctorem Gelasij. Gelasius ait panem esse imaginem corporis: Selneccerus addit de suo, non absentis. Addit mentionem fecisse Vuinshemium Synecdoches. Vbi igitur locus τῷ ῥητῷ? Vbi etiam communicationi Idiomatum in prædicatione Sacramentali?

Fol. 15. Paulò pòst scribit Vuinshemium se & Selneccerum par Hæreticorum appellasse. Videat D. Superintendens, ne tùm iocosè dicta, modò in rem seriam vertant. Ac ne nos simpliciores, quibus hoc scribit, erremus, explicet quid sibi hæc verba velint: Philippum voluisse non tantùm controuersiam istam planè & radicitus euulsam & remotam, sed etiam simul Pontificias missas hac ratione, cuius tamen defensionem ipse suscipere nollet, in vniuersum confundere. Ego, quid dicatur, me nescire ingenuè fateor: sensum tamen hunc esse suspicor; Philippum non tantùm epistola illa ad Elect. Palat. scripta, Vbiquitatis portentum voluisse tollere, sed omnem præsentiam corporis, quæ elementis tribueretur, siue illa μετουσίωσις nominaretur, siue συνουσίωσις, siue alia qualiscunq; vel occultatio vel alligatio. Cuius enim est hoc? Christus non adest propter panem, sed propter hominem. Ad Vuinshemium & Selneccerum accedit tertius, Diaconus quidam Vuitebergensis & nonnulli alij, quorum indicio Caluinismus tandem detectus sit. Si constaret Caluini doctrinam de cœna esse hæresin, non deessent qui Selneccero & alijs pro opera fideli præstita gratias agerent. Sed quia nostri suam confessionem orthodoxam esse asserunt, & demonstrant, ac multi in diuersis regnis, atq; adeò in ipsa Germania, viri intelligentes, boni, eruditi, rem ita se habere affirmant; fruatur sanè Selneccerus illa laude quam sibi arrogat, vt exterminator orthodoxæ veritatis dicatur.

tur. Non debebat D. Superintendens inuidiosa illa, & apud vulgus infamata Caluinismi appellatione, rudiorum præstinguere oculos, sed errorem quem nostri defenderent, indicare: Vbiquitatem scilicet carnis, ab ipsis reyci, & oralem eiusdem manducationem: quòd hæc facinus complectatur secundum Augustinum; illa omnes propemodum fidei articulos tollat.

Ait conuocatos esse aliquoties Theolog. vtriusq; Academiæ, ac plerunq; responsum lubricum, & in vtramq; partem flexibile & ambiguum datū. Insistebant scilicet vestigiys & verbis Philippi. Vera dicebant sine contrary damnatione, metu turbarum & vestræ crudelitatis. Idq; licet essent, inquit, qui monerent. Inter monitores illos procul dubio etiam Selneccerus fuit, qui ægrè tulerit in explicatione non addi, oraliter, labialiter, dentaliter; atq; hæ fuerunt mysticæ illæ subiectiones. O verè μύες nō μύσαι. Fol. 16.

Semper, inquit, prætendebatur, non aliam doctrinam, etiam de cœna Domini, sonare in publico, quàm quæ Diuinitus ex sacris literis ministerio Lutheri nobis reuelata & tradita esset. Quid autem hîc dictum falsi? Hoc enim responderunt Theologi, eam in Ecclesia, etiam de cœna Domini doctrinam, retineri, quam cum sacris literis congruentem Lutherus docuisset, vt cum scribit: In omni Sacramento est verbum promissionis diuinæ; sic in Sacramento panis datur corpus Christi in verbo istius promissionis: Accipite, manducate; Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, corpus Christi non tantùm pro alys, sed etiam pro se datum esse; vt verum sit illud: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat. Item: panis super altari tantùm est signum, sicut baptismus; & nihil prodest, nisi panis iam intus manducatus sit. Hæc & multa alia cum sacris literis conuenientia, in Ecclesiys retenta fuisse, quis est qui culpandum ducat? Quod igitur est peccatum Vvitebergensium? Non dubito, quin hæc mens sit omnium principum Christianorum, vt quicquid docetur cum

Tom. 2. Ienensi, lat. in assert. contra Bull. Leō. Fol. 311.

verbo Dei congruens, in Ecclesia autoritatē obtineat, à quocunq; sanè profectum: è contrario, exterminetur id, quod à veritate cælesti discrepat, etiam si ab Angelo, nedū à Luthero allatum fuerit. Atq; ita animatos esse statuo optimos quosq; ex principibus. Si me opinio fallit, nominet mihi Selneccerus illos, qui secus sentiant.

Sed iam tandem peruentum ad Neostadianos Theologos, qui publicè (inquit) edito scripto, confidenter, maliciosè, & calumniosè se opposuerunt nostrarum Ecclesiarum concordiæ. Confidentia Theologorum Neostadianorum, ex bona caussa orta, offendit Selneccerum. Indignantur Pontifices illi vocem aliquam emitti liberam, & reperiri in Germania angulum, ex quo reuerendi patres Bergenses sui officij & dilectionis Christianæ admoneantur, vt scilicet, antequam alios condemnent, ipsi se & suam doctrinam diligenter examinent. De malicia & calumnijs iudicent pij & æqui; ac si putauerint aliquid seuerius dictum, Selnecceriana, seu dudum illa, seu recens publicata, cum admonitione Neustadiana conferant. Deprehendent, sat scio, tantum interesse, quantum inter graues viri honesti obiurgationes, & maledica scurræ leuiculi conuitia. Non autem Theologi Neustadiani vestrarum Ecclesiarum concordiæ, quemadmodum scribis Selneccere, se opponunt; Sed decretis patrum Bergensium, quæ multi pij & docti viri etiam in vestris Ecclesijs improbant.

Secunda Recitatio. Fol.16.17.18.

Ad Alesij narrationem quod attinet, nihil aliud addo, quàm hoc; τοῦτο μὲν οὕτως ἐγένετο, κἂν μυριάκις τις ἀπιστήσῃ. *Animaduertenda autem hîc est arrogantia hominis vanißimi, in secunda Recitatione seu nugatione, eleuantis testimonium consulis Bremensis, viri grauißimi, qui si mendacio iuuaret Selnecceri caussam, vir sine controuersia esset optimus & fide dignißimus; nunc quia vera dicendo illam lædit, omnis fides ei derogatur. Sed non hæc ille solus testatur: Alij quoque adhuc viuunt honestißimi viri, in illis & alijs locis, qui hæc ita esse gesta diligenti inquisitione cogno-*

cognouerunt. Frustra igitur in hunc solum stringit aculeum odij sui venenatus iste vermiculus. Valde autem ridiculum est quod additur, disputationem Alesij & Sacramentariorum, contra Vbiquitatem Nudam & absolutam corporis Christi in omnibus locis, verbo expresso destitutam, nihil ad ipsos & Ecclesias ipsorum spectare. Fabricula credo secum ex Misnia vbiquitatem nudam & absolutam domum reduxit: Selneccero aliam vestitam & condemnatam reliquit. Quæ sunt hæ technæ, quæ ludibria, quæ præstigiæ? Duplicem facit Selneccerus corporis vbiquitatem, cum nequeat probare esse aliquam simplicem? Quid hoc rei est? Nudam & absolutam vbiquitatem dicit ad suas Ecclesias non pertinere? Atqui hanc Sueuicæ Ecclesiæ cum Schmidelino adorant. Hui quàm citò regnum hoc diuisum Amburet hoc, vbi resciuerit, Schmidelini corculum; & meritò; cum videat tot annorum labores, tot peregrinationes, tot excursiones, sine fructu abire, ac nympham suam, quam tot Sophismatibus fucauerit, vestierit, iam planè nudam destitui, ac supponi ei aliam quandam à Selneccero, cuius in primis opera, in comenda, ornanda & adducenda sua illa, iam despecta & neglecta, vsus fuerit. Ad responsum Philippi quod attinet, quo affirmauit se socium mansurum Ecclesiarum Saxonicarum; non inde sequitur, meo iudicio, Philippum etiam probasse næuos Ecclesiarum, etiamsi doctrinæ fundamentum non improbauerit. Quærit Selneccerus; Quæ hæc esset fides Philippi? Respondemus; coniuncta cum infirmitate & solicitudine de Ecclesiarum salute. Quærit vlterius; Qualem virum isti narratores nobis conficerent? Respondemus: Fidelem primò Ecclesiæ, qui noluit ignorare posteros iudicium Lutheri de suo certamine Sacramentario: Deinde miserum, qui impeditus tyrannide hypocritarum, non potuit tantum, quantum voluit. In Patria, vbi paulò pòst obijt, ait Lutherum conciones contra Sacramentarios habuisse: Caussam huius rei ipse Lutherus dixit, studium autoritatem suæ do-

ctrinæ tuendi. Sed quæso te Selneccere, si ex animo Lutherum amas, istis colligendis supersede, quæ infirmitatẽ eius, & in hoc negotio inconstantiam, & malè fundatam sermonis confidentiam, magis conspicuam omnibus reddunt. Ac fortasse ad nos non opus est istis inculcatis, qui tibi non plus credere debemus, quàm tu nobis. Ac vt credamus vera esse omnia quæ narras, non video tamen quid nostræ caussæ incommodent; quæ firmiore fundamento nititur, quàm vt hominum autoritate labefactari possit. Protestationes autem Lutheri, quas adiungis, verbo Dei destitutas, libenter condonamus vehementiæ & feruori eius, quo abreptus non rarò exorbitauit.

Fol. 20. Quæ de Alesio narrat, si ficta sunt, Selneccerum nihil iuuant: sin vera, nobis nihil obsunt, qui antea confessi fuimus, magnam esse etiam sanctissimorum interdum hominum infirmitatem, præsertim metu vel exilij, vel carceris impendente. Atque perterritum tum dixisse Alesium ista quæ recitantur, & publica actio, & scripti imprimendi suppressio satis magno argumento sunt. Et quidem ipsum Alesium, suam vocem hanc postea deplorasse, viri honesti & graues sunt qui affirmant.

Dicit non esse Doctoris sani & constantis, frigidum simul & calidum ex vno ore efflare, in re & doctrina fidem & salutẽ Christianam concernente. Quasi vero mutatio sententiæ deterioris in meliorem, vt leuitatis crimen perhorrescenda sit; ac labi, errare, nescire aliquid, in hominem non cadat. Vnde igitur existunt illa vetera? δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι: Discipulus est prioris posterior dies: πάμπαν δ' ἄμωμος οὔτις οὔτ' ἀκήριος: Vnde nata illa querela Sancti Basilij? Οὐκ ἀρνούμεθα μυρίοις σφάλμασιν ὑποκεῖσθαι ἄνθρωποι ὄντες καὶ ἐν σαρκὶ ζῶντες. Quis culpauit vnquam Solonis hoc? γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Quis Platonis sententiam, dicentis beatum esse cui etiam in senectute veras opiniones assequi contigerit? quis Nazianzeni; παιδεύεταί τι καὶ πολιά, καὶ οὐ πάντῃ τὸ γῆρας ὡς ἔοικεν εἰς σύνεσιν ἀξιόπιστον. Quis Terentianum hoc? Nunquam

quam ita quisq; bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui, aliquid moneat, vt illa, quæ credas scire, nescias, & quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies. Ac teste Cicerone, ex Philosophis optimus & grauißimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam atq; etiam esse discenda. Lutherus etsi eximias ingenij dotes habuit, non tamen crediderim omnes illas vno quasi momento diuinitus fuisse ei infusas, ita vt accessioni locus nō esset: imò facilè mihi aliquis persuaserit, extracto illi è profundißimo superstitionis Pontificiæ cœno, ad cucullum aliquid sordium adhæsisse, vt ostenderetur & Lutherum hominem esse. Præterea vt ad Selneccerum redeam, illa de quibus modò diximus, scribit valde imprudenter. Cum enim frequentißimæ ἀντιλογίαι in ipso Luthero, de grauißimis articulis reperiantur, non potest non ipse in Lutherum iniquißimus esse censor, magnum & sanctum virum dementiæ & leuitatis arguens, cuius nemo magis, quàm Selneccerus, se suspectum facit. Sed vt ad Alesium redeam, accusat hunc quoque leuitatis. Atqui Selneccere, non est leuitas veritatem dicere, neque etiam dißimulare in loco: Vbi autem professio necessaria est, eam reticere, est sæpè infirmitatis. Pono, inquit, tale aliquid vel dictum vel factum esse à Philippo, idq; affirmari à Sacramentario consule Bremensi; Quid hoc ad infringendam veritatem verborum Christi? Non ista, mi Nicolaë, narrantur à Neostadianis, ad infringendam veritatem verborum Christi; sed ad probandam in hac caussa, inconstantiam & infirmitatem Lutheri, quæ in Prophetam, qualem vos eum esse vultis, non cadit. Num, inquit, propter vnam atq; alteram dubitationem & lapsum Petri, renunciabimus ori, linguæ, voci Christi? quasi libri Eristici Lutheri sint ipsißima vox Christi, & non potius hominis, præstantis illius quidem, sed tamen hominis. Paulò pòst innuit, cōmemoratione ista de Luthero, lædi cineres & manes eorum qui obdormierunt. Sed veritatis confeßio neque viuentibus

neq; mortuis infamiam aliquam inurit, imò potius honorifica est: hoc verò viros excellentes tam in vita quàm in morte deformat, si periculo lapsus & imbecillitatis humanæ eximantur, Deoq; ipsi, qui solus est ἀναμάρτητος, exæquentur, & ipsorum infirmitates pro virtutibus, omnium oculis & auribus ingerantur; id quod à vobis fieri norunt, & deplorant omnes boni & cordati.

Paulò pòst monet vt ad verba Christi redeamus; quasi verò
Fo.21. *ab illis vnquam recesserimus, aut quemadmodum Selneccerus, violenta interpretatione & peregrina, ad sensum cum articulis fidei & doctrina Sacramentorum è diametro pugnantem, eandem detorserimus.*

Alesium sequitur Victorinus, quem vt arrogantem & ingratum vituperat (egregiè scilicet parcens cineribus viri clarißimi) quòd victus ille vi veritatis, conscientiæ rationem habuerit, refutationum superiorum nugis abiectis.

Addit suspensas fuisse & dilatas lectiones Victorini vsq; ad Electoris cognitionem. Hîc non obscurè inserit caussas, quæ obstiterint Philippo, quò minùs idem faceret quod Victorinus. Ad discesionem autem Victorini quod attinet, non tàm impatientiæ eius est asscribenda, ex interdictione profectæ, quàm formidini ex vestra humanitate conceptæ, à cuius complexu metuebat vt diuelli posset.

Victorinum sequitur Vuidebramus, non tantùm poëta,
Fol. 22. *vt Selneccerus loquitur, optimus, verùm etiam vir, & Theologus, multò quàm Selneccerus melior, quem eadem vis veritatis in castra nostra abripuit, oblitum concionis istius Lutheranæ, quam paulò antè Selneccero astante & gaudente habuerat. Addit: Hæc dum geruntur, ex Ducatu Brunsuicensi mittor ego. Habemus ergo hîc actorem primarum partium huius fabulæ, quem rogatum volumus, vt maiorem modestiam in actibus qui adhuc supersunt, præstet, quàm antehac factum est, ne Catastrophe & ipsi ignominiosa sit, & Ecclesiæ Christi detrimentosa.*

Iam

Iam à personis ad res delabitur, & suo more ingeniosè & eruditè de verbo δέξασθαι & versione Beziana disputat. Versionem Bezæ dicit esse ambiguam; quo quid absurdius? Versione enim illa ambiguitas quæ in phrasi erat, tollitur, vt pueri etiam 14. annorum animaduertere possunt. Quòd autem capi pro contineri exponitur & comprehendi certo cœli loco, id tam hæreticum non est, quàm fortassis ipse existimat; Si per certum locũ, aliquis cœli locus intelligatur. Sic enim Augustinus: Christus Iesus vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Idem in eadem ad Dardanum Epistola. Christum autẽ Dominum nostrum vnigenitum Dei filium æqualem patri, eundemq́; hominis filium, quo maior est pater, & vbiq; totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum: & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum. Addit versionem hanc pugnare cum proprietate sermonis, & articulo de ascensione Christi in cœlos. Cum ascensione pugnat, quia inquit: Christus cœlum ideò occupauit, vt ad dextram Dei consideret &c. Fatetur Christum occupasse cœlum, cur igitur negat illum cœlo capi? An homo qui ædes occupat, ijs non capitur? De sessione ad dextram suprà monuimus, vt consuleret Neostadianos. Restitutio autem omnium in die nouissimo, & promissionum impletio, cur Christo in cœlis regnanti denegetur, perquam scire velim. Num descendendum ei est in terram, vt promissionibus satisfaciat? Præterea cur Selneccerus hoc loco de promissionum impletione interpretans verba Pauli, ἀθετεῖ Magistri sui scholion, quo dicitur, Christum implere omnia carne, id est, humanitatis Christi omnia plena esse? Quid hoc morbi est? Adeòne homines tam breui temporis spacio, ex leuitate animi immutari, vt vix agnoscas eundem esse? Fol. 23.

Deindè, inquit, pugnat cum significatione verbi δέξασθαι. ac probat hoc duobus locis Scripturæ. 2. Corinth. 6. 2. Corinth. 8. quasi verò nostri negarint, verbum δέξασθαι vsurpari significatio- Fol. 24.

ne accipiendi, capiendi, recipiendi &c. Non tamen persuaserit mihi Selneccerus, Christum eodem modo cælum accepisse, quo fideles Dei gratiam. Ac quid vel disputatione vel dubitatione opus est, cum luculentus Lucæ verborum interpres sit eruditissimus & eloquentissimus Theologus Nazianzenus: Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως. Ac Oecumenius cælum nominat τοῦ ἀπεσταλμένου ὑποδοχὴν, receptaculum. Planè autem ineptum est, quod Selneccerus alibi respondet, allegari à Nazianzeno Arianorum verba. Quasi vero inter orthodoxos & Arianos controuersia fuerit de verbis, ὃν χρὴ οὐρανὸν δέξασθαι, ac non potius de regno Christi. Ac responsio Nazianzeni hunc ipsum locum egregiè illustrat: τὸ μετὰ τοῦτο δὲ, τί; λῆξαι τῆς βασιλείας ἢ τῶν οὐρανῶν ἀποστῆναι? Vides Selneccere, cælum à regno distingui. Num, inquit, deuictis hostibus regnare desinet, aut cælum deseret? Si cælo excessurus non est, quis non videt necesse esse vt cælo capiatur? Valeat igitur commentum illud putidum, quo fingitur, versionem illam cum significatione verbi pugnare.

Tertiò, ait versionem hanc esse contra Maiestatem & veritatem linguæ sacræ, quòd hæc ambiguis locutionibus non vtatur & ludat. Ambiguas inueniri phrases in sacris literis si negat Selneccerus, aliam nobis Grammaticã conscribat necesse est: Sed vti Scripturam illis phrasibus vt ludat, id verò cùm Selneccero pernegamus. Quòd si aliqua ambigua phrasis occurrit, tum de sensu eius ex præcedentibus & sequentibus disserendum. Id quod in hoc ipso loco vtiliter & necessariò fieri res ipsa docet. Petrus iubet populum conuerti ad Christum paulò antè ab ipsis crucifixum; Illicò occurrebat quæstio, vbi ergo is est? Respondet Petrus; eum in cælo esse donec redeat &c.

Vide Admonit. Neustad. fol. 90.

Postremò, inquit, est contra sententiam & fidem omnium sanorum, & contra glorificationem &c.

Multis hîc verbis vtitur, sed hoc vnum dicere vult; Versione

hac euerti vbiquitatis dogma, & corporis Christi ad panem præsentiam. Pulcerrimis enim illis nominibus glorificationis, exaltationis, euectionis, dextræ Dei, portenta hæc duo vestiuntur, vt vtriusq; deformitas tegatur, atq; ita vulgus præclarissimis illis appellationibus deceptum, figmenta cerebri humani, pro articulis fidei habeat. Quæ addit de localitate fixa, physica, immota Christi, vel ipse finxit, vel mutuatus est ex Flacianorũ tabernis. Quis enim vnquã nostrorum scripsit, Christum loco fixo & immoto & physico contineri? Ceterũ dolet D. Superintendenti, insimulari se & alios, quòd Christum in panem desuper euocent. Quid autẽ aliud agit vestra consecratio, quàm vt ad panem corpus Christi alliget? quod cum nos cælo capi credamus; cur non vobis præsentiam corporis ad panem statuentibus, euocationem eiusdem obijciamus, qualem cum Papistis facitis, qui vbiquitatem non adhibetis, quam vbiquitatem propter hoc absurdum effugiendum, vt procul dubio ex Schmidelino audiuisti, finxistis, malum malo sanantes.

Hæc, inquit, versio concitauit iustissimam indignationem Ecclesiarum Saxonicarum. O crudelem versionem, quam florentissimarum Academiarum euersio & vastitas consecuta est, omnem lapidem mouentibus Flacianis, quorum catalogum paulò pòst ponit, vt hac speciosa ad vulgus & nobilitatẽ criminatione oppressi Theologi, pœnas darent Christianæ παῤῥησίας, qua in confutandis delirijs Flacianis vsi fuerant. Sunt autem nimis inclementes Aristarchi Flaciani, qui nõ notam apponunt ad malam versionem, sed eos etiam qui vel imprudentes hac vsi fuerint, & carcere & exilio mulctant.

His ita expositis, festinat Selneccerus ad ea quæ vel maximum ei dolorem inusserunt, ac de editione στερεώματος (Grundtvest) conqueritur, adiuncto lepido & arguto multorum mendaciorum epigrammate. Non miror autem, libri illius publicatione Selneccerum & alios fuisse offensos, cum appareat & ipsum Fol. 25.

& consortes eius, in eo tot Scripturæ sacræ & antiquitatis testimonijs esse confixos, vt nisi errores agnoscant & abijciant, ipsi se non alios anathemate feriant ac condemnent necesse sit. Ne autem putet Selneccerus, se solum posse versus facere, ipsius Epigrammati hoc breue opponemus:

Hoc collabetur subita Stereoma ruina
Tum, cum verus homo desinet esse Deus.

Quid autem sibi velint ea quæ sequuntur, & inprimis locus Cypriani, in quo minarum, persecutionum, insidiarum fit mentio, non intelligo. Quem enim capti illi persequi potuerunt, cui in carcere minari, cui insidias struere? Ludit suis, quemadmodum consueuit, digressionibus. Sed hoc notatione dignum, Nostra, inquit, cum Cypriano Selneccerus, nihil interest, aut à quo aut quando perimamur. O præclarum martyrem Selneccerum, qui si quid adustionis sensit, sensit fortasse in auicularum & gallinarum diuulsione, aut si rotam extimuit, extimuit in curru sedens, ne illa fracta hic collaberetur. Nam gladios fulgentes, extra culinam, vix credam illum vidisse. Viuunt qui sciunt & audiuerunt ex Paulo Ebero, Georgio Maiore, & Paulo Crellio, quantam in veritate defendenda ad sanguinē & rogum vsq; fortitudinē iactauerint, antequàm venissent in aulam. Quid postea fecerint, omnibus notum est. Speramus Ebero & Maiori accidisse quod Petro. Selneccerus autem caueat sibi in tempore à Crellij martyrio. Conqueritur etiam de editione librorū Sacramentariorum, quæ Vvitebergæ procurata fuerit. Hoc verò ideò factum, vt veritas cum falsitate posset conferri, audita vtraq; parte, vtque non tantùm tui centones in tabernis appensi conspicerentur, verùm etiam aliorum scripta tuas nugas grauiter refutantia.

Fol. 28. Addit Stereoma illud oppugnatum esse à multis: à quibus autem? à fæce Flacciana, quæ in Ecclesijs quas recenset, subsedit; Ac tandem perfectum esse ait, inprimis Selneccero, credo, vrgente, vt Dresdæ aliquid conscriberetur, verbo Dei congruens,

gruens, vel potius, vt Selneccerus & alij loqui solent, bene Lutheranum (gut Lutherisch.) *In eo conuentu, ait præcipuos Superintendentes, qui scilicet Lutherum allegabant sine Scriptura, conquestos fuisse, se caput sine lingua habuisse; Verius dixissent, se linguam sine capite habuisse, cùm multa sint loquuti, pauca intellexerint. Laudat eorum constantiam, si pertinacia in errore, sine ratione, est constantia. Si affuisset tum Philippus, procul dubio insusurrasset eis hoc Creontis:*

Εἴ τοι νομίζεις κτῆμα τὴν αὐθαδίαν
Εἶναί τι τοῦ νοῦ χωρὶς, οὐκ ὀρθῶς φρονεῖς.

De Pfeffingeri consilio & admonitione alij iudicent, sed ita vt & hunc hominem fuisse fateantur, & à reliquijs superstitionum, quemadmodum omnes nouimus, non vsquequaq; repurgatum.

Iam peruentum ad Exegesin, cuius editio maturauit Academiæ mutationem. De ijs quæ acta, quæ responsa fuerint, credat quisq; quod verisimile esse duxerit. Theologos ait negasse Fol. 29.
se esse Sacramentarios. Negant etiam nostri. Non igitur nominis infamia nocere illis debuit, sed errorum, si quos fouerunt aut sparserunt, patrocinium. Sacramentarij si à Lutheranis, qui sic nominari volunt, intelliguntur omnes, qui de Sacramentis non rectè docent, vel sentiunt, Cur Theologi Vvitebergenses, cum sibi nullius erroris in hac parte doctrinæ conscij essent, Sacramentarios appellarent seipsi? Vbi igitur perfidiæ crimen? Vbi deceptionis? quanquam hoc in loco patrocinium Vvitebergensium suscipere mihi non est necesse. Potuit enim fieri, vt obrepente infirmitate metus carceris & exilij ea verba exprimeret, quorum deinde eos pœnituit.

Addit, Theologos Vvitebergenses, antequam planè dimitterentur, detentos fuisse: egregia μείωσις. *Sed mi Selneccere, nónne fuisset rectius, te ita potuisse scribere, Theologos Vvitebergenses ante dimißionem fuisse auditos, ad defensionem ad-*

missos, ex verbo Dei refutatos, conuictos, ac tum demum non cedentes veritati, fuisse detentos, vel, vt magis propriè loquar, in carcerem coniectos? Nam quòd paulò pòst dicetur, eos fuisse auditos, Vbi hoc factum? Quando, quomodo, à quibus? Viuunt ipsi qui testari possunt. Lege Bezelij Apologiam, & si audes, refuta.

Ac de subscriptione non est quod multa garrias. Pueri norunt, quibus artibus illa à singulis in carcere extorta fuerit. Quanquam hac in parte culpa omni, Theologi non vacant, quemadmodum liberè ipsi fatentur, neque excusant peccatum suum. Sed relinquātur ista, partim inania, partim ἀπροσδιόνυσα. Quid enim aliud continet scriptum Vviteberga publicè propositum, quàm petitionem, vt loquuntur, principij? Quis enim de pœna vel modo eius disputaret, si ostensum fuisset, aut adhuc ostendi posset, θανατηφόρα dogmata disseminata à Theologis fuisse, & pertinaciter defensa? Perquàm autem scire velim, quam gratiam autor illius scripti retulerit, à Schmidelino & Selneccero, qui ideo hoc inserendum curauit, vt paginarum multitudo augeretur.

Fol. 35. Nunc tandem ad arcem Lichtenbergiam accedamus cum luminaribus illis Germaniæ: in quibus D. Salmuthum conspectum esse, vt φιλοφίλιππον, doleo; reliqui ita inter se similes, vt virum à viro lectum dicas. Fuerunt autem, vt scribit Selneccerus, vndecim, ex factione Flaciobrentiana (exemplo scilicet Constantini & Theodosij) ad quos ipse duodecimus accesserit cum marsupio, vice coronidis. Ab hoc egregio sodalitio, exclusis à consi-
Fol. 36. 37. 38. lio, vt gloriatur hîc Selneccerus, Theologis, quos nominat Caluinianos, vt absentes neque auditi neque conuicti damnarentur nouis decretis, ad opus illud Concordiæ, sex patres Bergenses electi, qui quid præstiterint, ex sequentibus patebit. In responsione autem Theologorum ad ea, quæ tum proposita fuère, nihil aliud video actum & quæsitum esse, quàm hoc, vt Philippi scripta exterminarentur, & ipsorum loco Lutheri, magni illius Lutheri, sub-

substituerentur, atque ita, vt quidquid controuersum esset, ex illis decideretur. Nam quòd scriptorum Propheticorum & Apostolicorum mentionē inculcant, hoc tantùm dicis caussa faciunt; reuera Lutheri scripta, non sine contumelia nominis diuini, Sacris literis æquantes, immo quoties lubet, ijsdem præferentes. Etsi autem Theologi illi initio controuersias aliquot, quæ ventilentur inter Confeßionis Augustanæ socios, recensent, ex clausula tamen liquido patet, Reuerendos illos patres præcipuè ad opprimendos, quos vocant, Caluinistas, tum conuenisse, cui rei iamdudum aditum parauerat Schmidelinus; etsi Selneccerus tot annorum Apostolatum Vbiquitarium sui magistri, non sine animi ingrati nota, occultat. Sic autem aiunt: Restare iam aliud quiddam difficilius, & querelis & lacrymis dignum, de quo sine gemitibus & ingenti dolore verba facere ipsi nequeant, ac illud à Caluinismo ortum esse, qui in modum Serpentis & Draconis iubati in Ecclesias se intulisset. Debuissent Patres illi non tantùm nominis infamia illustrißimas aures percellere, verùm etiam rei & erroris demonstratione, cùm ipsum magistratum, tum alios ad vitandum Draconis istius iubati venenum, cautiores reddere, atque ad hunc modum verba facere: Est quoddam genus hominum, cùm in Germania, tum alibi, quod confitetur, Christum coæternum Dei filium, carnem verè humanam assumsisse, & in æternum retinere; eique carni omnes electos, vt mortis & vitæ eius fiant participes, per fidem & Spiritum sanctum oportere, tanquam membra capiti, & palmites viti, inseri & incorporari: atque huius non tantùm Spiritus, sed etiam carnis Christi communionis sacram cœnam Domini, esse omnibus fidelibus certißimū Symbolum ac testimonium: negat autem carnem eam Christi esse vbique: negat esse in cantharis cereuisiarijs, pomis, pyris &c: negat illam ipsam carnem ore corporis comedi: negat eandem dentibus atteri, quòd sola fide illa manducetur: atque ita negat, vt si non in publica aliqua Synodo falsißimè illa doceri demon-

Descriptio eorum quos Ubiquitarii falso Sacramentarios nominant

strauerit ex verbo Dei & antiquitatis pia & erudita consensu, se quouis supplicio dignum iudicet. Hoc igitur genus hominum è Germania exturbari petimus, hoc publica Imperij pace excludi rogamus. His verbis si Patres vsi fuissent, non quidem affirmare possum, quid tum futurum fuerit, hoc tamen dicere ausim, multorum animos ad moderatiora consilia traduci potuisse. Sed his omnibus omissis, quid tandem consilij dant? Se pro sua fide, quam Deo & inclito Electori debeant, consulere, vt obstacula ista remorantia consensum, sine mora auferantur: Obstare autem exoptato consensui libros, nouum Vvitebergensem Catechismum, & Stereoma. Hinc illæ lacrymæ. Hoc vrebat nonnullos, & inprimis Selneccerum, pio & graui illo scripto multarum hæreseon conuinci illos, qui carnis vbiquitatem defenderent, vel naturam humanam diuinæ exæquarent. Sed consilium Theologorum admodum, ne mentiar, puerile. Si enim aliquo posteritatis respectu mouerentur, facilè cogitare poterant, absque odio illam atque maleuolentia, de ijs, quæ acta, scripta, disputata essent, multò verius & rectius iudicaturam, quàm nunc plerique solent, huic vel illi parti addicti: Non respecturam illam quid Lipsiæ impressum, quid Vvitebergæ esset: Sed quid cum sacris literis, cum orthodoxo Ecclesiæ Catholicæ consensu conueniret. Quis dubitat idem ab Arianis, Eutychianis & alijs factitatum esse? vt scilicet aduersariorum scripta publicis magistratus edictis tanquam hæretica eijcerentur? Nihilominus tamen veritas pressa, respirauit, & cùm mortua esse crederetur, reuixit.
Fol. 39. Illustrissimum Principem Vvilhelmum, Hassiæ Landgrauium, ait, nominatim vocandos ad talem conuentum proposuisse Theologos: Doctorem Chemnicium, D. Chytreum, D. Marbachiū, & D. Iacobum Andreæ. Nobis cum Theologis res est, non cum principibus, quorum consilia recta & fuisse & esse credimus. Ac meliora de Theologis illis illustrissimum Landgrauium sperasse, res ipsa indicat, cum ipsius celsitudo, cognita eorum, quæ Patres

tres Bergenses Ecclesiis obtruderent, absurditate, semper à subscriptione auersum se ostenderit, & adhuc ostendat.

Hinc apparet, inquit in tertia Recitatione, quòd nullo fundamento nitantur rumusculi de priuatis consilijs Theologorum. Quasi vero conuentus 12. Theologorum in arce Lichtenbergia fuerit Concilium Oecumenicum. Atq; longè aliud, quàm tu recitas, ostendunt actiones Schmidelini: molitiones tot annorum: longè aliud consilium Bergense & Langsalzense: longè aliud conuentus Torgensis & Lichtenbergensis, & eorum decreta: longè aliud modus subscriptiones eliciendi & extorquendi: longè aliud testatur tota Germania: & quid multis? arguit te mendacij præfatio libri Concordiæ, in qua testantur, principes & ordines subscripti, quòd ab his Theologis admoniti de errore Sacramentario, persuasi sint ad negotium istud concordiæ sua autoritate promouendum. Reliqua suo tempore emergent & innotescent omnibus. Οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς οὐδ' ἐνιαυτοὺς. Tertia Recitatio.

Sacramentarij, inquit Selneccerus, nihil ad nos, nec ad concordiam institutam pertinent; nec requisiti, nec consilia eorum petita sunt. Quo igitur ore condemnas eos, nunquam auditos, nunquam erroris conuictos: cum requirendi sunt, nihil ad vos: at cum condemnandi & persequendi iniustè, multum ad vos pertinent. Sacramentarij, inquit, nihil ad nos. O vocem plenam inhumanitatis, Theologo indignam. Quæ est melior, inquit Cicero, in hominum genere natura, quàm eorum, qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur? Quæ pestilentior, dixerim ego, quàm eorum, qui se Ecclesiarum præsides, ad homines perdendos, expellendos, condemnandos, à Deo constitutos esse, existimant? Non latet Selneccerum, in diuersis Europæ regnis, atque adeo in ipsa Germania, multas esse myriadas eorum, qui hoc nomine infamentur, atque in ijs, viros nobilitate generis, virtute, eruditione excellentes: hos omnes ad Concordiam institutam non pertinere, qui dicere audet, hunc ego vel

iuratus affirmare ausim, ne scintillulam quidem veræ ac Christianæ dilectionis habere. πολλὰ δεῖ μεριμνῆσαι καὶ πολλὰς ἀγρύπνους νύκτας διενεγκεῖν, καὶ μετὰ πολλῶν δακρύων ἐκζητῆσαι παρὰ θεοῦ τὴν ἀλήθειαν, τὸν μέλλοντα φιλίας ἀδελφοῦ τέμνεσθαι: secundum doctissimum & sanctissimum Basilium. Sint sanè, quemadmodum clamitant, tot gentium doctores, suorum errorum pertinaces defensores; Num igitur tot auditorum, non sine præsente & vitæ & fortunarum discrimine, à Pastorum suorum ore pendentium, nulla habenda ratio? Atqui ij non ante credent à suis falsa doceri, quàm hoc ex verbo Dei demonstratum fuerit. Demonstrari autem sine legitima caussæ cognitione quî potest? Hîc videor mihi Selneccerum audire vociferantem ac dictitantem, nos frustra tergiuersari, cum aliquoties auditi fuerimus: semel in Hassia, iterum in Sueuia, tertiò in Palatinatu. Quid Marburgi actum, quid in Maulbrunnensi disceptatione, quid in Heidelbergensi disputatione, notum est omnibus. Valdè autem miror, harum rerum ab illis mentionem fieri, cum ne ipsi quidem ignorent, Illustrissimum & fortissimum principem Landgrauium Philippum, nunquam, vt leuissimè dicam, alienum fuisse ab Ecclesijs Helueticis, & sanctissimum Electorem Fridericum constanter in sua sententia, quam veram & orthodoxam esse sciret, permansisse; quorum beatissimæ memoriæ principum autoritatem opponi à nobis aliorum præiudicijs, qui tū interfuerunt, haud scio an iniquum non sit; præsertim cum nulli alij nos condemnarint & adhuc condemnent, nisi ij, quibus cum litigamus. Dicant, si possunt, quibus iudicibus vicerint: eos, credo, ipsos nominabunt, quos omnes fatentur, nostros & fuisse & esse aduersarios, quorum sententia, si verum est condemnari, non est, quod in posterum de Pontificiorum tyrannide conqueramur. Præterea valde bellum est, in Repub. ferri prætores & iudices, in Ecclesia nullum cognitioni locum relinqui, ac satis esse, si accusator reum ea, qua velit, pœna afficiat: cum cognitio, si vsquam necessaria est, maximè deside-

desideretur in his controuersijs, in quibus non honor, non fundus, non huius caducæ, sed æternæ vitæ hæreditas periclitatur. Explicet hic & excutiat Selneccerus intelligentiam suam, vt videat quæ sit forma & notio hominis Christiani. Accusabantur à Flaccianis Vvitebergenses Theologi corruptelarum in doctrina. Atqui ij erant viri boni, de Ecclesia bene meriti, multis virtutibus ornati. Cur non Selneccero & alijs in mentem veniebat, viros illos, quorum hactenus industria, fides, eruditio & perspecta & laudata esset ab omnibus, non sine graui caussa, aliquid in doctrina correxisse; diligentius igitur in dogmata, quæ proposuissent, inquirendum, nec iudicium, sine accurata cognitione, & ad regulam verbi diuini examinatione, temere præcipitandum de condiscipulis, quos par erat ab errore argumentis reuocare, non ad παλινῳδίαν terrore periculorum iniecto adigere. Cum de paricidis vel sicarijs sententia capitalis ferenda est, non ante ad pronunciationem eius descenditur, quàm iurisconsultorum responsa à magistratu requisita, & diligenter lecta ponderatáq; fuerint, ac tùm demum non sine suspirijs & gemitu, prætores legibus morem gerunt, vt videantur necessitate impulsi, non sua aliqua voluptate adducti, ad condemnationem accessisse. Quo maiore studio & cura, Basilius ait, & cum pluribus deliberatione opus est ei, qui amicitiæ fraternæ diuturnitate temporis confirmatæ, renunciare vult, & vinculum coniunctionis Christianæ rumpere. In hoc autem negotio valdè hærebit posteritas, cum Selneccerus ea tantùm, contra historiæ leges, referat, quæ à suis acta sint, callidè reticeat, illa quæ ab aduersarijs responsa fuerint: quibus cùm nihil aliud obiectum esse deprehendent, quàm Caluinismum, id est, vbiquitatis & oralis manducationis oppugnationem, non sine tristi admiratione de inhumanis Theologorum actionibus liberè conquerentur. Edidit nuper adeo D. Pezelius Apologiam, importunitate hominum maledicorum etiam inuito extortam, in qua perspicuè ostenditur, modum illum agen-

Basilius

di talem fuisse, qualem Neostadiani exposuerunt. Obtestati sunt per Dei gloriam & salutem Ecclesiarum Theologos, à quibus articuli Torgenses fuerant conscripti, vt amica & fraterna admissa disceptatione, seriò de sopienda vel prorsus tollenda controuersia hac in primis propter posteritatem cogitarent: ad æquissima hæc postulata, imò preces humilimas quid responsum? hoc scilicet, non disputandi caussa illos aduocatos, sed subscribendi. Quid aliud audirent nostri à patribus Tridentinis?

Atqui in rebus & deliberationibus grauibus non videndum tantùm, quid huic aut illi placeat vel displiceat: Sed multò magis respiciendum ad posteritatem: cuius iudicium qui non extimescit, non admodum etiam curare videtur, quid se mortuo illa futurum sit; quo, quid homine, nedum Theologo indignius? Quid enim crudelius illa voce? ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Sed quàm futile hoc est, quòd paulò antè Christianam & Lutheranam doctrinam facit ἀντιστρέφοντα & ἰσοδύναμα? Ergo nihil Selneccero Christianum, quod non est Lutheranum? Quantum igitur differs ab ijs, quibus nihil Christianum est, nisi quod Romanense sit. Lutherus ipse sic delirantes dicit esse fatuos, inter quos, si nunc viueret, haud dubie Selneccerum Coryphæum faceret. Fol. 40. Quàm enim insulsum, quòd nullos alios agnoscit Ecclesiæ Catholicæ ciues, nisi qui nomina sua Augustanæ Confessioni dederint. Atque hîc quæro ex Selneccero, quî fiat vt nos Sacramentarios & Caluinianos vocet, & excludat à societate Ecclesiæ, cùm eandem Augustanam Confessionem libenter amplectamur? Respondebit credo: Quia non subscribitis libro Bergensi. At Sacramentarij isti non ita insaniunt, vt pro ijs, quæ in Augustana Confessione rectè & orthodoxè explicata sunt, sibi obtrudi patiantur alia, quæ & à verbo Dei, & ab ipsa confessione dissentiant.

Reliquiæ, inquit, dissensionum, cum præsentes essent & primatum tenerent Sacramentarij, tolli non poterant. Hoc illud erat,

rat, quod vulgus adhuc latet. Hoc erat illud egregium mutationis πρόσχημα, principatum & dominatum Sacramentariorum euertere. De quo primatu loquatur, equidem dubito, laborum ne an honorum. Si laborum primatum intelligit, quæ hæc est animi peruersitas, inuidere alijs, id, quod tu vel nolis vel nequeas præstare? Sin de primatu honorum loquitur, sponte, credo, illos cessuros fuisse, si saltem admonerentur, Selneccerum & Sagittarium illo esse digniores. Restat credo tertius primatus, sanciendi noua dogmata. Hunc Vvitebergenses nunquam vsurparunt, vos audacissimè vsurpatis illis expulsis, quos, vestris conatibus obuiam ituros esse, præclarè sciebatis: ideóque illorum consilium sequebamini, qui dicebant: Quid faciemus? nam hic homo multa signa edit. Si ita sinamus eum, omnes ei credent, venientque Romani & delebunt tum locum nostrum tum gentem.

Scribit Selneccerus, Sacramentarios alias vias ad concordiam, per, nescio, quas vniuersales Synodos præscribere. Cur igitur Theodosij exemplum laudat, ac imitationem eiusdem prædicat? Non pudet Theologos effutire, & chartis illinere ea quæ non possunt non insanorum hominum, etiam à nobis alienorum, animaduersiones incurrere? Si generales Synodos improbat, procul dubio etiam improbabit Oecumenicas, improbabit Nicenam, improbabit Constantinopolitanam, improbabit Chalcedonensem, & hanc vel maximè, vt & Constantinopolitanam tertiam, propter caussas Selneccero non ignotas. Qua de caussa autem Selneccerus generales Synodos repudiet, καὶ τυφλῷ φασὶ δῆλον. Conuenirent enim plures quàm sex, & non tantùm Flacciani, verùm etiam Caluiniani, non tantùm Lutheri, sed etiam Philippi discipuli: & conuenirent non ad imperandum, sed ad disputandum, non ad condemnandum, sed ad conuincendum. Atque ita Patres Bergenses non præscribere iuberentur, quid alijs credendum esset, sed ipsi rationem reddere dogmatum suorum absurdorum cogerentur. Quæ ratio, non mirum, si Selneccero dis-

plicet: Sed non displicebat olim Basilio, qui ab aduersarijs accusatus, ad publicam Synodum prouocabat: ἀλλ' εἰσὶν, *inquit,* ἐπίσκοποι, κληθῶσιν εἰς ἀκρόασιν. ἔστι κλῆρος κατὰ πᾶσαν τοῦ θεοῦ παροικίαν. συναχθήτωσαν οἱ δοκιμώτατοι, λεγέτω μετὰ παρρησίας ὁ βουλόμενος, ἵνα ἔλεγχος ᾖ τὸ γινόμενον, μὴ λοιδορία. ὑπ' ὄψιν ἀγέτω τὰ λανθάνοντά μου πονηρίας. μισείτω δὲ μηδὲ τότε, ἀλλὰ νουθετείτω ὡς ἀδελφόν: *Id est: Sunt Episcopi, vocentur ad audiendum. Sunt in omnibus Dei Ecclesijs Pastores. Congregentur ex illis spectatissimi quique, dicat qui velit, liberè, ita vt argumentis res agatur, non conuitijs, producat in lucem, & omnibus conspiciendam præbeat erroris prauitatem, si qua in me latet, ac ne tum quidem me odio prosequatur, sed vt fratrem moneat. Sed de Synodis in admonitione Neostadiensi eruditè & piè disputatum est: ad quæ Selneccerus ne* γρῦ *quidem, leuiore opera putans aliorum scripta posse compilari publicaríque, quàm domi noua elaborari. Scribit à Sacramentarijs oppugnari salutare Electoris consilium. Sed splendidè mentitur. Nostri enim non illustrißimi Electoris consilium, sed fraudes Theologorum impugnant, mendacia & errores impugnant. Non dubito quin omnium principum consilium hoc fuerit, vt conscriberetur à Theologis eiusmodi concordiæ formula, quæ ex verbo Dei extructa, ad societatem Augustanæ confeßionis alliceret (si fieri posset) quicquid Ecclesiarum orthodoxarum esset in toto orbe terrarum. Hoc enim verè heroicum est, non vni genti, sed omnibus prodesse velle. Neget Selneccerus me falsa suspicari de illustrißimis principibus. Neget & probet. Hoc maximè salutare consilium, qui à concordia ad maiores quàm antehàc vnquam fuerunt, distractiones auerterunt, falsißimas assuendo ad Augustanam Confeßionem interpretationes, cum illis Neostadiani litigant, non cum principibus.*

Addit, Sacramentarios semper se declarasse Ecclesiarum Saxonicarum hostes. Quis ex nostris post obitum Lutheri Ecclesias illustrißimi Electoris Saxoniæ, vel verbulo laceßiuit? Quid

vnquam

vnquam librorum vel Geneua, vel Heidelberga, vel aliunde prodijt, quo Vvitebergenses & Lipsenses Academiæ atque Ecclesiæ cum his coniunctæ appeterentur? Respondeat D. Superintendens, atq; ita respondeat ne mentiatur.

Non de Sacramentarijs, inquit, agitur, sed de Theologis & Ecclesijs fideliter Augustanam Confessionem amplectentibus. Quasi vero ideo ab Augustana Confessione arcendi sint illi, qui ex Lutheri discrepantibus opinionibus eam eligunt, quæ cum vera Augustanæ Confessionis sententia concinat; cum vera, inquam, non detorta, aut perperàm exposita. Nostris enim non cum Augustana Confessione, sed cum quibusdam Theologis malè illam interpretantibus, dissidium esse, tàm solidè, cùm ab alijs, tùm in Admonitione Neostad. ostensum est, vt ab aduersarijs hactenus (licet enim ipsis Neostadianorũ verbis vti) ne tentata quidem fuerit refutatio, vtpote quam adeo desperatam esse vident, vt ne colorem quidem eius vllis Sophismatum præstigijs queant oculis hominum obijcere: Ideóque non melius, quàm silentio, & scriptorum, hoc apertissimè confirmantium oppressione, se tegere hoc suum vulnus posse existiment.

Agitur, inquit, de Theologis & Ecclesijs Augustanam Confessionem FIDELITER amplectentibus: hoc est, vt Selneccerus fortasse interpretatur, qui cum Papistis dicunt, verum Christi corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini ore comedi ac bibi. Quid fiet autem Vbiquitarijs? Num illi fideliter amplectuntur Confessionem Augustanam, qui dogma Augustanæ Confessioni ignotum defendunt? ostendant vnum apicem in Augustana Confessione de vbiquitate, & triumphent.

Paulò pòst attexit nescio quid de intimatione quadam, Fol. 41. cuius erratum Crellius distinctione Grammatica correxerit. De Crellio mortuo in præsentia nihil: Alio tempore fortaßè & de illo ipso aliquid dicetur, vbi resciero, quid eum Vviteberga Misenam retraxerit. Nam sine graui caussa eum à possessionibus

suis alio commigrasse non facilè crediderim. Intereà igitur dum certi aliquid habuero, Crellius requiescat. Quæsitum esse ait ex Crellio Selneccerus, num Vuitebergæ doceretur, Christum exaltatum esse secundum vtramque naturam. De Crellij affirmatione nihil dicimus. Hoc tantùm monemus, Deum exaltari patefactione maiestatis suæ, de qua exaltatione sæpe numero in Scriptura dicitur: vt Psal. 57. Exaltare super cælos Deus. Item 97. Valde exaltatus es &c. Atque hæc exaltatio fit sine incremento & mutatione vlla Deitatis. Creatura autem exaltatur incremento donorum quæ accipit à Deo. Glorificatur ergo Christus & exaltatur secundum vtramque naturam, sed diuersissima ratione.

Quomodo Christus secundum utramque naturam exaltatus sit.

Post catastrophen, inquit, alia sequuta esse: Quasi vero καταςροφὴ adhuc non expectetur: quæ qualis futura sit, Deo credo soli notum est. Versamur in Epitasi. Sed cum Selneccero loquamur. Post catastrophen igitur conuocationis Lichtenbergensis, quid fit? In proscenium educitur clarissimus & doctissimus Theologus Andreas Freihubius, qui, vt Selneccerus ait, ad conferendum cum ipso, sed reuera ad imperandū, vt veteres loquebantur, id est, ad parendum Theologorum mandatis, euocatus Torgam, subscripsit metu carceris, quem effugere tamen non potuit, capitibus, quæ à Selneccero recensentur. Atque hîc apparuit verè dictum fuisse à Cicerone illud: Metus malus custos diuturnitatis. Freihubius enim vix elapsus è Theologorum manibus, simul atq; Lipsiam rediјt, ea quæ vera esse sciret, reiecta falsitate publicè docuit.

Fol. 42. Capita illa, quibus subscribendum fuit, & alia inepta & putida Emblemata, ad molem libri augendam inserta, vna cum Epistola Crellij, tantundem faciunt ad refutandos Neostadianos, quantum prærogatiuæ à Selneccero collectæ ad probandam vbiquitatem, aut Theses Vicecancellarij Lipsiensis, qui neque nostrorum, neq; Scholasticorum doctrinam rectè intelligit, cum vtrisq;

damna-

damnatis dicat, diuinam maiestatem, id est, Deitatem ipsam, communicari, hoc est, vniri carni realiter ac personaliter: vel vt Athanasius loquitur, τῇ τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως οἰκονομίᾳ. Quis enim ex nostris, vel Scholasticis aliter sensit? Videat igitur hic vicem vel vitio Concellarius, ne sibi ipse cancellos circumdet, è quibus egredi deinceps nequeat. Negat duplicem esse maiestatem. quasi naturæ humanæ eadem maiestas sit, quæ diuinæ, & creatura creatori æquari possit: Imò, quasi creata & increata maiestas eadem sit. Sed cum hoc Vicecancellario, tùm disputabimus, vbi quæ sit inter ἕνωσιν & περιχώρησιν differentia didicerit. Iam ad Selneccerum nostrum reuertemur.

Duplex maiestas.

In capitibus Freihubio propositis & hoc est: Diuinam naturam non indigere exaltatione. Concedimus: Sed in Christo requirebat altitudinis suæ manifestationem.

Addit Selneccerus αἰτιολογίαν: Quia ipsa est dextera Dei. Respondeo: Ipsa est dextra Dei exaltans, sed non ad quam fit exaltatio. Hæc enim est officium & dignitas personæ Christi, & gloria ac maiestas visibilis, quæ maiestatem Deitatis ipsius inuisibilem in omnium creaturarum conspectu testatur. Actor. 7.

De secundo, inquit, credimus & confitemur, exaltationem illa comprehendi diuinæ naturæ proprietates συγκοινωνήτας. Hæ autem communicantur personæ, id est, homini, non humanitati. Officium enim & dignitas sunt vtriusque naturæ, secundum vtriusque proprietates. Sicut sensus & sensum comitantia, sunt totius animalis, sine corporis & animæ & proprietatum vtriusque essentialium confusione. Dicit gloriam, maiestatem, potentiam diuinam, humanæ naturæ Christi realiter communicari: Atqui personæ istius hominis competunt realiter; naturæ autem humanæ realiter, quatenus creaturæ conueniunt; titulotenus autem, quatenus Deitatis propria sunt: Titulo autem non inani, sed significante vnionem carnis cum Deitate, non exæquationem.

Reÿcimus, inquit, locutiones, quibus asseritur, humanam Christi naturam exaltatam tantùm esse ad officia regia & sacerdotalia. Imò nos credimus eam etiam exaltatam esse ad vnionem personalem cum λόγῳ, eiúsque per visibilem gloriam & donorum excellentiam, manifestationem.

Addit, nos docere, Christi naturam humanam non aliter participem naturæ diuinæ fieri, quàm sicut Petrus ait de nobis, quòd fiamus κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως. Insignis hæc est calumnia. Differt Christi humanitas à nobis donorum numero & gradu, differt vnione cum deitate, differt officio. Huic calumniæ addit aliam: Ait enim à nobis dicta patrum, quæ de exaltatione humanæ naturæ in Christo loquuntur, accipi tantùm secundum communicationem idiomatum. Quæ enim de proprietatibus diuinis hominis loquuntur, ea sunt vera communicatione idiomatum: quæ verò de carnis glorificatione & maiestate dicuntur; sine tropo intelligenda esse dicimus.

Fol. 43. *Sequitur calumnia tertia. Dicit nos docere, humanam Christi naturam non plus accepisse, quàm ad officium iudiciale pertinet: Imò accepit quidquid ad iudicis & mediatoris officium & gloriā pertinet. Subiungit è vestigio quartam, vbi dicit, asseri à nobis, nihil datum esse naturæ humanæ, quod physicas proprietates superet. Imò libenter fatemur, multas ei etiā hyperphysicas datas esse, sed non ἀντιφυσικάς, quæ scilicet naturam humanam destruant & aboleant.*

Dicit à nobis asseri: Carnem Christi non esse viuificam neque adorabilem: Sed omittit id quod à nobis additur: Homo quidem, sed non caro huius hominis, eo modo quo Deitas viuificat & adoratur: Et tamen caro suas etiam partes habet in hoc officio viuificationis, & honore adorationis. Vna enim λατρείᾳ colitur vnus Christus. Nondū ne satis confirmat Selneccerus querelas Admonitionis Neustadianæ de calumnÿs Bergensium? Credimus, inquit, & confitemur, posse etiam Christum suo corpore

esse vbicunque velit. Mala hæc conscientiæ nota. Non audetis dicere, esse eum corpore suo vbique, cum ad rem peruentum est. Sed neutro modo proficitis: neque enim est, neque esse potest simul & semel caro in pluribus locis; quia non potest simul esse caro & non caro. Esse potest, inquit, vbicunque vult. Sed vult vno tempore tantùm vno loco esse suo corpore, contrarium probabit Selneccerus ad calendas Græcas.

Addit, Christum corpore suo adesse, quocunque se verbo suo & promissione alligauit. Promisit autem se vsque ad reditum suum fore sursum in cælo: Non igitur quærendus in pane, in eo enim se fore, nusquam promisit.

Dicit; Credimus nos personam Christi nusquam esse sine assumta sua humana natura. Ambiguè hæc dicuntur. λόγος enim nusquam est sine natura humana, nempe sibi vnita: Et est alicubi sine ea, videlicet substantialiter præsente vbicunque est Deitas.

Addit, Christum posse esse corpore suo tribus modis. Hoc tum credemus, vbi probauerit, Deum sibi ipsum contradicere, id est, mentiri posse.

Penetrationem ianuarum clausarum ex Scriptura nondum probauit, ac vt probet, nihil tamen hæc ad vbiquitatem. Ἄφαντος, inquit, factus est: Quid ad rem? Non videbatur, etiamsi natura erat visibilis. Caussa enim erat in oculis discipulorum, qui tenebantur, non in corpore Christi, quod palpabile & visibile manebat, & his proprietatibus essentialibus semper differt à Spiritu. Luc. 24. Atque vt concedatur fuisse corpus inuisibile, ne sic tamen quidem obtineri poterit vbiquitas.

Subiungit, Christum posse esse suo corpore vbi vult, modo etiam maiestatis diuinæ, excedente omnium creaturarum intellectum. Si addidisset, & veritatem omnem, nihil omissum esset. Excedente, inquit, modo, omnia loca locorum, in secula seculorum: veritus videtur Amen accinere, admonitus fortè à con-

ſcientia ſua, ſi quam habet reliquam, metuente ne verum non ſit quod ſcribitur.

Reÿcimus, inquit, locutiones & opiniones, quæ fingunt, Chriſtum corporali locatione tantùm in vno loco cæli eſſe, & alibi corpore ſuo eſſe non poſſe. Inſidioſè. Dicimus enim vno tempore pluribus locis eſſe non poſſe, quàm vno, in quocunque cæli aut terræ loco vult.

Reÿcimus, inquit, negantes, Chriſti corpus & ſanguinem non adeſſe verè & ſubſtantialiter in cœna. Calumniare audacter, mi Selneccere. Quis enim ex noſtris negauit corpus Chriſti eſſe in cœna, etiamſi non ſit in pane?

Reÿcimus, inquit, locutiones, quibus dicitur, Chriſtum Eccleſiæ adeſſe non ſecundum humanam naturam, ſed ſolummodò ſecundum diuinam naturam. Imò adeſt etiam ſecundum humanam naturam, ſed ſpiritualiter, ſicut caput membris, ſubſtantialiter autem in omnibus locis & rebus præſens ſecundum carnem ſuam non eſt. Locutionum enim reiectionem Selneccerianam non admodum curamus, cum ſciamus approbari illas & à Scriptura & à veteri Eccleſia.

Reÿcit idem locutionem, qua dicitur, manducationem corporis eſſe ſpiritualem & non eſſe corporalem, ſecundum verba inſtitutionis. Fol. 44. *Item indignos non accipere verum corpus Chriſti. Sed quæſo te Selneccere, vbi verba inſtitutionis dicunt eſſe corporalem, id eſt, Oralem manducationem? Vbi item Scriptura dicit, indignos accipere verum corpus, quod tu affirmas?*

His omnibus abſolutis inſerit exemplum ſcripti D. Pauli Crellÿ; quo conſilio, ego diſpicere nequeo. Vnus ex familiaribus meis ſuſpicabatur, hoc ideo factum, vt ne quis exiſtimaret, Crellium propter Vbiquitatis improbationem Vvitebergæ excedere iuſſum, cum illa ſatis luculenter hoc ipſo ſcripto defendatur, quod breuiter percurremus, non vt cum manibus mortuorum luctemur, ſed cum Selneccero, qui Crellÿ ſcriptum ſuum eſſe ducit.

Dicit

Dicit Crellius, vel potius Selneccerus: non omnia quæ etiam licent, expediunt. Rectè sanè. Neq; enim vobis expedit & vestræ pontificiali dignitati veritatis assertio, etiamsi vel idiotis illa concessa & præcepta sit à Deo.

Addit, Martini Lutheri se ductum & autoritatem in omnibus doctrinæ partibus reuerenter ac piè sequi. At nos, mi Nicolae, ductum & autoritatem Pastoris nostri & vnius Magistri in cælis sequimur, qui est Christus, in quem quicunque incurrunt, cornua sua frangant necesse est. Fol. 45.

Ait, articulos de vnione duarum naturarum & de sessione ad dexteram Patris, à Sacramentarijs fuisse contaminatos ac deprauatos. Imò, mi Paule, illustrati fuerunt & correcti à nostris, vt testari possunt & testantur omnes boni & eruditi in Ecclesia Christi, & testabitur paulò pòst posteritas, quæ collatis vtriusque partis scriptis, facilè deprehendet, qui Sophistæ fuerint, quique domesticos & in eâdem caussa coniunctos oppugnarint.

Ait, à nobis iugulari Lutherum. Is verò à nobis minimè iugulatur, etiamsi iuguletur ipsius phantasia de cæna Domini, ex lacunis pontificiorum hausta.

Addit, fundamentum Lutheri esse firmum immotúmq;: 1.
Quòd ex vnione duarum naturarum hypostatica vbiquitatem carnis colligit. Sed hoc valde putridum: Vniri enim Deitati, non est ei æquari.

Quòd eandem ex sessione ad dexteram patris vult elicere: nullius momenti & hoc: Quia sessio ad dexteram, non est vbiquitas carnis. Etsi enim, vt ipse loquitur, cum Deo λόγῳ vnũ esse ὑφιστάμενον, non est situ ac loco physico circumscribi: idem tamen non est etiam non circumscribi. Est enim idem filius Dei & ἀπερίγραπτος & περίγραπτος, secundum naturas diuersas. Idem etiam de sessione respondendum. Etsi enim illa non est loco physico capi, contineri aut concludi, aut situari: hæc tamen propria 2.

natura carnis, non adimit ei sessio ad dexteram: vt neque nobis localitatem, cælestis auferet gloria.

Fol. 46. Addit, vnionem ita factam, vt essent ipsarum naturarum propria κοινωνητά. Sed omittit; in concreto: In abstracto enim neutiquam hoc dederimus: vt neque hoc; ἰδιωμάτων κοινωνίαν realem fieri, saluis vtriusque naturæ naturalibus & essentialibus proprietatibus. Neque enim humana natura omnipræsens esse potest, salua sua essentiali proprietate, quæ est, vno tempore vno tantùm loco existere.

Scribit, rectè ex vnione Lutherum ratiocinari, Christum Deum & hominem vbique totum esse ac indiuisum. Et nos ita ratiocinamur. Non autem hinc sequitur, quicquid in Christo est, esse vbique. Non etiam separatur à carne λόγος, etiamsi extra carnem & in carne simul existat.

Addit, Christum Deum & hominem vbique totum esse & indiuisum, non verbotenus &c. Rectè: homo est vbique, sed non humanitas. Ac separationis metu vel diuisionis non est quod terreatur. Neque enim λόγος potest diuidi loco à natura humana, cum vbique sit, ac proinde, vbicunque est, simul totus & idem in sua carne sit.

Clamat, nullo modo corpus Christi ad dexteram patris subuectum ac collocatum, vno aliquo certo loco cæli includendum esse. Concedimus hoc; ratione sessionis ad dextram: at loco continetur, ratione veri corporis, quod sessio ad dexteram non abolet.

Subiungit, ideo fatendum est, Christum, vbicunque est, totum ac indiuisum esse. Rectè: Sed non totum Christi, idque sine vlla diuisione. Philippi testimonium, caussam Selnecceri non iuuat: Posteà enim ipse Philippus veriorem sententiam amplexus est & defendit.

Strophas Sacramentarias ait diluisse Lutherum: Nos verò strophis non vtimur: neque enim tam opus est his nostra caussa, quàm aduersariorum. Argumenta verò nostra, nondum

neque

neque Lutherus, neque Selneccerus diluit, nisi fortasse maledictis, scommatibus & sophismatis innocentes conspuere, vobis est diluere: Imò ad illos ipsos scopulos nauem suam fregit Lutherus, tantum abest vt alios rationem effugiendi docuerit, quemadmodum tu ais.

Fecisset, inquit, multò rectius Freihubius, si Lutheri & veterum patrum doctrinam & dicta vindicasset ab iniurijs & calumnijs Sacramentarijs: id est, si detorsisset & deprauasset veteratoriè & impudenter, vt vos facitis. Fol. 47.

Veneramur, ait, & nos piam & eruditam antiquitatem. Veneramini eos sicut milites, qui dicebant, AVE REX IVDAEORVM. Addit: Testimonijs illorum in loco libenter vtimur: In quo scilicet putatis vos fucum facere posse imperitis, afferendo interpretationes à perpetuo sensu eorum alienissimas.

Paulò pòst de adoratione & viuificatione carnis adducit hæc dicta: Quidquid rogaueritis patrem in nomine meo, hoc ego faciam: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Respondemus primùm: Ego, inquit filius Dei, faciam, ego reficiam vos, non mea caro. Multa enim facit homo, quæ non facit caro, sicut multa facit & patitur Deus, quæ non facit nec patitur Deitas. Secundò: facere quæ oramus, & nos reficere, est officium totius personæ Christi, quæ partes in hoc officio alias secundum Deitatem suam, alias secundum humanitatem obit & exsequitur. Ineptum est ergo, ex hoc dictorum genere, proprietates & operationes naturarum confundere. Sic & Ioha. 6. inquit Dominus: mea caro verè est cibus. Verùm ad hoc non carnis, sed hominis omnipotentia & vbiquitas requiritur. Fo. 48.

Anathematismi Ephesini, nihil aduersus nos, qui vna supplicatione tribuente vnicuique naturæ quod ipsius est, Immanuelem veneramur, & à toto Christo Deo & homine perfecto, cum Augustino petimus, quod secundum deitatem & humanitatem facit, seruata vtriusque naturæ differentia in agendo. Confite-

mur etiam Christi carnem esse viuificatricem: Sed inde non sequitur, eundem modum esse viuificandi Deitatis & carnis.

Priuilegia carnis Christi ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ *libenter*
Fol. 49. *concedimus, sed non* ἀντιφυσικὰ: *neque negamus, in illa infinitum alias creaturas excellere, quod quidem ad nostram comprehensionem attinet: non autem propriè & reipsa.*

Diuina gloria humanitatis, cuius hîc mentionem facit, est visibilis gloria, quæ Deitatis inhabitantis hypostaticè in illo corpore, effectus ac testimonium est: non autem æquat corpus Deitati. Video, inquit Stephanus, Iesum stantem à dexteris Dei. Item, Videbitis filium hominis venientem in gloria Patris & angelorum. Ergo hæc gloria diuina non est vbiquitas, inuisibilitas, & aliæ proprietates Deitatis vel Spiritus essentiales, quarum natura creata vel corporea capax non est. Ego verò iudico &
Fol. 56. *profiteor, inquit, cùm Domino Iesu Christo datum sit nomen super omne nomen, simul & res ipsas gloriæ & magnificentiæ datas esse. Rectè. Sed sicut nomen, sic & res, pro earum diuersitate. Multæ res & multa nomina dantur homini, sed non humanitati. Homini enim datum est nomen Dei, non autem carni. Ad potestatem rerum omnium in cœlo & in terra, cuius mentionem facit, nihil pertinet vbîquitas carnis. Affirmo & credo, inquit, illum omnipotentem habere gubernationem, secundum vtranque naturam. Opinari potes, mi Paule, credere non potes, quia destitueris verbo Dei. Sed valde miror, cur confundas vocabula concreti & abstracti, quæ scis & fateris discernenda esse. Cur igitur tibi idem sunt hæ locutiones; Homo est omnipotens; &, humanitas est omnipotens? Dicis, te vocem diuinam in loquendo retinere. Sed quomodo retines, qui in abstracto carni tribuas ea, quæ vox diuina non tribuit?*

Ecclesiæ formulæ, inquit, ἐξαιρέτως, *eximiæ sunt, quæ de adoratione & viuificatione carnis à Scriptura & à veterib. orthodoxis traditæ sunt, complectentes & ipsæ atque includentes omnipoten-*

tis

tis efficacia gloriam. Sed heus tu. Societas honoris & officij, non tollit discrimen, nec efficit easdem proprietates aut operationes vtriusque naturæ. Non igitur sequitur: Caro cum Deitate adoratur & viuificat, regnat, saluat, iudicat, facit miracula &c. Ergo est omnipotens.

Huius censuræ Crellianæ subscriptionem, haud dubiè metu mansuetudinis Theologorum, extortam, ait Freihubium domum reuersum retractasse, eò quòd suffragijs Theologorum obrutus subscripsisset. Si enim suffragiorum multitudine & consensu; ergo non argumentorum robore obrutum se fuisse significauit. Fol. 53.

Post Crellij scriptum prodit alia epistola à Theologis Torgæ congregatis, ad Illustrissimum Electorem, qua impetrata fuerit certorum librorum exterminatio, sine refutatione tamen, συγγράματος, Catechismi Vviteberg. &c. Atque hoc literarum exemplum quantopere Selnecceri caussam iuuet, aut Neostadianis noceat, equidē nō video: nisi quòd confirmat querelas nostras de ἀποθεώσει D. Lutheri, déque ipsius & doctrinæ ipsius ex verbo Dei traditæ damnatione. Non enim Lutherum insectamur, nec piam eius doctrinam, sed næuos illius & stipulas, quas admiscuit, improbamus. Fol. 54.

Cum hoc responso oblatum esse ait Electori scriptum, cui postea titulus fuerit inditus: Libri Concordiæ; quem ægrè fert Selneccerus nominari fœturam Patrum Bergensium. Atqui Cardinales & Episcopi honoris caussa gaudent se appellari Patres Tridentini. De hoc libro ait, Bergæ in cœnobio ad Magdeburgam celeberrimo (nempe quod Bergensis Concordiæ natale solum est) iudicia singulorum ordinum cognita esse. A quibus autem cognitoribus? ab autoribus libri: An non igitur æquant Patres Bergenses autoritate patres Tridentinos, cùm æquè ac isti, sint actores & iudices in lite sua? Maxima pars, inquit, ordinum probauit librum. Ergo pars aliqua non probauit: Et adhuc Fol. 54. 55.

sub iudice lis est, probantiúmne an improbantium pars maior fuerit, atque etiamnum sit. Quid verò si maior pars sententiarum probauerit, melior autem improbauerit? Selnecceri ne & sociorum eius iudicio hîc stabimus, qui ne ipsi quidem omnes librum probarunt, vtcunq; nomina sua subscripserint? Quosdam ex Theologis ait quædam monuisse. Atqui non minimi ex principibus & alijs ordinibus monuerunt multa, quæ desiderarent. Hos ait rectè monentibus cessisse. At quomodo cesserunt? vt ne hodie quidem suarum sententiarum neglectionem probent. His omnibus putat Selneccerus silentium se imposuisse, cùm subijcit: Nulli se alienos à scripti sententia ostenderunt, præter eos qui vel suspecti essent de doctrina, & Caluinismum saperent. Audet hîc Selneccerus satis confidenter plurimas & florentes Ecclesias de doctrina suspectas facere, eò quòd librum illum repudiarint: Quasi vna vbiquitatis approbatio sit veritatis assertio; & vna manducatio oralis sit orthodoxorum Symbolum, & nota puræ Ecclesiæ. Aliquos putat ideò alieniores fuisse ab illo scripto, quòd dolerent se esse præteritos, neque vnà cum alijs ad conuentum Torgensem vocatos. Aut homo inanis & vana arrogantia tumens alios ex suo ingenio metitur; aut illud vitio vertit, quod meretur laudem. Cur enim in caussis grauissimis ad omnes Ecclesias pertinentibus seruiliter ligurirent sputa paterculorum Bergensium?

Ait, Bergæ in libro Torgensi nihil quoad sententiam mutatum. Impudentiam Selnecceri ipsi patres ridebunt. Multum enim in rebus & verbis dissimiles sunt libri Torgensis & Bergensis. Mutastis, expunxistis, addidistis, omisistis pro arbitrio. Sicut ergo initiò à vobis est scriptus, sic etiam à vobis mutatus est liber: ac proinde reuera vester est liber, immo potiùs vnius Schmidelini, cuius vos senatores fuistis pedanei. Ceteri enim multa in eo improbarunt, præsertim Musculus & Chytreus. In manibus nostris & multorum est formula Torgensis. Desine igitur

tur hac pallio obducere Selneccere, ne in frontem tuam perfrictam expuant omnes honesti viri, qui inspiciunt & conferunt exemplaria.

Mentiri ait Danaum, qui scribat, Bergæ damnatum fuisse Philippum & scripta eius à Theologis sex, cùm tamen ne sinistra quidem mentio eius facta sit: Quasi diceret, tantum abfuisse in ipsius negotij publici tractatione, vt dextra aliqua mentio Philippi fieret, vt ne sinistra quidem audita fuerit, nisi hæc, Philippum minus animosè machinationibus Sacramentarijs restitisse, id est, in eo peccasse, quòd contra veritatem agnitam dicere noluerit. Obseruandum est autem quod ait Selneccerus, in tractatione publica nullam esse factam mentionem sinistram Philippi. Non ergo negat, nec, si negaret, crederent homines, non esse factam eius multam mentionem sinisterrimam, in tractationibus priuatis, abbatialibus, Lautis, quarum tanquam προβουλευμάτων executio fuerunt tractationes publicæ. In his enim doctrina Philippi sancta & pia, quoties præfixum habet illud; Reijcimus & damnamus? Non autem de nomine, sed de doctrina Philippi agitur. Quid ergo mentitus est Danaus?

Iam tandem post longam peregrinationem peruentum est Bergam ad Abbatem D. Petrum Vlnerum: Vbi ait, inuentam fuisse mandram sanctam. Facilè credimus, vt & hoc, fieri potuisse, vt ipso insciente, vel etiam sciente, reliquiarum aliquid ex Missa Pontificia in mandra illa delituerit, quod repertum Patres Bergenses delectârit. Ac ne quid dissimulem, valde suspectum est, quod ex mandra prodijt; quam obcaussam, alibi dicemus. Fol. 56.

Cur autem Dominum Abbatem Selneccerus tam sollicitè laudet, valde miror; cum adhuc neminē audierim, qui eum vituperasset. Suauitate huius Patris mirificè se delectatum refert, quòd non tam verbis, credo, quàm bono vino ab eo exhilaratus sit, Atque ita Phœbo secundum Propertium, Bachus fertilis fuerit. Ne-

que enim ex Mandra illa sanctißima lepidißimi versiculi prodijssent, nisi illum liquorem Dominus Abbas apposuisset, qui ἵππος esse solet ἀοιδοῖς.

Quarta Recitatio. Fol. 57. 58.

Post laudes Abbatis, & recitationem suorum versuum, magna pompa suam formã è Mandra producit, ad cuius subscriptionem adeò quosdam festinasse ait, vt moram ægrè ferrent: quorum nonnullis non dubito quin crebrò in mentem venerit illius: σπεῦδε βραδέως, aut etiam huius:

ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων: ἡ δὲ ταχεῖα
αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει.

Si enim secundum Mimum ad pænitendum properat citò qui iudicat, eodem certè etiam contendit, citò qui condemnat. Ac Minutianis illis crebrò occini puto à Fabianis hoc, quod extat apud Herodotum lib. 8. χρήσιμον πρᾶγμα ἐν πολλοῖς καὶ ἥκιστα σφαλερὸν ἀναβολή.

Hanc autem quartam recitationem orditur tanta arrogantia, quanta in hominem vix cadere potest. Dicit enim librum illum ita fuisse adornatum, vt nihil amplius in expositione veræ de controuersijs retinendæ sententiæ addi posset. Quibus verbis sex hominum iudicia, vel potius vnius Fabri, præfert totius Ecclesiæ, etiã posteritatis iudicio vsq; ad finẽ mundi. O impudentiam & superbiã inauditam in nostris Ecclesijs. Quid Principes à Theologis petierint, nos latet. Hoc tantùm scimus, de consilio Bergensi hunc modum fuisse propositum, vt à singulis subscriptiones exigerentur. Nam ad Synodi mentionem & tum trepidabatis, & etiamnum expauescitis, omnibúsque artibus principum voluntatem non alienam à Synodi conuocatione, auertitis. Ad præfationem libri quod attinet, qui non in Selnecceri gratiam credunt, eam à consiliarijs esse conscriptam, aliter iudicant. Sunt enim viri istarum rerum non rudes, qui ex stylo, ex rebus & verbis Fabrum agnoscunt dictatorem. Existimant hi non ex Archiuo profecta esse illa; non essentialiter, formali-

formaliter, habitualiter, subiectiuè; & similia. Et quid multis? Consilium Bergense nominatim præcipit de præfatione. Cur autem Theologos Neostadianos Sacramentariæ Theologiæ duros patronos & diros vocet, de eo quæri possit. Si non respexit ad nomen montis, ad cuius radices Neostadium situm est, procul dubio premitur onere argumentorum, quorum adamantinam duriciem experitur, nullum ruptionis genus admittentem. Nam diros quòd addidit, hoc allusionis caussa factum videtur, ne quid elegantiæ desideretur. Sed quis non rideat legens, accusari Neostadianos πολυπραγμοσύνης καὶ ἀλλοτριοεπισκοπίας, & accusari à Selneccero, qui nuper adeò obtulit Hallensibus operam inspectionis annuæ Ecclesiarum: repudiata tamen illa fuit, sed non sine sale, quòd hominem insulsum existimarent. Poculum etiam sunt, qui affirment, adiunctum fuisse aureum. Inaudierant fortè aliquid de supplicibus literis, quibus auctionem stipendij à Senatu vrbis efflagitasset: quòd fœnus ad tempus non soluerent, qui deberent. O hominem non πολυ sed παντοπράγμονα & ardelionem ineptum, superantem quidquid in Germania ardelionum est aut fuit vnquam. Quis enim πολυπραγμονέστερος? Illéne, qui iniustè condemnat, an qui se iustè defendit? præsertim gloria Dei & salute conscientiæ & Ecclesiarum postulante.

Commendatio libri concordiæ, qua ministri Ecclesiarum & Scholarum ad subscriptionem inuitati sunt, clauditur hoc epilogo, Librum istum esse postremum opus, quo Deus procul dubio in tanta Euangelij luce mundo immundo valedicturus sit. Rectè sanè: quia per hunc librum obscuratur lux veritatis, & amittitur apud illos, qui eum recipiunt, valedicítque illis veritas diuina, pulsa mendaciorum violentia. Fol. 59.

Hactenus confirmauit Selneccerus Admonitionem de conscriptione libri Bergensis: nunc audiamus confirmationem eorum, quæ de subscriptione admonuerunt Neustadiani.

Primi ex ſubſcriptoribus fuerunt Vviteberginſes (remotis ſcilicet illis, qui poterant aliquid opponere) cum vicinis Superintendentibus, qui neſcio quos ſcrupulos ſibi excmtos eſſe dixerunt eo libro (quid ſi maiores illis iniecti ſint?) verba procul dubio faciente nomine reliquorum Kembergenſi, cui gratulor quòd Kembergi plus profecerit, quàm Vviteberga.

Hertzbergam vt ventum eſt, ait fuiſſe aliquos, qui ſe in ordinatione diuerſa quædam audiuiſſe dicerent, quæ iam fugere & deteſtari vellent, quandoquidem viderent, multis bonis antehac factam eſſe iniuriam. Hoc nimirum voluerunt dicere, ſe quidem diuerſa in ordinatione audiuiſſe, Sed quia videant, illa ipſa diſplicere patribus, ſe quoque ea deteſtari velle, præſertim cum probatio exilij metu vel grauiore etiam pœna mutetur. Sed valde pulcrè commendat Selneccerus diligentiam & doctrinam ſubſcriptorum ſuorum, qui dogmata à libro Concordiæ diuerſa, tum demum audiuerunt, cùm ad miniſterium ordinarentur.

Recitat hîc & deinceps propoſitas à quibuſdam quæſtiones, & patrum ad has reſponſa. In his quædam ſunt quæſtiones eiuſmodi, vt reſponſionibus ad eas datis, nemo niſi aut ſtupidus aut ſeruus poſſit acquieſcere: quædã verò & quæſtiones & reſponſiones tales, vt illas legens recordatus ſim illius, quod de Demonacte ſcribitur. Hic conſpicatus aliquando duos philoſophos valde indoctos inter ſe acriter litigare, ac alterum abſurdè quærere, alterum ineptè reſpondere, conuerſus ad amicos, Nónne videtur, inquit, alter horum hircum mulgere, alter cribrum ſupponere? Quidam, inquit, quærere cœperunt de communicatione idiomatum, an ſcilicet ageretur tantùm de humana natura in abſtracto, an verò de perſona, cùm de omnipræſentia diceretur, & putarunt extendi humanam naturam. Apparet hos intellexiſſe, ſi non tantùm homo Chriſtus, ſed etiam humanitas eius dicatur eſſe vbique, ſequi naturarum confuſionem & coëxtenſionem. Quid autem illis eſt reſponſum? Humanam naturam non extra

per-

personam τοῦ λόγου considerari. Egregia responsio ex folle Fabri efflata. Quis de humana natura Christi extra personam, vllam vnquam quæstionem mouit, vel mouere potuit, cùm extra assumtionē nulla fuerit? Non ergo expedit, sed eludit hæc responsio quæstionem, quæ quærit, an caro vnita λόγῳ sit vbique, atq; hoc ipsum negat. Additur, & omnipræsentiam non de extensione diductioneq; in infinitum, sed de omnipotente gubernatione intelligi. Hæc procul dubio à Selneccero, Fabro aliud agente, responsa. Neque enim hic passus fuisset, omnipræsentiæ loco, cuius caussa tot labores peregrinationesq; suscepit, omnipotentem gubernationem substitui. Fraus etiam subest & elusio in extensionis, diductionis, expansionis vocabulis. Hæc enim propriè loquendo competunt ei, quod partem extra partem habet, ita vt alia pars in alio loco sit. Propriè igitur nec ipsa Deitas per extensionem est vbiq;. Est enim vbiq; tota & indiuidua. Sic autem si corpus dicant esse vbique, palàm abolent & confundunt cum Deitate naturam corporis, vtpote quod infinitum sit, & partem extra partem non habeat: aut, si habet, per extensionem omnia compleat. Eadem ergo manet absurditas, siue extensam siue non extensam corporis substantiam statuant vbiq;. Etiam quæ sequuntur, planè Selneccerum suspicione inuoluunt: Omnipræsentiam intelligi, de præsentia secundum expressum verbum. Hic occultè vbiquitatis suæ restrictæ, Selneccerus fundamentum iecit, Fabro fortassis in aliјs tum occupato, aut conniuente, quòd hanc suam & Selnecceri discrepantiam neminem animaduersurum putaret. Hoc enim vult hæc responsio, carnem Christi non esse in omnibus locis præsentem, sed tantùm in pane Sacramenti, ad quem se expresso verbo alligarit. Hanc vbiquitatem seu potius multiquitatem si Selneccerus retinere cogitabat, quid opus erat vocato Schmidelino in Saxoniam? Huic responsioni dicit opponentes acquieuisse. Aut igitur fuerunt homines, qui non intelligerent fraudes Vbiquitarias, aut qui sua vrgere metu pe-

riculi non auderent. Quid autem sibi volunt verba, quæ sequuntur? Quidam quæsiuerunt de voce realis communicationis, & realiter omnia idiomata communicari dixerunt, saluis substantijs & proprietatibus vtriusque naturæ. Neque enim explicatur, quid de voce illa indicatum fuerit; & callidè reticetur, à quo responsum sit. Quo enim refertur verbum, Dixerunt, num ad interrogantes, an ad respondentes? Vidit, credo, absurditatem responsionis: igitur ambiguè maluit loqui, quàm sciens vidénsq; se ridendum propinare. Nam vel rustici vident falsitatem. Quo enim pacto proprietates naturarum manere possunt, si realiter altera alteri suas communicet? Proprietatem enim communicatio tollit, quod vel Anabaptistis notum est, alioquin valde simplicibus, exceptis ijs, qui vana sanctitatis opinione tumentes, in cœlo se cum carne sua, non in terris versari putant. Inest his verbis & altera contradictio: Si enim omnia idiomata realiter communicantur, quomodo salua manent vtriusque substantia & proprietates? Inest etiam tertia: Nihil enim volunt realiter prædicari de homine, quod non realiter prædicetur de humanitate: Et tamen realiter hominem esse Deum æternum, conditorem mundi, cum Luthero fatentur; humanitatem esse Deum æternum, conditorem mundi, negant. Concludimus hinc, non oportere carnem esse omnipræsentem, quia homo sit omnipræsens.

Additur, quosdam monuisse, vnicum fundamentum esse doctrinæ de cœna, institutionem scilicet. Concessit hoc Selneccerus, ita tamen, credo, vt limis oculis ad Schmidlinum respiceret: ad cuius vbiquitatem se, ab illo altero fundamento depulsus, recipere solet, non sine periculo: Breui enim futurum esse video, vt si diutius ei insistat, collabente illo nusquam appareat, qui paulò antè vbiq; esse voluit. Sed vt ad monitores redeam, aut non intellexerunt illi, etiam ex articulis fidei iudicandum esse de Sacramentis: aut ex Lutheri & vestra Confessione opposuerunt,

runt, quod vos non soluistis. Ais enim in præfatione libri, vnicum fundamentum asseri: At liber ipse duabus grallis nititur, ἰδῷ ῥητῷ, & vbiquitate.

De Libero arbitrio & conuersione, verè cæcus surdastro litem mouet. Non enim audiunt verbum, nisi quibus Deus miserit præconem verbi: nec assentiuntur & obtemperant verbo audito, nisi qui ordinati sunt ad vitam. Nec tamen Deus est autor cæcitatis & contumaciæ, cùm omnes natura cæci & contumaces sint; illuminentur autem & emolliantur, quorum Deus miseretur. Rom. 9. & 10. Act. 13. Dum intra hos limites se non continent, neque nouas inclinationes ab actionibus voluntatis discernunt, aut plus, aut minus libero arbitrio tribuunt, quàm oportet.

Hertzberga, Torgam cum Patribus proficiscamur, in quo oppido, Senes ait lacrymis lætitiam animi sui testatos esse, in primis qui diu in ministerio, & Lutheri auditores fuerant: adeò scilicet diligentes, vt etiam crepitus eius annotarent. Atque illi ipsi, quid à Luthero didicerint, fortasse alijs notius, quàm mihi. Hoc tamen ex re ipsa apparet, eos gauisos esse, quòd inueteratam superstitionem, qua erant imbuti inde à iuuentute, rursus dominaturam sperarent, cum meliora non didicissent.

Ibidem ait, Philippi mentionem factam, ac suspicatos nonnullos aliquid de abiectione librorum eius: His responsum est, Philippum quidem optimè meritum esse de nobis omnibus, nec obliterari memoriam eius, sed omissam mentionem eius, quòd scripta eius in suas partes Sacramentarij inflecterent. Bella responsio. Nónne etiam Scripturam ipsam allegant? nónne Patres? nónne Lutheri dicta? Reticeatur igitur & illorum nomen.

Sed hoc notatu dignum, Philippi scripta Selnecceri Admonitionem & explicationem requirere, id est, detorsionem vel damnationem, cuius rationem neque Selneccerus, neque alij probabilem saltem possunt reddere. Addit censor egregius, Philippi scripta cum maiori fructu & autoritate, quàm Augustini Fol. 62.

& aliorum Patrum legi posse, non obscurè innuens, Lutheri scripta ἰσοδυναμεῖν Scripturæ sacræ. Si enim Philippus Augustino maior & alijs patribus, ac Philippo Lutherus, vel cæco apparet, quo loco Selneccerus Lutherum habeat. Quid enim Patribus præter Verbum Dei præfertur? Atqui ipse tamen fatetur, neminem esse ἀναμάρτητον. Ergo nec Lutherum excipere potest, nisi secum ipse dissentire velit; quod in Selneccero nec primum fuerit, nec vltimum, vt nostri Germani loquuntur. Sed hîc prodit Selneccerus & traducit insignem fraudulentiam Patrum Bergensium, qui videri nolunt Philippum damnare, cum tamen eius doctrinam tanquam hæreticam & blasphemam, & Mahometicam condemnent. Hoc ita tegere nituntur, vt dicant, in Philippi scriptis legendis opus esse iudicio & cautione. At cur non idem patiuntur fieri in Luthero? Errata, ais, sunt in Philippo. Sed illa nondum monstratis. Contrà, sunt à nostris & à Philippo monstrata in Luthero. Neque Lutherus in Philippi scriptis aliquid damnauit. Respondes: Post mortem Lutheri sunt inserta. Non est verum. Nihil enim docuit Philippus mortuo, quod non etiam viuo Luthero: idque Luthero non ignorante. Phaleratis ergo dictis ludificamini Deum & homines; & quantò magis vos purgare nitimini, tantò magis vos deformatis, & Admonitionem Neustadianā dictis factisq; vestris confirmatis.

Porrò quæsitum etiam de Brentij verbis, quibus in 7. cap. Iohan. dicitur, Os corporis accipere panem & vinum, sed os fidei accipere corpus & sanguinem Christi. Et responsum est, Brentium pugnare contra eos, qui aiunt, externis sensibus debere & posse percipi corpus & sanguinem. Imò pugnat contra Selneccerum Brentius, affirmantem ore comedi corpus. Nullum enim habuit Brentius aduersarium, qui diceret, visibiliter aut sensibiliter comedi corpus Christi: Et palàm opponit os corporis & os fidei, id est, affirmat manducationem fidei, negat manducationem oris, respectu ipsius corporis: oralis autem manducationis visibi-

lis

lis & inuisibilis distinctionem, tunc temporis ignorauit.

Addit, de sensibili, visibili, naturali & crassa comestione corporis Christi in cœna nihil agi. Ergo de spirituali agitur & inuisibili, quam nos fidei esse dicimus: Nam de orali, inuisibili tam nihil dicitur, quàm de visibili. Si ergo illam amplectitur, in nostris castris versatur: Sin hanc exosculatur, fruatur sua phantasia, quamdiu volet. Nam eam verba Christi non docent. Atque hic diligenter monendi sunt Catechumeni, ne fingant sibi in os inuisibiliter corpus Christi ingeri, neu statuant, se ita fide Christum edere, cùm imaginantur, vnà cum pane in os recipi corpus seruatoris nostri. Sed hoc est fide manducare, credere, se propter traditum corpus & effusum sanguinem Christi, habere peccatorum remissionem; & hoc credentem, per Spiritum sanctum in Christo & credentibus habitantem, corpori Christi, tanquam membra capiti inseri & incorporari, & eius, quæ in ipso est, iustitiæ & vitæ & gloriæ æternæ participem fieri: & hanc ipsius Christi & beneficiorum eius communionem tam verè nobis contingere, quàm verè & verba promissionis & Symbola externa, panis nimirum & vinum sensibus externis percipiuntur. Atque hæc est fides vera in Christum, qua sola Christus verè manducatur. Illa verò fides, qua creditur, corpus Christi in pane existere, & ore corporis manducari, non est fides, sed opinio humana, aut opinionis simulatio: quia verbo Dei destituitur, sine quo fides nulla esse potest. Meritò igitur duas quæstiones hic proponimus Selneccero expediendas.

Prima: si ad cœnam accedat homo Christianus, certò persuasus de remissione peccatorum per Christi mortem & sanguinem, & viuens in vera pœnitentia & gratitudine erga Christum; non autem credat oralem esum carnis Christi, nunquid Selneccerus eum condemnabit? vbi igitur promissio: Qui crediderit in me, non morietur in æternum? Altera: Si accedat impius palàm & hypocrita, qui neque spiritualiter, neque oraliter Chri-

stum manducari credat, quales multi sunt; dicétne Selneccerus, hunc edere corpus Christi oraliter? Si ait: Cur ergo hîc fidem corporalis præsentiæ requirit? aut cuius fidei ore, secundum Brentium, iste corpus Christi manducabit? Si negat, viderit ne Eberizet, & à suis socijs non clementius excipiatur, quàm Eberus est exceptus.

Præsens ait corpus Christi, secundum verba. Verba autem nihil habent de corpore in pane, sed sunt verba institutionis Sacramenti. Ergo præsentia est spiritualis, quæ est in verbo & omnibus Sacramentis. Negat disputandum de modo. Cur igitur ipse modum exprimit, videlicet ore corporis manducari corpus? Idq́; cùm verba longè aliũ modum indicent. Verba enim, vt iam dictum, institutio Sacramenti sunt: Sacramentum signum & testimonium est voluntatis Dei erga nos in Euangelio patefactæ, vt loquitur Augustana Confeßio. Et modum hunc Paulus exprimit, cùm dicit, esse κοινωνίαν corporis illam, qua vnum corpus cum Christo sunt fideles. Iam igitur cui modus non pateat, quo panis sit corpus Domini? nempe vt signum corporis & testimonium eiusdem oblati pro nobis in cruce secundum voluntatem Patris, & nobis exhibiti & communicati per fidem in escam vitæ æternæ. Quid hac doctrina clarius ijs, qui radios affulgentis veritatis admittunt? Nihil ergo responsum est ad obiectionem; neque conciliata à vobis vetus Brentij doctrina de cœna cum noua.

Quidam, inquit, argumentum attulit: Quicquid fit in vnione, non soluit vnionem. Esse in loco fit in vnione. Ergo esse in loco non soluit vnionem. Responsum est, nequaquam negari argumentum nec περιγραφὴν corporis Christi, sed hoc dici, Finitum corpus Christi esse infinitæ potentiæ. Bella responsio: quasi vero περιγραφὴν non tolleret vbiquitas: Sed tamen implicatæ sunt insidiæ, tribuit corpori infinitã potentiam, quam si obtineat, facile sperat consecuturam vbiquitatem, cuius nomen vt inuidiosum ponere non audet. Sed

Sed demus Selneccero: Corpus Christi esse circumscriptum, id est, vno tempore non nisi vno loco existens (hoc enim est esse περίγραπτον) potentiam verò eius infinitam: quid fiet de esu orali & præsentia corporali in pane, aut quomodo circumscribetur vno loco, quod simul est in multis panibus? Iam verò, quomodo conueniet Selneccero cum fratre Sueuico, qui non tantùm potentiam, sed etiam substantiam corporis vult esse omnipræsentem? qui rectè contendit, eiusdem esse omnipotentiam & omnipræsentiam; qui rectè contendit, quod est simul in multis locis, etiam in omnibus locis necessariò esse. Hîc vos prius vobiscum, quàm alios concordes facite, Patres Bergenses. Postremò rursus ponamus cum Selneccero, corpus Christi finitum & circumscriptum, potentiam verò eius infinitam & omnipræsentem. Illa potentia igitur extendetur latius, quàm corpus. Quid autem erit? Substantiáne an accidens? Si accidens, cuius generis accidens, & in quo subiecto erit extra corpus existens? Si substantia: corporeá ne an incorporea? creatáne an increata? Hinc si te expedias, Selneccere, fueris mihi magnus Apollo. Nos cum Scriptura expedimus nos facilè: Spiritus enim & Deitas omnipotens & omnipræsens, nos corpori finito & circumscripto in suo loco manenti inserit, & spiritualiter nobis illud præsens facit, sicut caput omnibus membris corporis: etsi corporaliter & localiter à nobis distet.

Quidam, inquit, quæsiuit, An caro siue humana Christi natura haberet omnipræsentiam: & responsum est, quod ad proprietatem suam physicam, non habere; habere autem proprietate diuinæ naturæ, cui vnita esset, & habere eo modo, qui in verbo Dei manifestè expressus esset. Illum modum ex verbo Dei manifestè ostendat nobis Selneccerus & vicerit. Dicit, Christi humanam naturam habere omnipræsentiam proprietate diuinæ naturæ. Atqui non caro, sed homo est omnipræsens, proprietate naturæ suæ diuinæ. Homo enim habet in substantia personæ suæ

naturam diuinam: ideo & proprietates omnes diuinæ naturæ habet. Caro autem vnita est diuinæ naturæ; non habet diuinam naturam; ideo nec proprietates diuinæ naturæ; id est, homo est Deus realiter, ergo & omnipræsens realiter. Caro non est Deus; ergo nec omnipræsens, neque re neque nomine, cum de carne loquimur, etiam vnita Deitati. Nomine autem, non re omnipræsens est caro, cum de homine carnem habente loquimur, & personam quæ Deus est, à carne sua denominamus: atque ita de persona tota, quod ei secundum alteram duntaxat naturam competit, prædicamus. Deinde contradictio est, simul carnem habere proprietatem suæ naturæ, quæ est, non esse vbique, & proprietatem diuinæ naturæ, quæ est, esse vbique. Vt autem Selneccero de
Fol. 63. absoluta vbiquitate nihil constat, sic Schmidelino nihil de restricta, qui dicit, & quidem rectè, si in pluribus sit, etiam in omnibus locis simul esse carnem. Sed neutra vbiquitas, Selneccere, siue tua restricta, siue Schmidelini absoluta, ex Scriptura probari potest. Itaque merito à nobis vtraq; reÿcitur. Qui igitur his responsionibus acquieuerunt, aut nimis timidi, aut (dicendum enim est) nimis rudes fuerunt.

Ait, quæsitum esse de definitione Euangeliÿ, an Euangelium non esset pœnitentiæ prædicatio propriè loquendo. Responsum est, si salutaris pœnitentia intelligatur, nihil scrupuli esse in definitione illa Euangeliÿ, sed particulas (propriè loquendo) reprehendi. Quid ergo? An Philippus dixit Euangelium esse concionem pœnitentiæ non salutaris? aut docere & efficere pœnitentiam Iudæ? Si ergo de salutari pœnitentia, id est, de conuersione ad Deum nihil scrupuli, quid carpis impudens? Cur reprehendis particulas, propriè loquendo? An hoc non est in duabus lineis sibi contradicere? Vel hinc liquet: Selneccerum vertigine laborare. Propriè loquendo, Euangelio commune est cum lege, in genere peccatum arguere. Proprium autem legis, in specie. Proprium etiam Euangeliÿ est, in specie arguere incredulitatem in Christum:

Christum: sicut legis incredulitatem in genere, & in alijs speciebus. Proprium etiam Euangelij, vocare peccatorem ad reuersionem ad Deum eiusq; modum docere, & eam efficere, quam nec docet nec efficit lex, sed tantùm suis terroribus & sententia damnatoria, conscientias & corda ad veram & salutarem pœnitentiam, quæ est reditus peccatoris ad Deum, præparat. Qua de re Lector videat Admonitionem Neostadianam.

De caussis tribus conuersionis, responsum est eas non negari seruato ordine. Atqui nec Philippus æquales eas posuit. Ergo malignè calumniamini, quæ candidè accipi poterant. Addit: hominis mentem & voluntatem esse caussam materialem in qua: Ita sanè est; quod ad qualitates siue inclinationes nouas attinet: quod verò ad actiones, etiam efficientis secundarij rationem habet. Agimus enim à Spiritu Dei acti.

In fine additur egregium ἐπιφώνημα, nescio cuius; Laici hominis veritas & certitudo plus valet, quàm omnium conciliorum disputatio & conclusio: addendum erat; falsa, & verbo Dei non nitens. Videat autem Selneccerus, ne sibi ipse securim impingat, neu Laicos contra se & reliquos Patres incitet. Sex enim patrum Bergensium conciliabulum nondum instar obtinet concilij. Facilius igitur ipsorum decreta euerti poterunt, quàm concilij, siue à Laicis siue à clericis rectè sentientibus.

Torga Misenam peruentum, atque ibidem etiam de quæstionibus aliquibus responsum, ac inprimis dictum Apocalyp. cap. 3. Ego sto ante fores & pulso: expositum, tanquam de auditu verbi loquens, ex quo fides est, & quo Deus pulsat cor, quod vult verbo audiendo aperiri. Immo & de auditu & de fide loquitur. Nam pulsatio, auditus est: apertio cordis est fides, quæ & opus Dei est & nostrum, sequens inclinationem nouam ad credendum & obtemperandum Deo, quæ non nostrum, sed Dei solius opus est in nobis.

Monentibus, præter necessitatem inculcatam esse condemnationem dogmatum Papisticorum de peccato originali & libero arbitrio, cùm nunquam controuersa sint in Ecclesijs; frigidè respondet; propter calumnias Flaccianorum hoc esse factum. Imò vera caussa illis hæc inserendi fuit, partim vt in illorũ aceruo obtruderetur vbiquitas & oralis esus; partim vt essent occasiones rodendi & premendi Philippum. Non enim istis articulis disiunguntur Ecclesiæ Euangelicæ, non curantes quid Flacciani rixentur de substantiali peccato.

Monitum etiam ibi fuit, de cornuto quodam argumento Sacramentariorum, cuius tamen cornua non explicat Selneccerus, fortè ne in illa impingat. Facit autem tria istius Syllogismi non syllogizati cornua, quæ nos inter absurda ex reali communione idiomatum consequentia, ponimus; quæq; verbis quidem Bergenses à se remouent, suis autem dogmatibus reipsa stabiliũt. Nam ab exæquatione & confusione naturarum realis communio proprietatum essentialium, non nisi nomine differt, testante Luthero, confundentem proprietates confundere naturas. Diuulsio naturarum (hanc enim putamus eum nominare μερισμὸν) necessariò sequitur, si vnio hypostatica transformetur in communionem idiomatum & operationem vnius naturæ per alteram. Sabellianismus autem, id est, trium personarum incarnatio & in vnam personam confusio sequitur, si realis communio idiomatum & vnius per alteram actio fecit vnitatem personæ. Hæc enim in tribus personis diuinitatis multò magis reperiuntur, quàm in duabus naturis Christi. Et si realis communio idiomatum λόγου cum carne, incarnat λόγον, eadem etiam incarnat Patrem & Spiritum sanctum, cùm eædem sint horum trium proprietates essentiales, quæ sunt ipsa trium essentia. Hæc absurda frustra à se repellunt patres, stante reali communione idiomatũ, & noua vnionis hypostaticæ definitione, quam nobis Brentius & Schmidelinus fabricarunt. Lutherus autem rectè & solidè

ea

ea repellit in loco illo de ultimis verbis Dauidis, dum fortiter refutat communionem realem. Docet enim disertè, per eandem communionem idiomatum veras esse has propositiones de Christo: Homo iste, Filius virginis, est Deus: est æternus: est omnipotens: est creator mundi: est conseruator omnium rerum. Eat iam Selneccerus, & dicat, carnē esse Deum, esse æternam, esse creatricem mundi, per realem communionem idiomatum. Si hoc non audet, cur igitur facit realiter carnem omnipotentem, conseruatricem eorum, quæ non creauit? Hanc ergo Lutheri explicationem recitans Selneccerus, vel rem non intelligere, vel manifestè præuaricari se ostendit. Nam secundum humanam naturam (quæ verba tanquam palmaria maiusculis literis exprimenda curauit) non per realem communionem idiomatum, sed propter vnitatem personæ cum Deitate, dicit Lutherus Christum accepisse potentiam æternam, conditricem rerum. Nihil ergo aliud dicit Lutherus, nisi hoc: Post carnis assumtionem non tantùm dici posse, Filium Dei esse Deum æternum, sed etiam filium Mariæ esse æternum & omnipotentem Deum per communicationem idiomatum, quæ respectu personæ quidem realis est, non autem respectu naturarum. Non enim natura humana, sed homo realiter est Deus æternus, omnipotens, creator &c.

Hic ergo locus Lutheri insignis, non tantùm monitorem & alios, verùm etiā Caluinianos, si quis eorum adfuisset, delectare poterat, immo Anhaldinos etiam, qui hoc ipso loco, ad refutandum vbiquitatis dogma, vtuntur: vt hic Selnecceri vel socordia vel inscitia vel impudentia manibus quasi palpari possit. Si enim non legit, quid eo negligentius? Si legit, & non intelligit, quid Theologo isto crassius? Si legit, & pro se adducit, quod os ostendit suis auditoribus? Schmidelinus fuit cautior, propterea noluit eum inserere, neque in medio, neque in fine libri. Itaque ipsius operæ vicarij successerunt Neostadiani. Fol. 320.

Fol. 65. *Dresdæ nihil fuit quod in libro desideraretur, additur tamen in minimo, vt intelligatur, in maximo potuisse aliquid requiri, nisi illud pro miraculoso habitum fuisset: cuius appellationis rationem alij aliam excogitent; ego meam hoc loco non ponam.*

Paucos, ait, de corpore doctrinæ quæsiuisse, ac inter cetera fuisse narratum de titulo eius libri, quòd hunc ei non ipse Philippus indiderit. Sed quid hoc ad rem? Neque enim de titulo quæritur, sed de doctrina quæ in libro illo continetur. Hanc non refutatā iubentur abijcere ministri, & nulla ratione prioris obligationis habita, astringere se ad dogmata ex diametro cum illa pugnantia. Ad hoc fuerat respondendum Dominis patribus.

Cetera quæ hîc narrat, videntur quasi ex ore Selnecceri, per socerum emissa, vt scilicet libri erronei, Catechismus nouus, Grundtvest / *Grammatica disputatio, item acta Synodica &* Endtlicher Bericht / *quò citius, eò melius, è medio auferrentur: Dum enim libri illi extabunt (extabunt autem dum Ecclesia manebit) Selnecceri nomen inter hæreticos semper eminebit, nec antè è catalogo illorum eximetur, quàm errorem agnitum publicè damnauerit.*

Fol. 66. *De corpore doctrinæ, responsum ait, ne per somnium quidem cogitasse vnquam patres de illo exterminando & condemnando. Credo equidem. Res enim loquitur, eos ad opprimendam, damnandam & exterminandam eius libri doctrinam plus satis aduigilare. Fatetur hîc, Philippum & Lutherum diuinitus fuisse coniunctos. Cur igitur* **Schmidlino** *separantur? Cur non Philippus Lutheri interprès esse permittitur, quemadmodum ipse Lutherus voluit?*

Post obitum, inquit, Lutheri quædam inciderunt aduersa puritati doctrinæ, quasi vero Philippus non eadem viuo Luthero docuerit, quæ mortuo, cum de hoc tum de alijs doctrinæ capitibus.

Addit,

Addit, Vvitebergenses Theologos voluisse excutere è manibus Pastorum scripta Lutheri: Non omnia, Selneccere: sed ἐριστικὰ de cœna Domini; in quo pium & rectum fuit ipsorum consilium.

Queritur, per corpus doctrinæ non posse iniri Concordiam cum exteris Ecclesijs. Cùm quibus? cum Vvirtembergicis nempe. Harum enim Theologi non poterant ferre corpus doctrinæ, cum vbiquitatem damnet. Sed ipse vlcus aperit, cum addit hanc rationem; quia in Corpore doctrinæ nusquam refutentur Sacramentarij. Rectè sanè: neque enim possunt refutari. Ideóque tantum abest, vt in Corpore doctrinæ nostrorum doctrina refutetur, vt etiam solidissimè confirmetur. Neque tamen, inquit, detrahitur quicquam Corpori doctrinæ. video. Plus enim ei tribuitur quàm oportebat: Siquidem hæreticum, Mahometicum, Arianum salutatur. Probat quod dicit: quia non detrahitur autoritati Magistrorum, si quando de ipsis vsurpetur Laconicum οὐ. Cur igitur hoc in Luthero non habet locum?

Quòd verò addit, in Corpore doctrinæ grano salis indigere quædam, valde salsum est. Nam si errata sale corrigenda sunt, Selneccero non grano, sed modijs aliquot salis opus esse video: id quod fortassis etiam Hallenses non latuit. Sed quis non rideat legens, Selneccerum dicere, Philippi quædam indigere grano salis, cum Schmidelinus in eum plaustra effuderit, & quidem nigerrimi salis, qui mordacior est candido. Sed vide, obsecro, quid sequatur. Illustrissimum, ait, principem Electorem velle verbo Dei cedere omnia vota, & iuramenta, subscriptiones & contestationes. Mandatum Electoris agnosco pietatis plenissimum, quo instructi, si ad Neostadianos venissent Theologi, non dubito quin in catalogum subscriptorum primi illi sua nomina referri voluissent. locorum. Fol. 67.

At qua fide isti Theologi, piam Illustrissimi Electoris voluntatem exequuti sunt? Persuaserunt ipsius Celsitudini, frau-

dem fuisse, quidquid ipsorum conatibus nō seruiebat: Retractanda esse, quæ ab ipsis nunquam refutata erant, nec refutari possunt: Verbum Dei esse placita Bergensia.

Quidam, inquit, græca oratione gratias egit, pia & prolixa. Narrauit mihi familiaris quidam, cùm alia fuisse ex Aristophane inserta, tum ad Schmidelinū hoc, πρὸς τῶν θεῶν μὴ προκαταγίνωσκ' ὦ πάτερ, πρὶν ἄν γ' ἀκούσῃς ἀμφοτέρων: *ac mox interpellasse Selneccerum,* ἀλλ' ὦ 'γαθὲ τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐστιν· αὐτὸ γὰρ βοᾷ.

Ad Lutheri dictum quod attinet, hominem se habere in conuersione merè paßiuè, intelligendum hoc est de nouis qualitatibus, non de actionibus voluntatis. In his enim actiuè & paßiuè se habet. Hanc declarationem perpetuo omittitis, aut inuoluitis. Itaque responsio vestra rem non explicat.

Fol. 68. *Friberga quæsiuerunt quidam de examine Theologico ordinandorum, & de toto corpore Doctrinæ, an retinendum illud sit in Ecclesijs. Responsum honorificè. Sed cur dißimulauit Selneccerus, se impedijsse, grandi mulcta indicta, quò minùs impreßio corporis incoata absolueretur? Cur doctrina Philippi de Christo & cœna vt hæretica, Ariana, Nestoriana, Mahometana, Sacramentaria damnatur? Quo ore, qua fronte dicis libros non damnari, quorum doctrina tam atrociter à vobis proscinditur?*

Additur; in Corpore doctrinæ quædam ambigua & non satis explicata reperiri, quæ declarationis eguissent, ac inter alia & hoc, De vnione faciente communia nomina. Atqui hæc est doctrina orthodoxa Theodoreti & omnium veterum. Item, de generali definitione cœnæ Domini: Hæc verò est Paulina: num igitur reijcienda, quòd approbetur à nobis? Ergo vt vos segregetis à nostris, nouas definitiones excogitatis, ab analogia fidei recedentes. O nugatorem egregium, & semper, verùm in malis tantùm, sui similem. Affirmare audet, Philippum ipsum procul dubio correcturum fuisse ea, quæ ipsi notassent, si diutius vixisset: ac statim

tim

tim oblitus eorum quæ scripsit, addit, non posse quidem negari, Philippum post Lutheri obitum inclinare cœpisse ad Sacramentarios &c. Si inclinauit Philippus ad Sacramentarios, qua coniectura affirmare audet, futurum fuisse, vt Philippus vera tolleret, falsa surrogaret?

Quære ex Schmidelino tuo illo (si adhuc tuus est) an credat futurum fuisse, vt Philippus vestras declarationes admitteret. Pulcrè hanc tuam suspicionem confirmat ille in concionibus suis de libro Concordiæ, præsertim vbi hæc verba Philippi recitat: **Man lasse mich auß dem Landt / so will ich dem Faß den boden gar außstossen.** Sed hîc iterum se prodit, Selneccere, tua leuitas. Si enim Philippus inclinauit ad Sacramentarios, cur eum in tuas partes trahis? Dicit, studendum esse vt Lutherus & Philippus coniuncti maneant. Conetur hoc qui volet, nunquam tamen efficiet, vt salua veritate in doctrina de cœna copulentur.

Vult Philippi scripta cum iudicio ad normam sacræ Scripturæ directo legi. Cur ergo non etiam Lutheri scripta sic legamus; id quod ipse voluit fieri?

Ridiculum & hoc, quòd post Lutheri obitum tandem Philippum ad nostras partes accessisse somniat, cum notissimum sit, Philippum acerrimè Luthero Camarinam illam denuo mouenti restitisse, atq; etiam propter eam caussam de relinquenda Vuiteberga cogitasse.

Dicit, se in præfatione præmissa explicationi Geneseos, fuisse Epimetheum. Fol. 69. Quasi verò non idem sit etiam in alijs Epimetheus qui semper fuit; prisco tamen illo longè solertior in admittendis munusculis (Pandoram non intelligo) de quibus tum aliquid dicetur, cum commonefactio Selnecceri publicabitur, de magnifaciendis & non sine vtilitate & fructu legendis scriptis Philippi, & de notandis ijs quæ in controuersiam adducta essent, sanáque explicatione & æquitate iudicij indigerent. Sed qua in re dicit se Epimetheum fuisse? Corpus doctrinæ scilicet olim Sacra-

mentarium ei non fuit: Sed postquam propinati sunt ei fructus ligni scientiæ boni & mali ex Paradiso Sueuica, tum demum aperti sunt oculi eius, vt fieret sicut Deus, discernens bonum & malum, hoc est, ex lusco cæcus. Nam ex Catechesi Vvitembergensi & Stereomate, tam oculatus non est factus, cum in ijs sint res & verba Corporis doctrinæ. Si igitur audire Selneccerus me & alios volet, prius in sua inquiret, quàm ad Philippicorum emendationem accedet, ne audiat occini illud; ὗς τὴν Ἀθηνᾶν. & aliunde hoc; νᾶνος ὢν ὕπειχε. Si me præsentem haberet, insusurrarem ei in aurem; πρόσεχε σεαυτῷ: aut Basilij hoc; ῥᾴδιον ἑκάστῳ ἡμῶν πολυπραγμονεῖν τὰ ἀλλότρια ἢ τὰ οἰκεῖα ἑαυτοῦ διασκέπτεσθαι. Quòd si viderem meis monitionibus nullũ locum relinqui, Suffenum eum esse paterer, ac cum mantica à tergo dependente dimitterem. Ad Philippum quod attinet, si qua sint in eius scriptis, quæ lemniscis, vt ipse loquitur, indigent, nemo sat scio est vel tinctus saltem humanioribus literis, qui neget quemuis alium ad correctionem vtilius admitti posse quàm Selneccerum.

VVelleri autoritati, quam allegat, quantum tribuendum sit, meum non est pronunciare. Hoc tamen constat, Vvellerum illum adeo bellum vel potius ἀβέλτερον fuisse, etiam in Lutheri erroribus exosculandis, vt nemo dubitet; quin statuas etiam aut panem Sacrificuli adoraturus fuerit Luthero iubente. Metuit miser ille senex, ne autoritate Lutheri labefactata, autoritas Scripturæ corruat: quo quid ineptius, imò quid magis impium?

Sed Selnecceri stultitia hîc iterum emergit. Multa, inquit Vvellerus, in Corpore doctrinæ non congruunt cum diuinis monumentis Lutheri. Hîc Vvelleri testimonium contra seipsum profert, conantem Lutherum cum Philippo conciliare. Sed quæ diuina monumenta intelligantur, facilè est colligere; ἐριστικὰ scilicet scripta de cœna.

Fol. 70. VVellero Selneccerus Daniel est, quem multi iniquum iudicem fuisse experti sunt, & experiuntur adhuc non priuatim solùm

ſolùm viri docti, ſed publicè etiam florentiſſimæ Eccleſiæ. Sed hoc illud erat elogium, quod quia perire ſibi aut latere nolebat Selneccerus, memoriæ conſecrare voluit hanc Epiſtolam, vtcunque colaphos impingentem volentibus conciliare Philippum cum Luthero de cœna. Hinc autem apparet, an mentiti ſint Neoſtadienſes de priuatis, occultis, vafris Theologorum Bergenſium machinationibus in aulis & gynæceis.

Inſimulantur Theologi Vvitebergenſes, quòd prætextu Corporis doctrinæ quæſiuerint oppreſſionem Lutheri & ſcriptorum eius. Non quæſiuerunt Lutheri oppreſſionem; ſed ſcriptorum eriſticorum de cœna: nec quæſiuerunt prætextu Corporis, ſed ſolidis fundamentis veritatis in eo iactis.

Negat in Confeſſione Auguſtana dandam fuiſſe & præbendam manum hoſtibus Sacramentarijs, omiſſione particularum: improbamus ſecus docentes. Hoc erat vlcus. Rectè autem ſunt mutata, quæ Papiſtis & vobis anſam præbebant, veſtra monſtra in Confeſſionem intrudendi.

Addit, non debuiſſe mutari vel in minimo, ſine eorum conſenſu quorum eſſet Confeſſio. Impudenter ſanè. An non ſic factum eſt? An non formula emendata à pluribus fuit approbata quàm prima? Nonne aſſenſerunt, qui correcta exemplaria Vvormatiæ & Ratisbonæ, communi nomine oppoſuerunt aduerſarijs? Nequaquam ergo ſatisfeciſtis quæſtioni de conſenſu formularum Confeſſionis. Poſteriores enim ſunt priorum declarationes & illuſtrationes: Ac proinde quæ expuncta ex prima formula, rurſus inſercitis, nihil iuuant cauſſam veſtram, vt quæ aut falſa, aut ambigua ab autoribus & ſocijs Confeſſionis iudicata ſunt, & ſecundum poſteriores formulas vel corrigenda vel intelligenda.

Fuerunt, inquit, qui quærerent, an in hominis regeneratione interueniret aliquis motus cordis; & his reſponſum; motum ſpiritualem cordis aſſenſum & fidem eſſe ſimpliciter opus Spiri-

tus sancti. Imò mi Selneccere, actum fidei sic efficit Spiritus sanctus, vt simul sit ipsius & nostrum opus. Non enim est ociosa voluntas, nec mouetur sicut truncus aut lapis, etiamsi agit acta.

Deum, inquit, dare verbum & Sacramenta, quæ velit vsurpari & per ea esse efficax in cordibus &c. Cur ergo non in omnibus est efficax? Cur alij manent, alij non manent contemtores? Hic nihil respondistis, nihil addatur, Omnes natura à seipsis esse cæcos & perditos, Deum autem eripere ex perditione in quam se coniecerint, quos ipse velit: atque hanc esse caussam, cur nos perditionis, Deus autem salutis nobis autor sit.

Fol. 72. Chemnicij elogia audita satis luculenta, exclamauit Pastor in Schonbrun: Sumus sicut somniantes. Etiamsi tacuisset, ex subscriptione tamen pateret, somniculosos illos fuisse; ac verisimile est, ideo, quemadmodum refert, aliquos cecinisse clara voce, Magnificat anima mea Dominum &c. vt scilicet stertentes expergiscerentur, vel oscitantes ad lectionem alacriores fierent. Fortè si Choraulen habuissent, etiam saltassent aliqui, vt veternum excuterent.

Idem Pastor mentionem fecit Nicolai Amsdorfij, de quo Lutherus dixisset; Spiritus meus requiescet in Amsdorfio: & Vvellerus; Nemo tantum hausit de Spiritu Lutheri ac Amsdorfius. Quantū de Spiritu Lutheri Amsdorfius hauserit, Vvellerus, Selneccerus & alij nouerint: nobis hoc constat, in maledicendo & conuitiando Amsdorfium Luthero longè superiorem fuisse. Quantum iudicio & doctrina valuerit, non ostendit, cum illud Apophthegma suum sparsit, non sine Ecclesiarum scandalo & deformatione: Bona opera esse perniciosa ad salutem. Omitto alia. Credo enim habuisse zelum: sed dubito qua cum scientia.

Nam propositionem istam Pauli esse, falsò asseritur: Et eius defensio, quæ hic affertur, est futilissima: Noxia nimirū esse, si quis illis inniti & confidere velit. Quibus enim innituntur homines, non sunt bona opera coram Deo, sed hypocritica, ac proinde peccata,

peccata, Deo exsecrabilia, & haud dubiè saluti obstantia. Verè autem bona opera, hoc est, noua obedientia fidelium, nullius unquam saluti nocuit. Nam quæ Paulus σκύβαλα vocat, ea opera intelligit, quæ in Pharisaismo fecerat. Itaque miror cur hîc perfectißima & sanctißima opera nominentur. Non enim quæritur, qualia Paulo tum fuerint visa; sed qualia coram Deo fuerint.

Senex quidam octoginta septem annorum, lætatus est se reduci ad Lutherum, desiderabili illo libro, quem in tenebris expectarit. Miseret me istius senis, qui tot annos luce priuatus fuerit, ac par est vt omnes ei gratulemur, quòd opera patrum Bergensium nunc acutius cernat, quàm olim in adolescentia, si modò præ magnitudine lætitiæ, satis etiam meditari potuit, ac repurgatis mentis oculis videre, qualia essent, quæ in libri prælectione audiuerat. Fol. 73.

Alius hunc librum Promtuarium esse bibliorum dixit. Hæc Selneccerum non pudet illinere chartis, & Illustrißimorum principum oculis offerre. Si dubitaretur de prudentia hominis, vel ex hoc vno iudicij eius infirmitas cum extrema leuitate coniuncta deprehendi posset. Quis enim nisi planè stupidus commendatorum istorum κολακευτικὸν καὶ φιλοπρεπὲς ἦθος non animaduertit? ac tantum abest, vt hæc elogia autoritatem libro concilient, vt qua ratione vehementius eadem profligari poßit, non videam. Nónne hoc fuerit secundum prouerbium τὰς χύτρας ἐπιδείκνυσθαι? quàm crebro audiet iterari illud, οἴκοθεν ὁ μάρτυς? Quod autem ascribit Selneccerus, de sententia illius laudatoris ex libro Bergensi retractata, eiusmodi est, vt eo non minus vel Ecebolus vel Iron aliquis vti posset, quàm seriò mutans sententiam: cum sit mutatio sine ratione. Ideóque multò honestius à Selneccero dißimulatum fuisset.

Sed voluit Deus etiam ista ad confirmationem Admonitionis à Selneccero scribi. Ne autem videatur antiquitatis esse imperitus Selneccerus, historiam commemorat, quæ Philoso-

phus Sacramentarius, effectus Christianus Lutheranus fuerit. Imitetur illum senem Selneccerus (cui Christi nomen sordet) Lutheranus, & congrediatur coràm cum Sacramentarijs, & experiatur an similis vis etiam suis argumentis insit. Hic Rhodus, hîc saltet. Senex ille cum Philosopho collocutus est; colloquatur & Selneccerus cum Sacramentarijs, & periculum suæ virtutis faciat. Quid ad hoc Selneccerus? Vbi est ille Lutheranus, qui spiritu legiones Sacramentariorum difflat? Procedat in arenam, & de vera Christi carne disputet non ex physicis quæstionibus, sed ex doctrina Scripturæ sacræ, in qua cum nihil sit de vbiquitate carnis, hanc non facilius senex ille persuasisset Philosopho, quàm nobis eam persuadet Selneccerus.

Sed clausula Selnecceri elegans est, Ita, inquit, Philosophus Sacramentarius effectus Christianus Lutheranus &c. Ergo possunt etiam aliqui esse Christiani non Lutherani, siquidem Christianus restringitur additione Lutherani.

Additur, alium quendam senem Lutheri discipulum de libris Lutheri & Philippi monuisse assidua lectione dignissimis, sed discrimine obseruato, quod inter vectorem & vectum seu sedentē in curru est. Facetè dictum, lepidè, eruditè, vt nihil supra: ac fraudauit Selneccerus singulari voluptate Lectores, quòd non adiunxerit, vtrum ex his senex vectorem vel aurigā nominarit. Si Philippum voluit vectorem fuisse, hoc indicauit, Philippi ductum Lutherum sequi debuisse: Sin Lutherum aurigam appellauit, imprudens eo ipso Philippum Luthero, vt Achillem Automedonte Homerus, honoratiorem fuisse statuit, quod inter Lutheranos dicere haud scio an periculosius sit, quàm Romæ summo Pontifici maledicere. Itaque quod saluus è manibus circumstantium euaserit, ambiguitati dicti acceptum referre debet. Vis autem scire Selneccere, quid iudicent docti & prudentes viri: Lutherum & Philippum vtrunq; aurigam fuisse existimant:

de

de quo scripta vtriusque collata, multò melius testari dicunt, quàm omnes Pastores in Iansdorff.

Probauit quidam nouum esse certamen Vbiquitarium, & nequaquam esse hoc dogma Augustanæ Confessionis: quia cum Papistis, cum quibus non minus, quàm nobiscum litigant vbiquitarij; Lutherus professus est, nullam sibi de persona Christi esse controversiam. Hoc isti sic eludunt, quòd Luthero de duabus naturis quidem conuenerit cum Papistis, sed non de natura humana, ac multos dixerit esse inter Papistos Nestorianos. Atqui ista est vna ex contradictionibus Lutheri, quibus caussam suam euertit. Si enim de altera natura dissentit à Papistis, quomodo consentit de vtraque? Qui Nestorianismum illis impingit, quomodo consentit cum illis de persona? Sed Lutherus de vbiquitate nihil somniauit, antequam vrgeretur certamine Sacramentario, & illam aduocaret subsidio. Postea verò, cùm videret hunc esse baculum arundineum, perforantem manum innitentis, rursus abiecit eam, in articulis Schmalcaldicis & alibi: Neque vel Papistas vel nos esse Nestorianos probauit. Sed neque Confessio Augustana vbiquitatem admittit, neque Pontificij Confessionem admisissent, si vbiquitatem oluisset. Consistit igitur illius argumentum, qui hoc modo nouitatem dogmatis vbiquitarij ostendit.

Selneccerus autem hîc nouam Naso calumniandi vel potius insectandi Ecclesias Lutheranas ansam præbet, cum ait, Thesibus Ingolstadianis Vuitebergæ anno 71. editis ostendi, Pontificios Nestorianos esse, in cuius hæreseos luto Selneccerus cum suis patribus ad ambas vsque aures hæret, vt verbis Neostadianorum vtar. Quòd autem Vuitebergenses accusat, quasi Antichristo astiterint, edendis illis Thesibus Ingolstadianis, calumnia est. Non enim Antichristo, sed veritati astiterunt; id quod semper est faciendum, siue Papistæ, siue alij sint, qui eam confitentur; Sicut Paulus non assistebat Pharisæis, quando illos cum Sadducæis committebat.

Ad quæstionem de caussa reiectionis & receptionis, respondent, Deum non esse caussam interitus Saulis, Dauidem receptum ex gratia, sed audientem, legentem, considerantem verbum, adiungentem preces. Hic duo desiderantur, sine quibus non expeditur quæstio. Alterum, Deum tamen esse caussam pænæ Saulis, studium & preces Dauidis ex eadem gratia Dei emanasse, ex qua ipsius receptio, alioqui non meliorem futurum fuisse Saule.

Recitationem quartam mentione claudit M. Martini Oberndorferi, viri optimi & doctißimi Selneccero quidem post subscriptionem: qui Oberndorferus cur in Palatinatu potius, quàm in Saxonia, & in Rhenano potius, quàm in Bauarico vbiquitati subscribere voluerit, propediem sciam, breui fortè illuc hinc excursurus. Quidam lacrymulis vxoris motum eum esse aiunt: alij Musculi exemplum secutum perhibent: alij odio Sacramentariorum adductum affirmant. Sunt etiam qui inscitia factum dicunt, ac epistola, quæ circumfertur, me propemodum in eam opinionem trahit, vt credam, controuersiam ab eo non intelligi. Corpus doctrinæ amplectitur, ac interim nostros damnat, quo nihil absurdius. Vbiquitatem reijcit, & tamen loco eius substituit πολυτοπίαν *corporis eodem errore. Laudo autem eum, quòd à seditiosis consilijs abhorreat, rogóque, vt in posterum etiam modestius in nostros debacchetur, ne si pergat maledicere, prætexuisse tantùm hoc quietis & pacis studium turpitudini subscriptionis & inconstantiæ suæ videatur. Præterea vbi conuenerimus, si ocium erit, ex illo quæram, quare ambiguè vel obscurè dictis à Philippo, satius esse duxerit, adhiberi Lutherum interpretem, quàm Lutheri* ἀκυρολογίαις *proprietatem Philippi.*

Quinta Recitatio. Fol. 76.

In quinta recitatione ait, plerosque Neapolitanos ad Orlam, quò minus lectioni interessent, pestem remoratam esse: Paulò pòst tamen sine hæsitatione (id quod Neostadiani ad Hartum non fecissent, vel mille pestibus circumstantibus) subscripsisse, cùm ad

quæsita

quæsita sua responsionibus hactenus commemoratis satisfieri sibi paterentur. Caussam, cur his acquiescerent, omisit Selneccerus, quam mihi familiaris meus, vir non malus, ἄγχι χῶν κεφαλὼ indicauit, metum nimirum exilij. Hæc obiectionum solutio fortior fuit omnibus, quas hactenus recitauit Selneccerus.

Alius opposuit patribus Eberi sententiam de indignis, qui secundum illum non omnes edant corpus Christi, si accedant ad cœnam. Responsum est, Eberum quidē argumenta Sacramentariorum philosophiæ & rationis humanæ fideliter refutasse: (At quàm fideliter & quàm solidè, nouimus omnes, qui ipsius & refutationem hanc & Confessionem legimus, paulò ante illam refutationem scriptam) Ad indignos verò quod attinet, nouum planè eum attulisse commentum. Atqui cœna Domini non magis instituta est Iudæ, quàm Caiphæ & Pilato: non magis hypocritis & Epicureis profitentibus, quàm non profitentibus nomen Ecclesiæ, neq; illis plus, quàm his, promittit. Nondum ergo refutastis commentum Eberi.

Disputanti, quòd voluntas etiam non renata requiratur ad apprehendendam gratiam, responsum: Voluntatem non renatam respectu gratiæ habere se tantùm passiuè: respectu essentiæ actiuè. Pro qua responsione ille gratias egit: at illas certè non valde merebatur responsio, quæ rem magis inuoluit quàm explicat. Quis enim considerans non videt, esse Sibyllæ folia. Cur non dictum est rotundè, voluntatem non renatam nequaquam posse apprehendere gratiam? In recipienda autē facultate apprehendendi gratiam seu assentiendi promissioni, habere se tantùm passiuè: In ipsa apprehensione seu actu assentiendi actiuè & passiuè? Eligit enim bonum, & repudiat malum, postquam iam renata, & facultate eligendi & fugiendi, quod Deus iubet, à Spiritu sancto donata est.

Pfuntelius argumentum attulit, dignum, vt Selneccerus, ait, explicatione, quod tamen ipse neque explicauit neque soluit. Fol. 77.

Si omnia idiomata diuina τῦ λόγυ realiter communicantur assumtæ naturæ humanæ, etiam genitum esse à Patre ab æterno communicatur. Sed gigni à Patre, quod est proprium Filij, non communicatur. Ergo non omnia idiomata communicantur. Responsum est valde liberaliter, adducta diuisione idiomatum perquàm arguta: Idiomata alia esse συγκοινωνητά, alia ἀσυγκοινώνητα; quæ diuisio, si de essentialibus proprietatibus intelligatur (de his enim est quæstio) ex quo loco Scripturæ desumta sit, in præsentia non occurrit, nisi Selneccerus ostenderit. In officina Fabri eam reperiri scimus. Sed scire velim, quis vobis potestatem dederit, cudendi ἰδιώματα κοινωνητά & ἀκοινώνητα, ὑποστατικῶς & ἐνεργητικῶς communicata, & redigendi ad vnamquanque classem istorum, quæ vobis collibitum est? Quot iam reales communicationes idiomatum vna vbiquitas nobis peperit?

1. Dicitis ipsi, Quæ de homine dicuntur, de carne dici oportere; alioqui ea non verè & realiter de homine dici. At enim idiomata personalia, & quæcunque fatemini de carne non dici posse, dicuntur de homine verè & realiter. Hic enim homo est Deus, æternus, conditor mundi, & Filius Dei proprius, ex patris essentia ab æterno genitus. Ergo aut hæc etiam erunt dicenda de carne: aut si non sunt, verè & realiter non dicentur de homine: aut si neutrum horum est verum, falsum erit vestrum realis communicationis fundamentum.

2. Creare mundum, operari per Spiritum sanctum, an non sunt opera ad extra? Ergóne dicentur etiam de carne?

3. Qualis est hæc oratio: Omnia idiomata diuina communicari realiter carni, & tamen quædam esse ἀσυγκοινώνητα?

4. Vnde didicistis, proprias diuinæ omnipotentiæ operationes, fieri per organum, cui proprietates diuinæ realiter communicentur?

5. Vnde didicistis, operationem per organum, esse differentiam specificam vnionis hypostaticæ?

Stat-

Stat igitur immotum argumentum Pfuntelij, ad ædificium vestrum Vbiquitarium funditus euertendum, & demonstrandum, nequaquam proprietates diuinas oportere realiter prædicari de abstracto, id est, de humanitate, propterea quòd realiter prædicantur de concreto, id est, de homine. Vestræ autē fictitiæ & sophisticæ distinctiones nihil sunt, nisi futilissima elusio, & principij petitio. Tam enim essentiales, quàm personales proprietates τοῦ λόγου verè dicuntur de homine Christo, nec tamen verè dici possunt de eius humanitate.

Aequè turpiter vos dedistis in altero argumento Pfuntelij, de fundamēto corporalis præsentiæ in pane. Si enim eius vnicū fundamentū sunt verba, Hoc est corpus: Ergo ex vbiquitate non potest probari præsentia in pane: Et per consequens, vbiquitas vestra est figmentū. Si enim esset vera, omninò esset fundamentū & probatio firmissima præsentiæ in pane. Quod enim vbiq; est, etiā in pane est. Sin verò vbiquitas est fundamentū, quid fiet Lutheri & vestris de vnico fundamēto tam multis & sonoris protestationibus? Vnde vbiquitatē è Scriptura probabitis? Nam dicta Scripturæ de vbiquitate humanitatis Christi omnia, præcedenti argumento vobis è manibis extorta sunt. Patet igitur hîc omnibus vestra principij petitio, qui præsentiam in pane per vbiquitatem, & vbiquitatem per præsentiam in pane probare nitimini: patent vestræ fraudes, qui principibus, & populo persuadere conamini, vos vnico fundamento niti, vt ex præfatione libri Bergensis patet. Cùm autem τὸ ῥητὸν verborum cœnæ corporis præsentiæ in pane, non modò non fauere, sed etiam aduersari ostenditur, subitò ad alterum fundamentum, vbiquitarias videlicet corruptelas articulorum fidei de Christo, transilitis. Atq; ita apparet, istos patres fumos vendere heroibus.

Scribit, interrogasse quosdam, an Christus eodem modo corpore & sanguine suo in cœna esset, quo modo & alibi; ac responsum esse: differre hanc præsentiam ab alijs modis præsentiæ, Fol. 78.

quòd actio esset peculiaris. De modis illis præsentiæ corporis Christi, quot numero sint, & quomodo inter se discernantur, & (quod & Alesius ex Luthero quæsiuit) quid intersit inter panem Sacramenti & communem, si corpus Christi est vbique: de his omnibus valde aueo audire, quid Selneccerus sentiat. Faciet mihi & alijs rem gratam, si, quid statuendum sit, vna atque altera antilogia demonstrarit. Interrogatum autem hîc & de cæpis, & responsum de allijs. Non quæritur, an vbique manducetur, sed an vbique eodem modo existat & præsens adsit. Aliud est præsentia, aliud manducatio. Etiam quiuis cibus corporalis eodē modo adest in loco, in quo manducatur, & in quo non manducatur, neque manducatio facit discrimen præsentiæ. Ergo nihil de quæstione respondistis. Liber Concordiæ disertè dicit, & in pane & vbique corpus Christi adesse, secundum modum dextræ Dei. Cum hac oratione ex diametro hîc pugnatis. Et sanè cùm præsentiam pijs & impijs communem faciatis, non potestis eam discernere à præsentia in quouis alio loco, & quouis alio pane. Quis autem non videt, quàm hoc sit absurdum?

De definitione communicationis idiomatum vsitata, quam Scholasticam vocat, contemtim loquitur Doctor iste cathedralis, cum suo quodam suffragatore, vt nimis scilicet angusta, & vbiquitatis non capace. Idcirco obtrudit nobis suam, quæ ita angustias vitat, vt latissimè non tantùm extra definiti, sed etiam extra veritatis terminos euagetur. Multa enim partim falsa, partim ad communicationem idiomatum nō pertinentia, in eius definitionem infercit. Nos vnam à maioribus traditam eius definitionem scimus, quòd videlicet sit prædicatio, in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ in concreto. Quam verò iste Corrector substituit, multis vitijs scatet. Primò otiosum epitheton addit generi, cùm dicit, esse prædicationem veram. Non enim falsa definitio quæritur. Secundò, dicit esse prædicationem, in qua agit vna natura cum alterius communi-

cation:

catione: insulsissimè confundens actionem cum prædicatione. Quis enim sic loquitur, naturam agere in prædicatione? Eâdem absurditate dicit, in hac prædicatione proprietatem diuinæ naturæ exerceri per carnem. Tertiò ad appellationes officij Christi quod attinet, constat eas non pertinere ad communicationem idiomatum, quæ in illis tantùm est, in quibus humana de Deo, aut diuina de homine prædicantur. Propositiones enim de proprietatibus naturarum conueniunt personæ secundum alteram naturam, non secundum vtranque: Propositiones autem de officio conueniunt personæ, non secundum alteram duntaxat, sed secundum vtranque naturam, seruatis tamen & distinctis vtriusque naturæ proprietatibus & operationibus in eiusdem officij perfectione. Ideóque mediatorem, redemtorem, saluatorem, sacerdotem, regem, pastorem Christum vocamus, non vnius, sed vtriusque naturæ respectu, sic tamen, vt vtraque agat, quod suum est. Multò igitur latiorem hîc facit definitionem definito, extendens eam ad locutiones de officio, quæ ad communicationem idiomatum non pertinent. Quartò committit falsum, cùm ait, vnam naturam agere cum communicatione alterius. Omittit enim id, quod Leo addit, vtraque faciente (non quod alterius) sed quod suum est. Quintò inest alia falsitas. Tertia enim species communicationis idiomatum, quam recens in officina Fabri didicit, Scripturæ & veteribus prorsus ignota, & παντάχουσίας πρόξενος est. Nam satis apparet, plenitudinem diuinitatis in Christo habitantem corporaliter, non pro vnione, sed pro effusione reali diuinarum proprietatum in humanam naturam eum accipere. Hinc enim assuit figmentum suum, quòd λόγος omnia sua opera exequatur per carnem. Postremò coronidis vice adiungitur implicatio contradictionis. Negat enim fieri confusionem & exæquationem. Atqui realis communicatio est ipsissima confusio & exæquatio naturarum. Quanquam & alia hîc latet antilogia luculenta. Passim enim repudiat vbiqui-

tatem carnis absolutam. Hic verò arctissimo vinculo eam sibi devincit. Vult enim λόγον operari, sustentare, regere omnia vbique per carnem vnà ibi præsentem, vbi ipse est, & nusquam extra corpus suum existentem.

Fol. 79. *Sequitur post pauca, alium quendam confessum fuisse, præceptorum autoritatem defendendam esse vsque ad aras. Si ego astitissem, monuissem vt adderet, & vsq; ad focos, hoc est, vsque ad functionis amissionem. Is dimittitur declaratione trium caussarum conuersionis, haud scio luculentáne an lutulenta magis. Nam voluntas hominis est quidem subiectum nouæ δυνάμεως benè volendi: sed ipsius actus rectè volendi est caussa efficiens secundaria. Prima enim est Spiritus sanctus, eam flectens ad sequendum voluntatem Dei cognitam ex verbo.*

Alius de dicto quæsiuit, Ego sum vobiscum vsque ad consummationem seculi; de qua præsentia illud accipiendum esset. Responsum est, de præsentia totius personæ secundum vtranque naturam. Vigilius *Vigilius longè aliter: Sed & nobiscum est, & non est nobiscum, quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit neq; deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis in cælum, absens est nobis, per formam Dei, quæ non recedit à nobis, in terris præsens est nobis. Vigilius hic si ante quadriennium in Sueuia vel Marchia docuisset, procul dubio modò nobiscum viueret: aut si remansisset, coactus fuisset & nomen & confessionē mutare, ac pro Vigilio Christiano, se Dormilium Brentianum appellare. Sed etiam Selneccerus ipse hîc se refutat. Ait enim, hæc verba Christi loqui de præsentia naturæ humanæ, quæ Ecclesiæ & credentibus promissa est. Hæc autem est spiritualis, qua Christi humanitas credentibus præsens est in terra, sicut nos ipsi sumus præsentes existentii in cælo: Spiritu videlicet sancto nos ipsi vniente, velut membra capiti, & palmites viti. Hæc præsentia non requirit præsentiā corporalem in terris, communem etiam infidelibus. Cur ergo ad præsentiam talem carnis in terris detorquetur?*

Cygneam cantionem claudit Georgius Ferber Paſtor in Muſel, his elegantibus rhythmis, quibus ſimiles hoc anno non legi:

Aureum hoc volumen placet & placebit,
Inq; eo Muſellanus ſtudebit;
Id quod ſua manu teſtatur;
Quoniam liber ex corde ipſius amatur.

Dignus ſanè plauſus fabula, & ſpecimen ſuffragatorum Bergenſium. Sed erras vehementer Selneccere, ſi his & ſimilibus nugis ac ἐγκωπίοις φορτικοῖς καὶ κομιδῆ βωμολοχικοῖς, Neoſtadianum ſcriptum putas refutari: quibus φλυαρίαις & in præſentia, imperitorum hominum ſeruilis adulatio omnibus intelligentibus deridenda proſtituitur, & in poſterum ipſum opus propter eiuſmodi laudationum ὑπερβολὰς ſuſpectum redditur. Sed vt ad Rhythmos redeam, quid Caluinianis facilius, quàm ἀμοιβαῖον aliquod reddere? Vtpote:

Vulcanium hoc volumen iacet & iacebit,
Neq; in eo Aſellanus deinceps ſtudebit,
Id quod mundus vniuerſus teſtatur,
Quia à nemine ferme amatur.

Poſtquàm Coldicium peruenit, reſpirandi cauſſa diuertit ad Dominum Vvenceslaum Linckium, inuitans ad cœnam ſuam, quamuis inuitum Vitum Theodorum. Laborat enim multum in eo apud ſe retinendo: quaſi arx cauſſæ in eo eſſet poſita. Sed quid mirum, ſi Vitus rem nondum intelligens, nobis aduerſus, re melius perſpecta noſter fuit? Euenit hoc multis alijs, item bonis: Optamus vt & Selneccero eueniat, & omnibus, qui peccant ignorantes. Poſtremo vitæ tempore Vitum ſuum fuiſſe, Caluinus contra Vveſtphalum teſtatur: Et Vitus amiciſsimè ſcripta ad eum epiſtola confitetur, quæ extat in volumine epiſtolarum Caluini: multò locupletior teſtis vterque, quàm ſeſquitres Selnecceri. Egregius verò Viti defenſor, qui ipſum Vitum arguit mendacij. Is enim teſtatur, ſe illis tantùm aduerſari, qui in Sacramentis Fol. 80.

nuda signa statuunt, quod nos non facimus. In Caluini verò sententiam optat omnes perduci. Nam ad editionem scriptorum Lutheri quod attinet, malè cessisset Vito, si quid vel mutasset, vel omisisset: Itaque illa nihil ad rem. Iniustè autem accusat nostros Selneccerus iniuria in Rempublicam Norimbergensem. Non enim ignominiosum est habuisse Doctores & Ministros veritatis amantes & intelligentes, atque etiam de praeconceptis opinionibus cedentes, si meliora videant. Coldicij, inquit, quidam monuit de proprietatibus essentialibus diuinae naturae, quòd si dicantur communicari humanae Christi naturae, simul essentiam diuinam communicari necesse sit. Responsio. Cuicunque tribuitur proprietas essentialis, scilicet vt fiat & sit proprietas alterius tanquam subiecti, cui formaliter & essentialiter inhaereat. Sic autem carni Christi non tribuuntur Idiomata Deitatis, quia non fit communicatio essentialis, aut transfusio Physica, sed realis modò &c. Negat Theologus eximius, idiomata diuina communicari humanae naturae essentialiter: Negat transfusionem fieri Physicam idiomatum, & statuit tamen realem communicationem, quae quantum à transfusione distet, & haec à naturarum confusione, tùm è Selneccero audiemus, vbi ἀντιλογεῖν desierit. Sed ad argumentum sic respondet: Communicationem hanc realem fieri gratia & modo vnionis in hypostasi τοῦ λόγου. Atqui etiam Deitas gratia & modo vnionis communicata est carni. Nam haec ἀκυρολογία nihil aliud significat quàm vniri. An autem propterea caro dicitur Deus esse, quia Deitati vnita est? Quis sic insanit vt hoc dicat? Cur ergo caro dicitur omnipotens, quia omnipotentiae vnita est? Aut enim nō videt, aut callidè dissimulat Selneccerus fundamentum obiectionis, videlicet quòd idem est Deitas & omnipotentia: ac propterea non alio modo omnipotentia, quàm Deitas carni communicari potest, videlicet vnione, quae hominem facit Deum & omnipotentem, non autem reali communione, quae carnem pariter & λόγον faciat Deum & omnipo-

Fol. 81.

omnipotentem. Hunc nodum debebat soluere: sed eum cautè præterit. Sed constat sibi hic Selneccerus, vt liber Concordiæ, in quo negant patres, naturam humanam, etiam in ipsa vnione, omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam habere, neque in se, neque per se. Si igitur neque in se, neque per se natura humana est omnipotens, omniscia, vbique præsens, quo pacto erit realiter, siue per communicationem Idiomatum realem? Hæc enim se mutuò euertunt, vt intelligunt omnes sani: Humanitatem Christi esse realiter omnipotentem: Omnipotentiam tamen illam neque in se, neque per se habere. Si quis Selneccerum laudans, virum bonum & doctum esse diceret, sed in se & per se neq; eruditionis aliquid, neque virtutis habere, quis non videret, Superintendentem Lipsiensem derideri? Et Selneccerus ipse procul dubio ista legens stomacharetur: nihilominus tamen simili ratione pergit gloriæ domino illudere. Nam quia istis hominibus idem est carnem esse omnipotentem, & hominem esse omnipotentem. Caro autem illis sic est omnipotens, vt neque in se, neque per se, neque essentialiter, neque subiectiuè habeat omnipotentiam; necessariò sequetur secundum illos, etiam hominem sic omnipotentem esse: quod est manifesta diuinitatis Christi abnegatio. Si ergo secundum Tragædum, ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία; qui exitus manebit στόμα βλάσφημον? Dum autem realem communicationem admittit Selneccerus, non potest non de semet ipso testari, Eutychianam à se confusionem naturarum introduci, vnionem hypostaticam & idiomatum communicationem confundi, ac Antitrinitariorum blasphemias de Christo homine Deo facto, & omnibus proprietatibus diuinis ornato, confirmari. Hæc enim omnia doctrinam de reali communicatione sequi, ipse Selneccerus scribit in lib. de Concilijs.

Probat suam realem communicationem ab vnione illa, qua corpus humanum personaliter est vnitum animæ. Sed vniri alteri naturæ personaliter, non est communicare, vel ab ipsa

accipere, realiter ipsius essentiales proprietates: Sed est arcano & ineffabili nexu, cum altero fieri unius personæ substantiam. Neque realis communicatio idiomatum in naturis, ex unione, tanquam effectus ex sua caussa consequitur, id quod illa ipsa exempla, quibus utitur, ostendunt. Probat idem similitudine ferri candentis, quo, quia non sentit suas manus aduri, periculum est, ne se stuporis excusatione defendat. Sed notetur hic contradictio in tribus lineis. Negat realem communicationem ita fieri, ut sit proprietas alterius tanquam subiecti, cui formaliter inhæreat: Et probat similitudine animæ & corporis, itémque ferri candentis, sed anima corpori unitur tanquam forma hominis, calor & candor ferro tanquam subiecto. Legat D. Superintendens ijs horis, quas tributurus erat inspectioni Hallensi, quid Neostadiani de his similibus scripserint, legat & refutet, si quid perperam dictum est. Sed accommodatio ad similia perquàm quadrat. Sicut enim, inquit, Humana natura Christi non subsistit in semetipsa, sed in persona τοῦ λόγου, ita diuinā maiestatem (id est, diuinam naturam vel diuinitatem) non habet in semetipsa, ut in subiecto, sed in persona τοῦ λόγου, in cuius unitatem verè & realiter assumta est. Si non habet natura humana Deitatem, ac proinde nec omnipotentiam in semetipsa, ut in subiecto, cur debacchetur in nos, dicentes carnem non esse omnipotentem, perinde ut caro non est Deus, & tamen hominem verè esse Deum & omnipotentem, ipse viderit. Habitat, inquit, & lucet diuinitas τοῦ λόγου in natura assumta, & exercet & exerit in & cum ea suas proprietates. Quid hæc ad communicationem idiomatum realem? Aliud enim est habitare & lucere in humanitate, aliud essentiales ei proprietates communicare. Neq; enim lumen in laterna suas essentiales proprietates transfundit in laternam, etiamsi in ea lucet. Ad lucendum non requiritur ubiquitas: Lucebat enim in carne Christi maiestas diuina, cùm videbatur à Stephano, & cum nos eam videbimus, lucebit, & iam lucet in cælo: Ubiquitas

Similitudo ferri candentis

Fol. 252.
Item 302.

tas autem carnis nusquam lucet, nec lucebit in æternum.

Alius quidam, inquit, quæsiuit de propositione: Humanitas Christi est omnipotens, in abstractione, an in concreto ita dicendum esset. Vel interrogator nesciuit, quid quæreret: Vel Selneccerus non bona fide recenset. Ego enim facilè crediderim, quæstionem ita fuisse informatam, An in abstracto dicendum sit, humanitatem Christi esse omnipotentem, An verò in concreto, hominem esse omnipotentem: Neque enim illud sophisma dudum notum fuit, sed recens inuentum de vocabulo abstracti, vt pro separato sumatur, quo sensu Ecclesia nunquã vsurpauit: Sed abstracta semper intellexit naturas & formas per se considera-tas, etiam inter se vnitas. At cum quærimus, humanitas Christi sit ne omnipotens: non de separata à λόγῳ humanitate (qualis Christi humanitas nunquam fuit) quærimus, sed de humana natura cum λόγῳ vnita. Ac de hac ipsa non possumus dicere quod sit omnipotens, cum tamen verè dicamus de homine Christo quòd sit omnipotens. Hoc enim est efferre prædicatum de subiecto concreto, id est, de persona hominis, habente & carnis & Deitatis naturam in sua substantia: Non autem de abstracto, id est, de natura humana, quæ tantùm carnis, non autem Deitatis etiam naturam habet in se, tanquam partem suæ substantiæ. Selneccerus autem ita respondet, vt à sua consuetudine, ambiguitatibus & inuolucris ludendi non discedat: In persona, inquit, τοῦ λόγου, facta est natura humana particeps æternæ potestatis, omnipotentiæ &c. Si de vnione hoc intelligit, nobiscum sentit. Non enim, inquit, aliena est gloria, sed propria, quam Christus & Deus habet. Sicut ergo, Selneccere, Deitas est propria hominis, vt ipse reuera Deus sit, caro autem non sit Deus: Sic & omnipotentia hominis est propria, vt non caro, sed homo sit omnipotens. Sic etiam caro & eius propria, sunt facta Dei propria, vt non Deitas, sed Deus sit caro, sit homo, sit mortuus, suscitatus, assumtus in cælum &c. Nihilo plus agit, cum addit: vt homo accepit o- Fol. 82.

mnipotentiā ab habente & communicante eam, nimirum à Deo. Sicut enim Deus se communicat per vnionem, faciens Deum non carnem hominis, sed hominem; sic & omnipotentiam communicat siue carni siue homini. Ipse enim Deus est sua omnipotentia: ac proinde non potest aliter omnipotentiam, quàm Deitatem suam homini communicare. Concretum igitur, inquit, intelligimus, Christus homo est omnipotens, proprietate diuinæ naturæ. Insidiosè hoc dicit, intelligit enim proprietatem diuinæ naturæ, non tantùm quæ sit ipsa diuina natura, sed etiam quæ communis realiter sit humanæ naturæ. At Scriptura docet, Christum declaratum esse filium Dei secundum Spiritum sanctificantem: viuificatum esse Spiritu: Et Ecclesia Orthodoxa credit eum omnipotentem esse secundum naturam diuinam. Contradictio autem est: Humanam naturam non dici, nec esse omnipotentem in abstracto, & tamen humanam naturam esse omnipotentem. Humana enim natura nomen abstractum est.

Omnipotentia, inquit, semper est & manet proprietas naturæ diuinæ, & tamen communicatur naturæ humanæ. Contradictio est: Proprietatem esse, & communem esse. De lucente Deitate in carne, de abusu sophistico abstracti pro separato: antè dictum est. Sequitur de prædestinatione. Et quæstio, quam etiam, aut non satis intellexit, qui proposuit, aut ineptè recitat Selneccerus, videlicet. Prædestinationem esse vniuersalem, quo ad caussam, id est, quo ad voluntatem Dei. Et responsio magis inepta. Licet Deus velit omnes saluos, tamen prædestinatio & promissio vniuersalis est determinata ad credentes. Atqui Deus vult omnes saluos, scilicet, bonitate sua, inuitatione & mandato, sed non decreto & efficacia. Vbi enim hæc accedunt, salus certò consequitur.

Ac promissio vniuersalis & prædestinatio determinata seu restricta est ad credentes: sed ita, vt fides ex prædestinatione, non prædestinatio ex fide sit: Non enim, si credituri essemus,

aut

aut quia credituros nos prævidebat, sed ad hoc ipsum, vt fide in Christum nos donaret, Deus nos prædestinauit. Hoc dum negligitur, tota prædestinationis doctrina & consolatio obscuratur. Qui autem hanc quæstionem mouit, inuento hospitio suam subscriptionem retractando, satis ostendit, quid facturi essent plerique doctiores & meliores è subscriptoribus, si tàm haberent, quò fugerent, quàm vnde fugerent. Non igitur mentita est hoc admonitio.

Peruentum tandem Lipsiam est, vbi cum aliæ quæstiones enodatæ, tùm illa omnium augustissima de vbiquepræsentia carnis Christi, secundum expressum verbum, propria tamen natura diuina. Verbum hoc, etiamsi multæ officinæ Lipsiæ sunt Typographicæ, nondum tamen de sacris literis vel impressum, vel expressum vidi. Fol. 83.

De præsentia autem in ministerio & de præsentia in cœna, equidem optarim additum esse responsum Theologorum, ac imprimis, quo discrimine hanc ab illa distinxerint. Nihil enim Philippus ad hos patres collatus, etiamsi sacculus plenus diuisionum à quodam olim appellatus fuit. Is autem cœnam Domini agnoscens partem esse ministerij, non aliam in cœna, quàm in alijs ministerij partibus præsentiam Christi docuit. Ideóque scripsit & inculcauit in Apologia Augustana & alibi: eandem fidem postulare verbum & Sacramentum, & eundem esse vtriusque effectum. Sicut Paulus eandem κοινωνίαν corporis in baptismo & in cœna docet fieri, 1. Corinth. 12. eámque per Spiritum. Putida est enim & nimis aperta calumnia: Si per Spiritum carnem nobis communicari dicamus, nos tantùm Spiritus, & non etiam carnis communionem agnoscere.

Sed vide quid Lipsiæ acciderit, dignum quod ad posteritatem transmittatur. Omnes subscripsisse, ait, præter cantorem quendam ebrium. Ergo etiam cantores auxerunt exercitum subscriptorum: quin etiam ebrij. Quanquam quòd cantor iste

fuit, non debet esse ei fraudi: quòd autem ebrius fuit, valde vituperandum, quo tamen nomine fortè non traductus fuisset à Selneccero, si subscribere voluisset. Quanquam Coldicij etiam sobrium quendam dixit reiecisse subscriptionem, vsque ad editionem libri: non frustra: sciebant enim isti, se habituros multos recusationis socios. Vt vt tamen iste fuerit ebrius, quantum ad hoc negocium attinuit, plus fortè vidit ac intellexit ebrius, quàm patres Bergenses sobrij: nec mirum, cum ille fuerit ex vino vel cereuisia; hi autem non ex vino, sed ex opinionibus & cupiditatibus prauis sint ebrij.

Adiungit Selneccerus κολάκων ἐγκώμια, à superiorum elogijs longè discrepantia. Hi enim ad Lutherum se reduci latabantur, illi pro manuductione ab humanis scriptis (in quibus etiam Lutheri continentur, nisi fortè Selneccero Lutherus Deus est) ad sacras literas gratias egerunt. Referatur & hoc ad ἀντιλογίας Selnecceri, nisi fortè ita se explicet, vt humana scripta, Philippi intelligat: Sacras literas, librum Bergensem, & Lutheriristicos.

Lipsia excursum est Martisburgum, atque ibi quæsitum de dicto Marci 13. Cur filius dicatur ignorare diem iudicij. Ad hoc responsum. Christum in statu exinanitionis nō omnia nouisse, vt post resurrectionem. Hinc autem sequitur, aut non requiri omniscientiam & omnipotentiam carnis ad vnionem personalem, aut naturas in statu humilitatis non fuisse vnitas. Humilitatis autem depositio non est omniscientia diuina carnis. Nam in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi fuerunt, etiam tempore humilitatis, quando fatetur carnem non fuisse omnisciam: Et nunc etiam sunt ita, vt discernatur non tantùm status glorificationis & exaltationis à statu exinanitionis & humiliationis, sed etiā ita vt discernatur intellectus diuinus ab intellectu eius creato & humano, qui semper manet fini-

tus, & intellectui diuino inaequalis, ex quo scit, quicquid scit mens humana Christi.

Quaesitum etiam de dicto: Me non semper habebitis vobiscum. Quantum video, non aptè illis, si adfuisset, respondisset Augustinus. Secundum praesentiam maiestatis semper habemus Christum, secundum praesentiam carnis, rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum praesentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt. Secundum praesentiam carnis dicit Augustinus, nos Christum nunc non habere nobiscum, neque visibilem, neque inuisibilem. Nam Christum habere nobiscum secundum carnem, & oculis videre praesentem, Augustino idem est. Nullam ergo agnoscit praesentiam carnis inuisibilis. Ait, fide nunc eum teneri, id est, nobis praesentem esse: Ergo non agnoscit praesentiam carnis in terris etiam sine fide, qualem vos fingitis. Eadem est Hieronymi sententia, & Buceri, qui sensilem praesentiam corporis negantes, corporalem negant, nullam enim agnoscunt corporalem insensilem. Selneccerus autem, quid Bucerus dicat, non intelligit. Non adest nobis modò in terris visibiliter, localiter, circumscriptiuè, cum sic existat suo corpore in caelis: Adest tamen vnitus nobis suo Spiritu, sicut caput membris. Atque haec praesentia non est exposita sensibus, secundum Bucerum, sed fide apprehendenda: propria resurrectionis & vitae aeternae ac caelestis, quae non est vbiquitaria, rapiemur enim Domino obuiam in nubibus, & sic semper cum ipso erimus, vbi ipse est.

Ibidem de discrimine miraculorum & Sacramentorum quidam disseruit non ineruditè, secundum Selneccerum: hoc modo. Miracula physica in oculos incurrunt, aut in alios sensus: Sacramenta verò talia miracula non sunt, sed mystica sunt, & maiora ac augustiora omnibus physicis miraculis, imò miracula miraculorum, in animis piorum siue credentium. Haec sunt illa eruditè disputata. Sed si miracula, teste Augustino, diuina quae-

Fol. 84.

dam opera sunt, præter & contra vsitatum cursum ordinémque naturæ facta, cur miracula appellet physica, non video. Nam ea de caussa miracula dicuntur, quòd, cum fiunt, admirationem omnibus incutiant, idq; ideò, quòd non fiant secundum naturam. Sacramenta verò quis vnquam miracula miraculorum appellauit? Neque enim statim, quod admiratione dignum est, miraculum vocari potest. Sic enim omnia opera Dei miracula essent; cum tamen velit Deus, miracula ab operibus suis ordinarijs discerni. Sed de signis diuinitus datis, alij vtilius, credo, sic disserunt. Esse eorum alia miraculosa, vt, quæ Moses faciebat coram Pharaone, & alia, quorum in sacris literis fit mentio, vt de rubo ardente sine combustione, de vmbra horologij per 10. gradus reuersa &c. Alia non miraculosa, vt: Circumcisio, agnus paschalis, & in nouo testamento baptismus, cœna Dominica, cuius panem Augustinus lib. 3. de Trinitat. cap. 10. illis signis annumerat, quæ peracto ministerio transeunt & consumuntur, & quia per homines fiunt, honorē tanquā religiosa habere possunt, stuporē tanquā mira, non possunt. Idem de doctrina Christi lib. 3. cap. 9. de Sacramentis nouæ legis sic scribit: Hoc verò tempore, posteaquā resurrectione nostri Domini, manifestissimū indiciū libertatis nostræ illuxit, ne ipsorum quidē signorū, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus, sed quædam pauca, pro multis, factu facillima, intellectu augustissima, & obseruatione clarissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ vnusquisq;, cum percipit, quò referantur, imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potiùs libertate veneretur. Hæc ille. Quòd si iam Sacramenta miracula miraculorum eo sensu, quo ab Augustino intellectu augustissima dicuntur; ferri hoc fortè possit, sed καταχρήσει vel ἀκυρολογίᾳ admodum prolixa: Sin verò miraculosam aliquam vel conuersionem, vel inclusionem, vel alligationem corporis ad panem ibidem fieri asseueretur; Illicò

licò opponimus illud: Stuporem vt mira, Sacramenta habere nequeunt, quæ, vt iam paulò antè commemoratum, quo referantur, imbutus agnoscit. Videat igitur sibi quisque, ne spirituali libertate amissa, carnalis seruitutis onus sibi ipse attrahat: Signa nimirum pro rebus ipsis accipiendo, aut cum illis confundendo. Sacramentalia & miraculosa signa oportet esse visibilia. Sacramenta quia confirmare debent fideles, significando res inuisibiles: Ideóque sunt velut verbum visibile: Miraculosa, quia debent conuincere infideles, & confirmare etiam fideles, Ideóque necesse est, vt sensui sint exposita. Vt patet Marc. 16. Iohan. 2. 4. 6. 7. 9. 12. Actor. 2. 1. Corinth. 1. & 12. 2. Corinth. 12.

Disputatum est etiam de titulo libri, tanquam nimis glorioso & lato, ac nostri iterum à forma concordiæ exclusi, volentibus ita patribus, non Apostolicæ mansuetudinis & Spiritus Christi plenis, sed odio & maleuolentia. Responsum est, inquit, agi de concordia nostrarum Ecclesiarum, non de hostibus Pontificijs & Sacramentarijs. Sed multa obstant huic responsioni. 1. Non est vestrum, statuere, qui sint admittendi ad concordiam, qui non. 2. Non excludendi nondum conuicti. 3. Mala concordia est in falsis dogmatibus, qualem Schmidelinus fabricatus est. 4. Res ipsa ostendit, qualem concordiam feceritis, vt Ecclesia in plures iam partes discesserint. 5. Philippi & Buceri formulam vtriusque partis Ecclesiæ totam possunt admittere: complectitur enim ea, de quibus consensus est; non de quibus est dissensio. A Caluino scripta, ad Helueticas & Gallicas Ecclesias restricta est, neque nouum aut falsum aliquod dogma habet, neque excludit ab Ecclesia Catholica Christi omnes ab ea dissentientes. Qui autem estis vos paterculi Bergenses, & quæ vestra proterua & audax impudentia, qui noua, absurda, monstrosa & impia commenta vestra vniuersum per mundum Christi Ecclesiæ vultis obtrudere, & quidem adeò, vt nullum, qui his vestris placitis non subscribat, quantumuis Augustanæ Confessi-

onis & Apologiæ formulam agnoſcat ac tueatur, in Chriſtianorum numero, & veræ Eccleſiæ ſocietate cenſeri patiamini? Quis hanc autoritatem prætoriam vobis dedit, & in hanc ſellam Pontificiam vos collocauit? Nemo niſi vos ipſi. Propterea Deus ex ea vos deturbabit.

Fol. 85. Superintendens Mersburgenſis egit Deo gratias pro reſtituta luce & dexteritate. Ergo iſti Superintendentes, qui per annos viginti & amplius docuerunt in Eccleſijs, Schmidelino nunc demum agunt gratias pro reſtituta luce. Ergo verſati anteà fuerunt in tenebris, atque ita cæcus cæcum duxit. Quæ autem eſt illa lux & dexteritas è Sueuia allata? Nihil ergo ante aduentum Fabri lucidè & dextrè traditum & explicatum eſt in Eccleſijs & Scholis? Ergóne tàm obſcura & ſiniſtra fuit Philippi doctrina ſine luce & dexteritate Fabelli? O homines ſiniſtros & officina Fabri dignos: & dignas labris lactucas.

Dicit idem Superintendens, fabellas ſparſas præclarè confundi in libro. Verè confunduntur non tantùm fabellæ inter ſe, ſed etiam vera cum fabellis, vt incauti & imperiti fraudum veſtrarum, neque quid legant, neq; quid credant intelligant.

Naumburgi ſcrupulus ille mihi ferè exemtus eſt, de omniſcientia humanæ naturæ, cum ait, fuiſſe eam omniſciam in ſtatu humiliationis, δυνάμει, ratione vnionis, non actu. De quo tamen, vt verum fatear, quæri poßit amplius. Si enim communicatio realis ab vnione, quemadmodum volunt, dependet; atq; in ipſa humiliatione vnio tàm perfecta fuit, atque poſt exaltationem, quid quæſo impedijt, quo minus etiam tum natura humana omniſcia eſſet? Nunquam Selnecceri ſcripta legeris, quin aliquid noui didiceris. Obſerua igitur hîc rurſus, lector, nouam & magiſtralem diſtinctionem realis communicationis Idiomatum, aliam ſcilicet potentialem; Aliam actualem; magnus eſt eius vſus. Vbi enim potentialis vbiquitas non ſufficit, ad obtinendam præſentiam corporis Chriſti in pane, ad actualem progredere: vbi

re: vbi excluderis ab actuali, tum ad potentialem recurrito, idem in omniscientia & omnipotentia licebit facere. Hoc tamen caue, ne impingas in scopulum diuulsionis personæ, si humanitas non sit actu vbicunque est Deitas. Item in absconsione omnium thesaurorum scientiæ in Christo, etiam tum, quando mens ipsius humana actu non fuit omniscia.

Dicit etiam propositum fuisse de exaltatione humanæ naturæ in Christo, cum tamen ab alijs exaltatio intelligatur de officijs secundum vtranque naturam. Differ responsionem. Non tantùm de officijs dicimus, quæ semper habuit Christus, sed etiam de administratione eorum gloriosa, quam resuscitatus demum inchoauit. Iam audiemus tuam responsionem. Cum gloria & potestas ab extra, aliunde in carnem non sit inuecta (quid dicis Nicolaë, an non à Deitate?) sed ipsa Deitas per eam luceat, & se exerat, exaltatio propriè loquendo ad solam humanam in Christo naturam referenda est. Dederim tibi hoc Selneccere, quatenus exaltatio est acceptio nouorum donorum: Sed etiam ad Deitatem pertinet, alio sensu accepta, scilicet, quatenus attributa illa, quæ semper in Deo sunt immutabiliter, in glorificatione humanæ naturæ manifestata sunt.

Quod addit, humanam Christi naturam accipere etiam hoc, vt idonea & sufficiens sit, ad ἀποτέλεσμα vnum cum diuina natura perficiendum: in officijs & beneficijs personæ concedimus, cum adiunctione huius clausulæ, cuius subinde obliuiscitur, operando nimirum, quod suum est, non quod Deitatis proprium. Differt enim operatio naturæ ab officio personæ, sicut pars à toto.

Quæsitum etiam est, inquit, de æternitate, an & hæc sit communicata. Ac responsum est valde acutè, argumento ducto à minori ad maius: Aeternitas hominibus etiam communicatur: Ergo multò magis communicatur humanitati Christi. Nos in Scholis didicimus, Aeternum propriè esse id, quod & initio & fi-

ne caret. Ideóq; Deum solum æternum dicimus. Atque huius æternitatis particeps nulla creatura potest esse, & per consequens ne ipsa quidem Christi humanitas: multò minus alij homines. Quòd si καταχρηστικῶς æternitatem sumit pro immortalitate & ἀφθαρσίᾳ, nolo ego mea λογομαχίᾳ ipsius ἀντιλογίας augere. Respondeat Selneccerus iam suo Luthero, dicenti, quòd homo iste sit verè Deus æternus, Creator mundi. Hanc gloriam vestra realis communicatio Idiomatum, sacrilege, detrahit Christo. Si enim homo non est omnipræsens, carne non omnipræsente; etiam homo non erit Deus æternus, carne non existente ab æterno.

Fol. 86. De Lutheri, inquit, verbis, quibus improbantur ij, qui Christum aiunt esse simpliciter (hoc simpliciter σὺ διπλῶς ὢν assuis) omnipotentem hominem; dictum est ex ipso Luthero (discedente scilicet à se & à Scriptura in libris Polemicis) loqui eum de statu exinanitionis &c: non de statu gloriæ. ψεύδῃ ἑκὼν ὦ Nicolaë. Loquitur de sensu Apostoli Heb. 1. vbi agitur de Christo glorificato. Item loquitur vniuersaliter de discernendis naturis in humilitate & in gloria. Dicit Lutherus, Scripturam loqui de Christo aliàs secundum diuinam, aliàs secundum humanam naturam, & vnius naturæ propria, non esse alteri naturæ asscribenda. Item, dicit expressè, qui faciunt Christum hominem (scilicet quâ homo est) omnipotentem, eos confundere naturas. Item, Deitatem solam omnia videre ac scire. Item. Christum omnia creare, quâ Deus, nihil creare, quâ homo est. Vide sermon: super Heb. 1. in Natalitijs Christi. Item de postremis verbis Dauidis, Resuscitationem & viuificationem tribui Christo secundum naturam diuinam. Ibidem, Hominem hunc esse omnipotentem, æternum Deum, habentem æternam potentiam, Creatorem & conseruatorem omnium rerum, per communicationem idiomatum; & multa in eandem sententiam.

In statu, inquit, exinanitionis non est simpliciter & semper actu omnipotens homo. βλασφημεῖς αὐτὸς σὺν τῷ διδασκάλῳ. Christus

stus semper fuit actu omnipotens homo, quia semper actu fuit verus Deus, etiam in cruce pendens, & in sepulchro iacens. Illud autem tuum (simpliciter) κενσφύγετον est. Si dicas: Christus non simpliciter, id est, non secundum vtranque suam naturam, sed secundum diuinam, est homo omnipotens: Rectè. Sin autem, vt vos intelligitis, secundum humanam naturam partim est, partim non est omnipotens: Mendacium est. Robustior quidem & potentior est, natura humana in gloria, quàm in humilitate, sed nunquam facta est omnipotens, hoc est, æquans sua virtute Deitatem in Christo. Præterea ineptißima contradictio est, implicita his verbis: Omnipotens est caro Christi non simpliciter. Si enim non simpliciter, ergo secundum quid erit omnipotens. An ergo secundum aliam sui partem est, secundum aliam non est omnipotens? An aliam partem omnipotentiæ habet, aliam non habet? Atqui non est omnipotentia, quæ non est respectu omnium rerum Deo poßibilium.

In statu autem illo glorioso, inquit, Christus in æternum actu omnipotens homo est. Omninò est. Sed hoc erat etiam in statu humilitatis: & tamen in eo, fatente Selneccero, caro non erat omnipotens, etsi erat caro omnipotentis hominis: quia caro Dei. Addimus nos: etiam in statu gloriæ: Sed non secundum humanitatem: Quia caro & ossa Christi, tàm non sunt omnipotentia, quàm sunt omniscia & omnipræsentia; & tamen sunt vnita λόγῳ, non minus, quàm anima.

Verum est, inquit, Patres aliquos loqui de manifestatione diuinitatis τοῦ λόγου, in explicatione dicti: omnis potestas. Cur igitur sic tu loquentes damnas hæreseos?

Addit, Sed verum & hoc est, ipsos affirmare carni assumtæ datam esse in tempore omnem potestatem &c. Rectè sanè, respectu vnionis & officij. Sed hoc nihil ad vbiquitatem & ad omnipotentiam carnis. Sic dicit & Lutherus; Homini datam esse potentiam æternam Dei, carentem principio.

Etiam ad Caluinum & Bezam confugit, dicentes, respectu carnis hæc dicta, de potestate data Christo, accipienda esse, non diuinitatis. Res facilis est explicatu. Data est homini omnipotentia, sicut ei data est Deitas. Nam Deitati Deitas dari non potuit, nec omnipotentia omnipotentiæ. Humanitati autem vnita est Deitas, atque ita homo Deus, eodémque modo omnipotens factus. Quomodo enim, qui Deus est, non esset omnipotens, etiamsi secundum carnem suam neque Deus, neque omnipotens est? Hæc responsio etiam contra contentiosos sufficit. Sed Christus in illis dictis loquitur de officio suo, id est, de gubernatione cæli & terræ, & præsertim Ecclesiæ suæ. Hanc semper administrauit cum patre & Spiritu sancto, secundum Deitatem suam, capit autem eam administrare & patefacere secundum humanitatem in tempore destinato; idque seruato naturarum discrimine.

Rectè autem addit Selneccerus, quod Vigilius dicit; Neminem facilè tam amentem esse, qui ista simpliciter de diuina natura velit intelligere. Præclarè enim Vigilius nouerat, Explicandum hoc esse non de aliqua noua, quæ Deitati facta sit, accessione, sed de plena eius patefactione, per naturæ humanæ glorificationem, quam petit à patre. Iohan. 17.

Fol. 86. 87. In oppido Vveisenseh, Lutheri discipuli testati sunt, hanc esse eandem doctrinam, quam semper (imò verò non semper: Non enim semper de humanitate Christi idem docuit) ex ipso audiuissent Luthero. Gloriosius patribus fuisset, si dixissent, esse Christi doctrinam: Sic subscriptionum Saxonicarum clausula esset omnium pulcerrima, de quibus subscriptionibus vel extortis vel elicitis, ego nihil habeo addere. Quàm verè & quàm fideliter Selneccerus ista recitet, illi viderint, quorum res agitur. Non contradixerim, concessam fuisse omnibus libertatem quærendi, contrà disputandi: sed hac tamen conditione, vt qui responsionibus patrum contenti non essent, nec subscribere vellent, ij functionibus suis abire, & alijs cedere iuberentur. Atque hoc inter

coactio-

coactionis genera an referri poßit, Iurisconsulti viderint. Nobis autem ne his quidem opus est. Quàm enim bona omnium pace & voluntaria subscriptione sit actum (vt prædicat Selneccerus) testantur euidenter multorum obiectiones à patribus non ex verbo Dei solutæ, sed autoritate partim absentium, partim præsentium, & exemplis exulum & captiuorum, repressa. Negat, quosdam libro non perlecto subscripsisse. Atqui pleriq; omnes secundum Selnecceri recitationes libro tantùm semel prælecto subscripserunt. Prælectio autem non est perlectio, præsertim in his sophismatum λοξολογίαις, ex quibus etiam cautus & diligens perlector se vix expediat. Quin & in vicinia sunt, qui ne prælecto quidem sibi libro subscripserunt, quia siue lecto siue non lecto subscribendum fore scirent. Quòd autem ait, putidum esse mendacium, quosdam annexa priuatim conditione subscripsisse, in eo sui similis est. Factum enim hoc in Franconia: nota sunt & loca & personæ. Ne quidem in Saxonia & Misnia facta omnia Selneccerus recitauit. Sufficiunt enim ista ipsi & nobis. Alibi facta ignoscemus ei, si ignoret. Inuidia autem iniustißima nostros grauare conatur, cùm scribit eos Ecclesias allatrare, quæ ipsorum consilia non requirunt. Ecclesiam enim nullam allatramus; sed Selneccerum & socios ipsius apud tribunal Dei, & apud omnes viros honestos, amicos & aduersos nobis, accusamus, quòd doctrinam cælestem nefariè corrumpant, Ecclesiam Dei scandalis & schismatibus discerpant ac deforment, idola Antichristi stabiliant, homines innocentes atrocißimis calumnijs proscindant, membra Christi conculcent, & sæuitiæ hostium obijciant. Nostros autem non requisitos esse, dum iterum nobis exprobrat; nos quidem Selneccero & ipsius complicibus istam sapientiam non inuidemus, vt nullorum consilijs indigeant; Sed de eo grauißimè & iustißimè querimur, quòd audent condemnare non auditos. Ad nos condemnandum requirimur, ad consultandum non item. Si condemnati nos purgemus &

queramur de iniurijs, allatramus Ecclesias. Scilicet silentio nostro caussam Christi nos prodere, & sceleratißimè aduersus nos effusas calumnias confirmare vellent. Erras Selneccere, si hoc futurum speras.

Fol. 88. In Duringia perlecto (prælecto voluit dicere) libro, recitat quendam hoc prætextu recusasse subscriptionem, quòd se Philosophum & Grammaticum esse diceret. Ex quo apparet, inter subscriptores paucos esse Philosophos & Grammaticos. Quo nomine ego Germaniæ nostræ, haud scio gratulérne, an condoleam, tot refertæ Theologis, vt inter multa subscriptorum millia ne vnus quidem Grammaticus aut Philosophus conspiciatur.

Aldenburgicum elogium dignum est memoratu, ac miror non præpositum fuisse aureo illi volumini: si quis nolit esse manifestus hæreticus, aut incertus de fide & doctrina sua Philosophus, aut planè Epicureus, eum aliter nec sentire, nec docere posse de controuersijs, quàm quemadmodùm in hoc libro illæ expositæ, & ad normam verbi Dei examinatæ, decisæ essent. O miseros Philosophos. O dementes Grammaticos, qui Aldenburgensium etiam tam honorifica libri commendatione flecti nequeant. O pertinaces hæreticos Sacramentarios, qui his & similibus encomijs non moueantur. Hæc vna mecum legens studiosus quidam optimarum artium, non dißimilem sibi aiebat videri Selneccerum mulierculaarum non pulcerrimarum, quæ cùm depinguntur, facilè patiuntur plusculum à pictore vel ruboris vel candoris addi, quàm reuera in facie inest, eò quòd existimant, hac ratione aliquid de sua deformitate detractum iri. Eodem modo, dicebat, Selneccerus & Patres, agglutinatā illam ad Confeßionem Augustanam appendiculam, speciosiorem futuram arbitrantur, si huiusmodi ὑπερβολικωτέραις laudationibus exornetur. Atq; ita, inquit Selneccerus, subscriptio facta est, & liberum vnicuiq; fuit sua cogitata promere. Credo: sed non liberum fuit recusare subscriptionem, neq; perstare in sententijs & argumentis suis, à vobis minimè refutatis.

Hacte-

Hactenus patres Bergenses ditionem Illustrissimi Electoris Saxoniæ & Turingiam peragrantes secuti sumus, & subscriptionum collectionem considerauimus, cuius recitatione Selneccerus videri vult, grandium mendaciorum & calumniarum Neustadianos conuicisse. Illi verò fatentur, se magnam gratiam debere Selneccero, vel potius Deo, cuius prouidentia factum est, vt quæ obiter & summatim perstrinxerant Neustadiani, Selneccerus copiosius & sigillatim narrando, illorum querelas, quas refutare voluit, euidentissimè confirmauerit, earúmque veritatem omnium oculis spectandam exposuerit. Omnibus enim sine præiudicio istam narrationem legentibus, apparet ex multorum puerilibus & ridiculis assentationibus, magnam partem ex inscitia, vel affectibus, vel studio partium aut gratiæ hominum subscripsisse: qualium vel sexcenta suffragia turpe est cum vnius viri docti & cordati sententia conferre; Tantùm autem ad numerum augendum coaceruata sunt; Apparet ex multorum obiectionibus, plerosque, in quibus aliquid est doctrinæ & iudicij, & libri dogmata, & actiones Theologorum minimè probasse; apparet ex Theologorum responsionibus, quàm frigidè, quàm subtiliter, quàm sophisticè & fraudulenter caussam suam egerint; quámq; vel imperiti doctrinæ Christianæ & rerum Theologicarum fuerint, qui responsis talibus acquieuerint, vel metu periculorum & multitudine seruilium suffragiorum oppreßi, qui argumenta sua tam leuiter deseruerint & proiecerint, quæ tamen sua firmitate facilè se tutata fuissent, si loquendi tam fuisset locus, quàm audiendi & tacendi & imperata faciendi.

Post hanc narrationem, opus hoc recitationum eleganti ornatum est emblemate; Commonefactione scilicet de Orthodoxo concordiæ libro ex Germanico D. Selnecceri, in latinam linguam à Drabitio (cui studiosi vel hoc nomine multum debent) translata, & tam artificiose disposita, vt si similes harum Fol. 89.

multa Lipsiæ habeantur, superuacaneæ esse Rhetorum Scholæ videantur. Vt enim taceam de luminibus verborum, & grauitate sententiarum, etiam alia nobis innotuerunt, hactenus à paucis animaduersa. Neque enim vnquam sciuissem, Selneccerum summa ingenij dexteritate præditum esse, nisi ipse diceret. Sed dexteritas tandem illa quæ fuit? Versutia fraudulenta inflectendi religionem ad voluntates hominum & sua commoda.

Caussam libri collecti & publicati sanctè adiurat fuisse respectum puritatis doctrinæ. Sed multa testantur, & res ipsa clamat, ideò hoc factum, vt eos, quos Sacramentarios vocatis, opprimeretis multitudine suffragiorum, cùm disputando veram caussam vos tueri non posse videretis.

Fol. 90. De præstigijs & corruptelis nostrorum non est, quòd queraris Selneccere. Lucem enim veritatis offerre alijs, non est eos in fraudem inducere: horridè & incommodè dicta mollire & corrigere; næuos præceptorum & doctorum modestè tegere vel prorsus sepelire, non diaboli, sed piorum discipulorum opus est, vt & salutari fraude vti, neutiquam scelus; alioqui nihil medicis esset infamius. Itaque non opus est, de prauarum molitionum detectione te gloriari. Veras mutationum caussas etiamsi de industria premit Selneccerus, vi tamen veritatis interdũ è profundo quasi extracta eminent. Scribit enim à Vvitebergensibus Sacramentarios ad quoduis genus officiorũ in Ecclesijs & Scholis fuisse promotos: reiectis credo hypocritis, ventribus, idolorum baiulis & Lutheri scorias ac stipulas pro auro & gemmis adorantibus.

Inculcat & exaggerat periculũ amittendi Catechismum puerilem fraude Sacramentariorũ. Calumnia popularis est. Symbolum, Decalogus, institutio Sacramentorum, & horum genuina sententia, sunt Catechismus Christianus. Hunc nos non tollimus, nõ corrumpimus, sed à vestris cõmentis & sordibus, quibus eum polluitis, repurgamus. Verùm vbi dolet, ibi manũ habet Selneccerus. Tollere oralem manducationem corporis Christi, est ipsi Catechismum

techismum & totum Christianismum tollere, perinde vt qui Missam labefactat, totum Papatum concussit. Hæc est illa norma fidei, quam verbo Dei adiungit comitem: quam sic periclitatam queritur, vt infantes in cunis fieri potuissent Caluinistæ, nisi sua & patrũ cura prouisum fuisset, ne quid Respubl. Christiana detrimenti caperet. Sed frustra laboratis. Vestra enim intemperies cursum veritatis non abrumpet, sed efficiet, vt amentia vestra magis magísque manifesta fiat omnibus: & montes Israëlis, quos vos vastatis, incrementum capiant.

Gloriatur, turbas, quas cum socijs suis dedit, diuina gubernatione accidisse. Sic & Rabsaces gloriabatur Ies. 36. An absque Iehouah ascendi aduersus regionem hanc ad perdendum eam? Voluit quidem Deus hoc modo castigare & probare pios, sed vtens malis & fallacibus instrumentis. Fol. 91.

Schmalcaldicos articulos Confeßioni & Apologiæ Augustanæ adiungit. Cautè. Nam sine illis parum in his præsidij habet oralis manducatio. Idcirco in his acquiescere iubet simplicẽ veritatis sectatorem. At multiplex est simplicitas. Cæcus stupor, ignorantia, & negligentia inquirendi, quid verum sit, non est simplicitas Christiana, sed Epicurea quædam securitas & hypocrisis. Præterea si in Scriptura & Symbolis, addo etiam in Confeßione & Apologia Augustana subsistendum est: non est progrediendum ad oralem esum articulorum Schmalcaldicorum & Catechismi Lutheri: si subsistendum etiam in his, non progrediendum erit ad vbiquitatem Familiæ Bergensis. Fol. 92.

Gloriatur de depulsione errorum Sacramentariorum, sed quos depulit? quando? vbi? quibus rationibus?

Quia autem petit sibi demonstrari dilucidè quiddam sibi inuicem contrarium in declaratione esse positum, quod cum prioribus scriptis pugnet, & illis vel in minimo aduersetur, inhumanus sim, si hac in parte ei non gratificer. Faciam autem hoc breui syllogismo: Realem communionem idiomatum, & vbiquitatem Fol. 93.

carnis Christi asserens, pugnat cum Confessione & Apologia Augustana. Formula Bergensis illam asserit. Ergo pugnat cum Confessione & Apologia: addo etiam, cum articulis Schmalcaldicis & Catechismo Lutheri. Maior probatur: Quia realis communio & vbiquitas carnis pugnat cum Scriptura & Symbolis. Ergo etiam cum Confessione & Apologia, quæ cum illis consentiunt, & vbiquitati planè aduersantur. Si enim caro est omnipotens, omniscia, omnipræsens, non iam caro est, sed Deitas. Nihil enim omnipotens, omniscium, omnipræsens præter Deum. Sed hoc pugnat cum Scriptura & Symbolis, vbi Christum coëssentialem nobis confitemur, per omnia nobis similem secundum carnem, demto peccato. Quid ad hæc Selneccerus? neget hæc pugnare cum Symbolis; neget pugnare cum Confessione; & ostendat hæc dogmata in Augustana Confessione & Apologia, & in reliquis reperiri. Anhaldinis non potuit ostendere Iacobus; ostendat nobis eas Nicolaus. Si hoc non potest, desinat toties iurare & iudicare, ne peierans iudicetur. Testantur hanc formulæ Bergensis & Augustanæ discrepantiam plerique Augustanæ Confessionis socij, qui subscripserunt, & qui non subscripserunt Bergensibus. Hoc adeò non concoquere, aut dissimulare potuit Selneccerus, vt potius quàm illis parceret, Neustadianorum admonitionem apertè confirmaret; quòd videlicet multi ne ex illis quidem probent librum Bergensem. Testantur idem & Pontificij. Horum testimonium se eleuasse putat, cum inquit, eos nihil ad se pertinere. At Selneccere, ipsorum argumenta certè multum ad te pertinent, quæ tibi soluenda erant, & non videndum, à quo, sed quid diceretur. Nam etiam ab hoste testimonium veritati perhibitum, sæpè habet locum.

Negat, se quidquam in diaboli & Antichristi gratiam facere. Credo equidem. Sed quæ vos in cathedræ & culinæ vestræ gratiam facitis, ijs vtitur diabolus, ad faciendum in suam gratiam, quod vult, nempe, vt filium Dei contumelijs, Ecclesiam cladibus afficiat.

Si

Se & sua dogmata amplectentes vult solos esse veram Ecclesiam. Sed hanc definitionem Ecclesiæ non didicit ex verbo Dei. Omnes fanaticos & hæreticos, præter Papistas, tanquam in sentinam congerit in Ecclesias nostras. Ergo Papistas quàm nos magis se probare ostendit: reliquos nobis æquat. Hic rursus hostium testimonium appellamus. Nam Papistæ non stupidi fatentur, si ipsorum doctrina sit falsa, nostram fore veriorem, quàm Selneccceri. Ceteri fanatici & sectarij non patiuntur se ad nos concludi, sed suas sibi Ecclesias habent, neque à nobis admittuntur. Cur Sacramentarios, inquit, obseruare deberemus? At, Selneccere, debebas verbum Dei obseruare, quod pedibus conculcas, & ipsius loco humana commenta veneraris. Non recedimus, inquit, à simplicitate nostra. At receditis procul à simplicitate Scripturæ. Bene ergo dicis, à nostra, hoc est, ab oculis non videntibus, & auribus non audientibus, & corde non intelligente: & ab Halcyonijs istis vestris, id est, ocio & culina pingui: non à dexteritate, scilicet, per calumnias, assentationes, & clamores tribunitios, obrependi in animos aularum & populi; non à veritate, scilicet, simul ponente contradictoria: minimèque nos latet, quomodo adorandus sit Christus, scilicet ille fictitius in pane. Fol. 94.

Negat, Concordiæ librum esse scriptum, vt Sacramentarijs placeret. At debuisset scribi ita, vt placeret pijs & Christum rectè colentibus, qui lectione nostrorum librorum non cæcutiunt, vt tu scribis, sed vestras nugas videre incipiunt ac dolent, hoc ipso libro rectè sentientes damnari, & crudelitati communium hostium obijci. Fol. 95.

Clamores, inquit, Sacramentariorum nihil ad nos spectant. Iam dudum vidimus, afflictæ Ecclesiæ gemitus nihil ad te & tui similes spectare: sed vide ne aliquando ad te spectent serò. Annum iam decimum sextum hæret Hispanus in Belgio: vrbes expugnat, diripit: clamorem pugnantium, crepitúmque armorum propemodum hinc exaudimus: eijciuntur, spoliantur,

interficiuntur multi mortales. ob quam caussam? quia scilicet idolis sublatis, pro pane verum Deum adorant. Atq; horum ploratus, preces, querela nihil ad te Selneccere? Facilè credimus. Idem enim te offendit, quod Hispanos, simulacrorum nimirum remotio, & ἀρτολατρείας exterminatio.

De verbis Christi & eorum germano sensu quòd etiam hic gloriatur, non sine blasphemo iureiurando, more quidem suo facit, sed falsò sibi arrogat id, à quo longißimè abest. Cùm enim ad τὸ ῥητὸν peruentum est, vel impudenter Christi verba peruertit, non HOC, *sed* IN HOC *dicens esse corpus Christi, vel maiore impreßione territus, ad vbiquitatis castra se recipit, non quidem illius absolutæ Schmidelinicæ, cui, vt video, absente Fabro salutem dixit; sed alterius cuiusdam contractæ, cuius ne nomen quidem ponere audet.*

Fol. 96. *Ad nauseam vsque Catechismum* SVVM *ingerit. Nos verò iam audimus, impudenter mentiri eum, qui dicit, nos Catechismum Christianum labefactare. Idolum Antichristi & vbiquitatem oppugnamus & execramur. Hæc* SVVM *Catechismum esse ostendit Selneccerus, cum ait, qui nobiscum de cœna non sentiat, eum abnegare Catechismũ. Nos verò discernimus capita & explicationem Catechismi: nec patimur nobis persuaderi, quòd explicatio Lutheri vel alterius tantundem valeat, quantum Decalogus, Symbolum, Oratio Dominica, Sacramentorum institutio, id est, verbo Dei exæquetur. Demonstret Selneccerus, nostrã doctrinam pugnare cum verbo Dei, & tum euomat vel plaustra conuitiorum. Antequam hoc demonstratum fuerit, neque alij nostros errare credent, neque ipsi à sententia vera depelli nos Selnecceri vel minis, vel insectationibus patiemur, etiamsi sexcenties crepet vsque ad raucedinem, Catechismum, Catechismum, Catechismum: quem credo, progressu temporis, Selneccerum pro amuleto in collo suspensum gestaturum esse.*

Tandem

Tandem audet dicere, librum Concordiæ esse Symboli instar compositum: quorum Christianorum ego nescio. Nam vbiquitas & oralis manducatio Symbolum Christianorum non est: cùm in Symbolis Ecclesiæ orthodoxæ neutra extet. Fol. 97.

Exprobrat nobis minacitatem. At nos minamur illis non vim corporalem, carceris, exilij, vt illi nobis, sed arma spiritualia, vim veritatis cælestis. Tragicè exaggerat, quòd aliqui librum Bergensem non lectum repudient. Non debet hoc tantopere mirari. Qui enim Catechismum Christianum didicit, audiens in libro isto chimæram Vbiquitariam stabulare, meritò abhorret ab eo etiam non lecto. Illa verò sunt monstri similia, quòd vos postulatis, vt homines abstineant nostrorum librorum lectione, & nescientes quid in illis doceatur, eos ex vestro testimonio condemnent hæreseos: Item, quòd Libro vestro semel prælecto, nunquam autem perlecto, nedum intellecto iubetis subscribi à maxima parte subscriptorum, & obligatis eorum conscientias ad librum defendendum, quem non intelligunt. Fol. 98.

Contendit rursus prolixè, nihil in libro Concordiæ pugnare cum SVO Catechismo. Nostri cum Catechismo Christiano multa in libro pugnantia monstrarunt, quæ si cum Selnecceri Catechismo, id est, glossis absurdis congruant, id nihil moramur. Fol. 99.

Qui Sacramentarius audire cupit, seq; à nobis seiungit, inquit, is faciat sanè suo periculo. Hoc verò periculum, quod vos creatis ijs, quos Sacramentarios proclamatis, vobis bonam partem subscriptionum peperit. Pergit: se & socios omnia pro virili præstitisse, obsecrando, monendo, commonefaciendo. Credimus: sed non demonstrando ex verbo Dei vestræ doctrinæ veritatem, nostræ falsitatem. Postulat, se deinceps nō interturbari: Quia scilicet non potest ad obiecta respondere. Cur igitur non desinitis alios turbare, libenter quieturos, si per vos liceret? Sinendum se dicit, vt ipse de suis Deo rationem reddat. Hoc verò faciet, nobis

non impedientibus: Sed caueat, ne exemplo Papæ, cui non liceat dicere, Quid facis? etiamsi multa millia animarum præcipitet in infernum.

Fol. 100. *Dicit, Theologos ferè omnes tacuisse, exceptis paucis, quorum vix numero totidem, quot Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili. Innuit septem fuisse, quem numerum notum est, Pythagoricos præcipuo loco posuisse, adeò vt non dubitarint* ἑπτάδα σεπτάδα *appellare. In quo nomine venerationis est significatio, vt indicetur, monitores illos, & in his Selneccerum, fuisse viros venerabiles: qui si septem stellis errantibus conferantur, vel Mercurium Selneccerus non malè repræsentabit, vel ipsam Lunam, propter diuersas* φάσεις *crescentem & decrescentem, quæ* φάσεις σεληνιακαὶ *etiam septem numerantur, vt hunc numerum singulari iudicio Selneccerus hoc loco posuisse videatur.*

Fol. 101. *Contemnit hîc etiam eorum paucitatem, qui subscriptionem detrectant: cùm tamen in præfatione fateatur, formulam Concordiæ admodum angustis terminis circumscribi, etiam in ipsa Germania; Et hîc suis tantùm finibus, Ecclesijs, Scholis, domibus, muris, palatijs, domum Dei includat.*

Fol. 102. *A Philippo beatissimæ memoriæ, M. Lutherum, Eliam appellatum refert: sed longè alio sensu, quàm Selneccerus interpretatur. Non enim prophetã eum esse voluit, qualem vos proclamatis, qui errare in aliqua parte nequeat; cùm errasse eum de cœna iudicauerit: Sed propter beneficium reformationis Ecclesiarum per ipsum à Deo datum, Eliam nominauit. Atque hoc elogium si magnifacit, etiam atque etiam Dominum Superintendentem rogamus, vt vicissim Lutheri etiam honorificum de Philippo testimonium amplectatur, quo affirmatur, neminem sub sole reperiri, qui tot & tantis donis ornatus sit, quot & quantis Philippus; ideóq; dignum eum esse, quem omnes admirentur & colant; Ac coram Deo esse hominem despicatissimum, qui Philippum contemnere audeat.*

Lutherus de Philippo

Qui

Fol. 103.

Qui in hoc opere Concordiæ propriam gloriam aut affectus, & non Ecclesiæ tranquillitatem & veram fidem quærit, illum, inquit, secundum Aquilam suam canoram, diabolus abripiet. Cogitanter ista dic Selneccere: nisi fortè cuiusdam tui fratris hîc tibi in mentem venit.

Commonefactionis clausula est: Omnes verbo Dei non simpliciter & verè insistentes, totos ex fraude & mendacio compositos esse, & eorum Doctores operam præbere Satanæ, fures & animicidas esse. Dominus Superintendens, credo, nos pro suis libertis habet, quandoquidem nomen quod ipsius est proprium, nobis attribuit. Atque legens ego hæc dubitaui, imprudénsne Selneccerus hîc seipsum descripsisset, an verò conscientiæ aliquo stimulo sese ad pœnitentiam exhortari voluerit. Quidam verò sodalis me admonuit, videri sibi, Selneccerum voluisse nomen suum ex germanico latinum facere, cùm Selneccerus animicidam sonet. Sel enim anima est, & necker Misnensibus & Silesijs diuexator. Non enim extinguendo, sed discruciando occiduntur immortales animæ. Addidit, recordari se, quòd eum Græcè quoque aliquando nominari audiuerit ψυχοφόντην, quo nomine tum Poëtam aut pædagogum aliquem in eum lusisse putauerit, nunc autem ipsum hoc sibi sumsisse suspicetur, quandoquidem latinum quoque in ipsius monumentis extare videat, vt nimirum non tantùm apud Germanos germanico, sed etiam apud exteras gentes latino et græco nomine celebris fieret. Selnecker.

Hactenus perlustrauimus cum patribus Misniam, Turingiam, & Saxoniæ partem; Audiuimus etiam recitantem Selneccerum suum doctrinæ vbiquitariæ encomium, non cedens, si ipsius iudicio creditur, ingenio & arte, veterum Oratorum exercitationibus, Isocratis encomio Helenæ; Fauorini, Thersitis & Quartanæ Febris; Synesij, Caluitiei; Luciani, Muscæ & Parasiticæ; aut recentium, Erasmi, Moriæ; Pirckhaimeri, podagræ: Ideóque his non immeritò annumerandum. Ac sanè, vt verum

fatear, non minorē hoc opus industriā requirebat, quàm illa. Atq; ita vidimus, quàm solidè refutauerit Selneccerus querelas Neustadianas, de conscriptione & subscriptione libri Bergensis. Nunc cum Selneccero in ipsius Museum ingrediemur, excussuri aliquot ἀντιλογιῶν scrinia, & audituri, qua dexteritate nostram doctrinam de Christo & de cœna confutet, ac suam confirmet.

Sexta Recitatio.

Sextam recitationem de persona Christi, ita auspicatur: Qui simpliciter docet, optimè docet. Sed vos patres Bergenses dupliciter docetis. Ergo peßimè. Duplicem enim vbiquitatem carnis Christi facitis, iam potentialem & actualem, iam absolutam & restrictam, cùm ne vna quidem nec in cælo, nec in terra reperiatur.

Addit, se expositurum simplicem doctrinam de persona Christi, sine rationis & Philosophiæ humanæ oblocutionibus. Hoc ad fallendos imperitiores inserit, vt scilicet opinentur illi, quidquid Selneccero opponitur, id ex Philosophia depromi, non ex verbo Dei.

Fol. 104.

Paulò pòst ait, humanam naturam non esse per se, nec in se existere vnquam, sed in λόγῳ, & à λόγῳ gestari, sustentari, ac nisi sic sustentaretur, in nihilum redactum iri. Hæc omnia omnipotentiam humanæ naturæ euertunt; quia nihil vehementius omnipotentiæ repugnat, quàm necesse habere ab alio sustentari. Addit, λόγον assumsisse carnem non dißimilem nostræ. Ergo non assumsit carnem vbiquitariam.

Fol. 105.

In repetitione doctrinæ, vt ipse loquitur, veræ de persona Christi, ponit definitionem vnionis personalis bene longam, quam tamen pòst ad breuiorem redigit. Falsis autem in priori vera miscet, vt ita faciliùs fallat. Fatetur naturarum idiomata communicari inuicem. Ergo communio ista non est realis. Deitati enim non realiter communicantur idiomata humana. Deitas non est mortua, & tamen Deus est mortuus. Fatetur vtranque formam agere, cum alterius communione, quod proprium

est;

est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est: ita tamen confusè de vtriusque naturæ actionibus loquitur, vt quid humanitati, quid diuinitati tribuendum sit, nescias. Dicit, nō quamlibet naturam suas proprietates solam & seorsum operari. Sed hoc solent isti corruptè & insidiosè vsurpare pro eo, quod est, alteram naturam operari sine altera, id est, altera cessante, & non simul aliquid agente. Hoc enim sensu rectè negatur, alteram sine altera operari. Ipsi verò intelligunt, vtranque naturam simul, id est, eandem operationem operari. Hoc falsum est. Sicut enim ipsæ naturæ in vna persona coniunctæ sunt, sic etiam operationes earum & proprietates, non separatæ quidem, sed tamen distinctæ sunt. Simul enim semper operantur, sed non idem vna, quod altera. Et fatetur ipse, vtranque naturam agere propter vnionem, cum communione alterius, quæ cuiusque propria sunt. Si vtraque natura operatur, quod ipsius est proprium, ergo operationis communio non significat identitatem, vt vtraque operetur, quod operatur altera; sed significat coniunctionem seu concursum operationum in eodem officio exequendo, cuius multæ sunt partes, quarum aliæ Deitati, aliæ carni competunt; sic tamen, vt simul fiant & peragantur, tanquam communicatis vtriusque naturæ operis, vt homo vnum & idem opus anima & corpore exequitur & perficit, vtroque quod suum est peragente. Hæc autem doctrina Scripturæ & Patrum tam non facit carnem omnipotentem, omnipræsentem &c. quàm non facit Deitatem infirmam, circumscriptam &c. Itaque hæc declaratio; quæ cuiusq; propria sunt; totum vestrum ædificium vbiquitarium funditus euertit. Fol. 106.

Scribit, λόγον accendere humanitatem luce, maiestate, gloria, & potentia æterna, quæ nihil est aliud, quàm Deitas. Quis autem vnquam in Ecclesia locutus est ita; Humanitas deitate accenditur? Deserere Schmidelinum cogitat, igitur nouas & ambiguas phrases fingit. Nam Selneccerum non loqui de com-

municatione idiomatum essentialiũ reali, sequentia ostendunt, vbi dicit, ornari à λόγῳ humanitatem creatis & finitis donis, nisi fortè suo more loquitur, id est, ἀντιλογῶν.

Porrò in definitionibus vti metaphoris, à Logicis non conceditur. Atque vt concedatur, non tamen accendi est comburi, quæ combustio, id est, carnis deificatio & abolitio sequeretur, si humana natura omnem sensum & circumscriptionem effugeret.

Addit, per humanam naturam Christum æternæ omnipotentiæ actiones exercere. Hæc additio rectè hactenus dicta euertit; quia particulam, per, non intelligit de ministerio humanæ naturæ, quo λόγος ei vnitus vtitur in operibus suis perficiendis, sed de ipsa efficacitate & omnipotenti actione diuinarum operationum, vt vtraque iam natura sit omnipotens, & operetur infinita sua vi, quidquid operatur altera.

Pergit: Deitas nusquam agit sine carne: Rectè: quia nulla est actio diuina, quam non velit Christus diuina & humana voluntate, & nihil vsquam agit λόγος, non vnitus suæ carni. Nusquam igitur neq; est neq; agit sine illa.

Subiungit: Neque extra illam agit: Rectè: Si intelligatur λόγον nusquam ita esse, quin simul sit in suo templo. Non rectè autem, si intelligatur, sic esse in carne, vt non simul sit extra eam, idem tamen vbique. Ita nihil facit λόγος, etiam vbi extra carnem existit, quin faciat λόγος homo, id est, vnitus suæ carni, & volens vtraq; sua voluntate ea, quæ efficit.

Λόγον ait communicare carni se & sua, sicut anima corpori se & sua communicat. Sed anima se communicat corpori, vniens se corpori, non autem corpus efficiens animam: & agens per corpus, quæ corpori conueniunt, & quorum instrumentum idoneum est corpus. Quæ autem non apta sunt, vt fiant per instrumentum corporeum, vt, intelligere & velle, in corpore quidem & extra corpus anima operatur, & corpore simul agente,

quæ

quæ ipsius sunt, dum anima est in corpore; sed illa non efficit per corpus. Anima igitur corpus efficit animatum, vegetans, sentiens: quia horum ratione inest corpori tanquam forma subiecto: sed non facit corpus intelligens & volens; quia his potentijs nullam corporis partē informat. Idcirco & diuinitas, quia non est humanitatis forma, sed inhabitatrix, non facit humanitatem Deum, neque deificatam, id est, omnipotentem, omniscìam, omnipræsentem, insensibilem, incircumscriptam &c. Nominant quidem & veteres aliquando carnem deificatam, sed impropriè; non cui realiter communes sint proprietates diuinæ, sed quæ Deitati vnita sit: nō quæ Deus, sed quæ Dei caro sit: non quæ omnipotens, omnipræsens, sed quæ omnipotentis, omnipræsentis caro sit. Liquet ergo similitudinem animæ & corporis, non tantùm ipsis nihil adiumenti afferre, sed planè etiam ipsis aduersari.

Ne Schmidelinum videatur offendere, explicationem eius retinet, scribens, depositam fuisse formam serui, μορφὴν δούλου, quam isti exponunt infirmitatem humanam, & cum infirmitatibus miscent etiam proprietates carnis essentiales, sine quibus caro non esset caro. Sed Paulus formam serui non tantùm infirmitates, verùm & naturam humanam intelligit, vt ostendit antithesis formæ Dei & formæ serui, & testantur omnes veteres, qui hoc ipso loco ad refutandos Arianos vsi fuerunt. Basilius contra Eunomium: ἐγὼ γὰρ καὶ τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχειν ἴσον δύνασθαι τῷ ἐν οὐσίᾳ θεοῦ ὑπάρχειν φημί. ὡς γὰρ τὸ μορφὴν ἀνειληφέναι δούλου ἐν τῇ οὐσίᾳ τῆς ἀνθρωπότητος τὸν κύριον ἡμῶν γεγενῆσθαι σημαίνει, οὕτως λέγων ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, τῆς θείας οὐσίας παρίστησι τὴν ἰδιότητα.

Addit: Assumtam esse naturam ex ratione huius seculi, ereptam esse ad plenariam maiestatis & gloriæ diuinæ vsurpationem. Atqui de ratione huius & futuri seculi est terminatio, figura, localitas, situs partis extra partem, in corporea natura. Vbiquitas autem corporis, neque manifestè, neque occultè

vnquam à Christo vsurpata aut vsurpanda legitur in Scriptura.

Summa hæc est: Selneccerus vult essentiales proprietates, humanæ naturæ sine confusione, transmutatione, exæquatione & transfusione physica naturarum & proprietatum, & tamen realiter communicari, hoc est, communicari, & non communicari: atque hoc nos negamus & perneganius, eò quòd proprietates sua subiecta non egrediantur, nihilo minus interim tribuentes humanitati Christi eam gloriam, potentiam & maiestatem, quæ omnium angelorum & hominum captum superet. Etsi autem hîc Selneccerus propria naturarum ait fieri communia personæ sine confusione, hoc idem in sequentibus de natura dici non mirabitur is lector, qui sciat Selneccero τὸ ἀντιλογεῖν esse ἀνθολογεῖν. Interdum enim, vt aliquo veritatis colore sua venditet, nobiscum loquitur; mox ad suos recurrit, ne apud illos excidat. Sed iam adscribamus breuem eius definitionem.

Fol. 107. *Vnio personalis est coniunctio siue copulatio duarum na-*
,, *turarum in Christo, perpetua & indissolubilis, qua persona τοῦ*
,, *λόγου, in se permanens immutabilis, humanam naturam, etiam*
,, *in se cum omnibus essentialibus suis proprietatibus permanen-*
,, *tem, in vnam personam, quæ est & nominatur Christus, assum-*
,, *sit, & se ei reuera ineffabiliter vniuit, vt vnum diuina & hu-*
,, *mana natura ὑφιστάμενον constituant, saluis vtriusque naturæ*
proprietatibus. Eugé Selneccere: places tandem Sacramentarijs, qui tibi tantopere displicent. Quis enim neget hæc legens, Selneccerum esse orthodoxum? Quis neget à Schmidelino defecisse? qui non tam mirabitur (nouit enim Selneccerum, & melius, quàm nos) quàm dolebit, tot annorum labores suos vna Selnecceri definitione aboleri. Iterum ergo tibi gratias agimus: Sed illud deploramus, quòd intra limites, ad quos interdum vis veritatis vos adigit, vos non continetis, existimantes vestra ἀσύστατα neminem animaduersurum.

Porrò

Porrò dicit, Christum vnum esse, non conuersione Deitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum. Hoc explicandum erat ita, vt scilicet caro sit pars personæ illius, quæ Deus est; non autem Deitatem æquet proprietatibus, vt vos intelligitis. Fol. 108.

Ex dicto Pauli: Deus conspicuus factus est in carne, vult elicere realem communionem idiomatum. Atqui neque Deitas realiter facta est visibilis, neq; humanitas realiter omnipotens: alioqui enim ex diuinis operibus illius hominis non apparuisset, in eo esse aliam naturam inuisibilem, omnipotentem.

Addit: Proprietates vtriusque naturæ personæ in concreto tribui. Hoc intelligit ipse, respectu vtriusque naturæ tribui personæ; cùm prædicari de concreto, sit prædicari de persona respectu alterius naturæ, quando de proprietatibus est sermo. Cùm dicitur, Deus est natus ex virgine, agnoscit Scriptura explicationem; secundum carnem natus ex semine Dauid. Cur ergo non & hanc? Declaratus est Filius Dei potenter, secundum Spiritum sanctificantem, Rom. 1. Item, viuificatus Spiritu. 1. Pet. 3. Sic etiam est Deus æternus, omnipotens, immensus, creator & seruator omnium, & suæ etiam carnis, scilicet secundum Deitatem.

Filius, inquit, creator, est creatura, in quantum homo. Cur ergo non etiam creator & perpetuus conseruator creaturarum omnium, in quantum Deus, seu secundum diuinam naturam, quæ est creatrix? Fol. 109.

Ait, Esse communionem actionum & operationum. Perperàm: nisi communionem intelligat concursum diuersarum actionum ad idem opus, non autem identitatem vel similitudinem operationum vtriusq; naturæ.

Citat & illud: Per vitam eius seruamur ab ira. Ad hoc autem requiritur omnipotentia non carnis, sed Deitatis istius hominis, quem oportebat reuiuiscere, vt Homo pro nobis inter-

cederet, & nos seruaret, licet alia in hac seruatione per Deitatem, alia per humanitatem suam operans.

Addit, Humanam naturam à diuina natura proprijs actionibus non excludi. Rectè: Si non excludi eam intelligis, quia simul cum Deitate operetur, non qua Deitatis, sed qua humanitatis sunt. Malè autem, si intelligis vtriusque naturæ easdem esse operationes. Hoc enim est operationum, proprietatum, & naturarum confusio.

Profert & donationem Spiritus sancti, hanc etiam humanæ naturæ tribuens: sed contra religionem & mentem sanam. Non enim creatura creatorem mittit seu per eum agit.

Dicit, Christum operari diuina secundum naturam humanam, non proprietate humanæ naturæ, sed potentia propria diuinæ naturæ. Hic rursus sepia se inuoluit suis tenebris. Caro, inquit, non est omnipotens proprietate naturæ humanæ; Sed neque accidenti humanæ naturæ est omnipotens. Propria enim Dei potentia est ipsa Dei essentia, quæ ideò propria eius est & dicitur, quia nulli creaturæ sit communis, ne quidem carni assumtæ à Filio. Perinde ergo loquitur Selneccerus, ac si diceret: Corpus non ratiocinatur proprietate suæ naturæ, sed tamen ratiocinatur potentia propria animæ rationalis, cui vnitum est. Quem sanum non pudeat sic nugari?

Producit illud: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Atqui hîc commemoratur officium totius personæ, ad quod requiruntur operationes vtriusq; naturæ.

Fol. 110. Officia & beneficia redemtoris ait, esse vtriusq; naturæ. Rectissimè: sed non ideò propria naturarum operationes in illo officio, sunt vtrique naturæ communes. Repugnant enim commune & proprium esse.

Addit: Vtranque naturam agere in illis officijs & beneficijs, quod cuiusque proprium est. Istud serua mi Nicolaë, & bonam concordiam effeceris. Sed quod das, rursus eripis, attribuens

naturæ

naturæ humanæ proprium diuinæ naturæ, quod nunquam operatur natura humana, sed homo diuinam naturam in se tanquã partem suæ personæ habens. Assuis glossam, naturam humanam agere propriũ naturæ diuinæ, non tamẽ absolutè consideratæ, nec sine assumta carne sua operantis. Hæc sunt ænigmata & latibula vestra, in quibus vos, tanquam vulpes in cauernis delitescitis. Si non absolutè consideratam Deitatem intelligis, quæ non est sine vnione cum carne, & qua faciente, quod suum est solius proprium, caro vnita etiam facit vnà, quod sibi proprium est: rectè dicis, λόγον non sine carne operari: sin autem (vt facis) intelligis, λόγον & carnem easdem operationes habere, & λόγον sibi propria per carnem operari, non rectè; imò impiè.

Sequitur: Λόγον sua idiomata exerere & exercere per assumtam naturam humanam, tanquam per organum. Sed natura humana non dat Ecclesiæ Spiritum sanctum, neq; λόγος organum actionum competentium ei, facit omnipotens, siue vnitum sit λόγῳ, siue non vnitum. Asseuerationes tuæ sunt hæ, Selneccere, quibus nihil efficis absq; probatione.

Filius Dei, inquit, perficit omnia miracula solius diuinitatis virtute, sed non sine assumta carne. Quid igitur faciebat caro, Christo miracula edente? Volebat scilicet opera illa Diuinitatis, ipsa interim exequens externa & ministerialia. Deitas viuificabat; humanitas orabat ad sepulcrum, clamabat, Lazare veni foràs; Deitas reddebat vitam & animam mortuis. Sed opera erant distincta, & tamen coniuncta, copulata & concurrentia ad idem ἀποτέλεσμα personæ, videlicet suscitationem mortuorum. Sic in iudicio suas partes caro, suas item Deitas exequetur. Fol. 111.

Dicit, λόγον extra carnem nec quæri, nec inueniri posse. Hoc cautè accipiendum. Non quærendus λόγος vsquam non vnitus carni; Non autem, nusquam extra carnem existens. Vbicunque enim caro, ibi λόγος; sed non vbicunque λόγος, ibi caro

existit. Non enim continetur λόγος intra angustias corporis, sed simul & intra corpus & extra omnia est.

Sine assumta carne, inquit, λόγος nihil nobiscum agere vult. Cautè accipiendum & hoc; nihil sine ea, scilicet, merente & volente, vt intercedente & suas partes agente: non autem, nihil sine ea, scilicet idem operante, quod λόγος.

Redit deinde ad suum tritum illud: Data est mihi omnis potestas &c. πᾶσα ἐξουσία. Kulschultan, vt est in Syro; oblitus prouerbij, μὴ ὢν σύρος, ὀυ σύριζε. Sed Syrum Syrus refutat, neque Syrus tantùm, sed etiam Græcus, qui δύναμιν & ἐξουσίαν distinguit. ἐξουσία enim Græcis, & Schultan Syris, significat imperium & autoritatem summam, quæ Christo concessa est etiam secundum humanitatem, supra & in omnes res creatas, sic tamen vt Deitati non exæquetur. Atque hoc imperium est officium personæ, in quo vtraque natura agit pro sua proprietate. δύναμις autem significat virtutem & potentiam diuinam, essentialem illam in Deo & infinitam, id est, Deitatem ipsam, quæ nulli creaturæ data est aut dabitur: Cùm autem dicitur data filio hominis, intelligitur vnita esse eius carni natura omnipotens, non autem ipsa caro facta omnipotens. Breuiter: Omnipotentia est proprietas naturæ: Potestas est officium personæ. Statuit Christus vtraque sua voluntate, etiam ea, quæ non humana, sed diuina sua voluntate & omnipotentia exequitur. Hæc potentia exsequutrix operum diuinorum, Christo homini data vnione in conceptu, declaratione autem post resurrectionem.

Fol. 112. Citat illud: Sedet Iesus crucifixus in excelsis super omnem creaturam. Sedet super omnes creaturas, id est, omnes creaturas habet suo imperio subiectas, sed non in omnibus creaturis sedet ad dextram Patris, verùm in cælo, in loco gloriæ.

Addit, Christum cælis excelsiorem factum; addere debebat, visibilibus: vt paulò pòst ad illud; Quod impleat omnia, adiungendum erat: donis, non autem corpore: vt & nobiscum est, suo Spiritu.

Se-

Sequitur: Christo datam etiam potestatem iudicium faciendi, quatenus filius hominis est: hoc est, etiam humanæ voluntatis arbitrio, & humanitatis suæ cooperatione.

Citat ex Augustino: Crede ipsum Deum Verbum suæ carnis acceptione conceptum: sed inde non sequitur, Deitatem conceptam esse, sicut dicitur & homo conceptus, & natura humana concepta.

Contra se item citat Chrysostomum, Vnitate & coniunctione vnus est Deus, Verbum & caro; non confusione aut interitu substantiarum, sed arcana quadam & inexplicabili vnitate. Ergo vnio personalis est arcana connexio naturarum; non autem, realis communicatio idiomatum, vel operationum, vt vos fingitis. Tantundem ipsi patrocinatur Synodus Chalcedonensis.

Dicit, Christum secundum humanitatem habere carnem & ossa, dicit, eandem humanitatem secundum se & in seipsa nec esse nec fieri infinitam & immensam, assumtam tamen in vnitatem personæ, participem factam esse omnipotentiæ æternæ, id est, Deitatis ipsius, quod ipsum si de vnione interpretaretur, lis inter nos esset diremta: sed interpretatur ille de reali communione idiomatum, quasi dicat: Humanitatem & finitam esse & infinitam, immensam & non immensam, finitam, extra vnionem (qualis humanitas Christi non fuit vnquam aut erit) infinitam in vnione, id est, exæquatam Deitati, & per consequens absorptam. Vbi igitur in Christo inueniet carnem & ossa, quemadmodum paulò antè confessus est eum secundum humanitatem habere? Hæc enim non sunt sine certa & definita sua magnitudine, figura, localitate, proportione, serie ac situ in corpore, vt caput extra pedes, & pedes extra caput sint &c.

Ibidem prodit inscitiam suam, non obseruans homonymiam dextræ Dei, quæ significat potentiam, quando dicitur

Deus agere aliquid dextra sua: summum autem gradum gloriæ Christi, cùm dicitur sedere ad dextram patris.

Ineptè etiam confundit articulos incarnationis & collocationis ad dextram, dum considere ad dextram Dei idem ipsi est, quod vniri Deitati.

Secundum Deitatem, ait, Christus est ipsa omnipotentia. Ergo secundum hanc solam est omnipotens. Nihil enim est omnipotens, quod non sit ipsa omnipotentia. Ideò non caro, sed homo est omnipotens. Humanitatem ait secundum se & in se ipsa non esse immensam: Effugium est. Nam neq; secundum aliud & in alio est immensa.

Fol. 113. *Dicta Colos. 2. & Iohan. 3. ineptè miscet. Nam verba (non ad mensuram) ad deitatem refert, cùm dicantur de donis Spiritus sancti. Deitas enim, de qua ad Coloss. mensuram non admittit. Quod addit, naturam humanam esse participem factam omnipotentiæ; Si idem ei esset, participem fieri, quod vniri, consentiremus.*

Christus, inquit, Deus & homo, omnia scit, audit, agit. Non dubium est: quandoquidem etiam ea, quæ facit λόγος, facit hic homo, qui est λόγος: Sed non caro huius hominis, & ossa & nerui, manus vel pedes. Hæc enim non sunt λόγος.

Rursus inculcat suas similitudines de animo & corpore animato, & de ferro ignito, & de rubo &c. quæ alibi explicantur: sed ita explicantur, vt Selneccerum nihil iuuent, multum verò lædant. Non enim Deitas habitans in carne facit eam Deum, vt anima facit corpus animatum, & calor ferrum calidum. Nec omnipotentia facit Christi corpus omnipotens, aut omniscientia omniscium, sicut nec ratio hominis corpus facit rationale. Rubus verò magis etiam illi aduersatur, quia non communicabantur ligno proprietates seu qualitates igneæ. Selneccerus igitur & ipsius gregales, dum similitudines istas à patribus vsurpatas ad vnionem hypostaticam adumbrandam, ad suam

realem

realem communionem idiomatum trahunt, tela ab illis sumta, aduersus se iaculantur ipsi.

Ex eo, quòd sanguis Christi emundat conscientias, non sequitur vbiquitas vel omnipotentia sanguinis. Nam etiam in Baptismo & verbo hoc facit, vt in cœna, nempe cùm fide accipimus illius sanguinis meritum, quod ideò nos purgat à peccatis, quia sanguis iste est sanguis filij Dei, qui eum pro nobis obtulit.

Humanitas Christi, inquit, exuscitat Lazarum: administrans, scilicet, opera externa, quæ libebat Christo adhibere, & volens suscitationem, non autem efficiens. Nam cùm addit, eam resuscitauisse virtute & potentia diuinæ naturæ, absurdè & impiè fingit, creaturam per creatorem agere. Nihil potest operari virtute diuina, nisi ipsa hæc virtus, id est, ipsa Deitas. Longè alius est sensus, cùm dicitur Petrus facere miracula virtute Christi. Audi Basilium in sermone de Baptismo: Omnis ἐνέργεια Filij per Spiritum manifestatur.

Paulò pòst redit ad sua παραφυσικὰ, quæ nunquam probabit esse ἀντιφυσικά. Inuisibilem se præbuit, aut oculos Deo tenente, ne corpus visibile videretur; aut corpore subitò discedente. Ad ianuas clausas quod attinet, si perrupit; non est facta penetratio diametrorum; Et si facta esset, quid hoc ad vbiquitatem? Etiam Spiritus penetrat corpora, qui tamen non est simul in pluribus locis. Fol. 114.

Producit etiam præsentiam in cœna ad probandam vbiquitatem. Præcipuum sanè argumentum, quando iubentur monstrare è Scriptura, quando & vbi Christus manifestauerit maiestatem vbiquitariam corporis. Sed vbi promisit Christus, se corpus suum velle sistere in pane? Manducandum id nobis præbet existentibus in terra, etiamsi corpus maneat in cælo. Est igitur principij petitio, qua vbiquitas per præsentiam in pane, & hæc vicissim per illam probatur. Quod autem dicit Selneccerus, promissionem corpore & sanguine Christi manducandam

& bibendam, miror si ipse intelligit, mihi certè Sibyllæ folium est.

Quod autem humanitati tribuit omnipotentem gubernationem, Scripturæ testimonijs nunquam probabit. Vult quidem hanc gubernationem, sed λόγος eam efficit sua omnipotentia.

Concludit, Hæc omnia, quæ recensui, non creaturæ, sed creatori conueniunt. Imò quædam ex illis etiam creaturis competunt.

Confert nos non tribuentes diuinitatem carni, cum Iudæis nolentibus tribuere Deitatem homini. O os impurum & impudens, ô Spiritus vertiginis, ô pastor idolorum; Cui humanitas & homo, idem est: quis vnquam hæc euomuit, Christo secundum humanitatem etiam tribui diuinitatem? Homini, non humanitati Scriptura diuinitatem tribuit. Attende Superintendens lectioni Scripturæ, & disce, in ea non tribui diuinæ maiestatis potentiam humanæ naturæ, sed personæ humanam naturam habenti. Filius hominis, non CARO filij hominis est in cœlo, dum caro est in terra.

Fol. 115. Futiliter & frustrà toties garris: non tribui potentiam diuinam humanæ naturæ ἐν ἑαυτῇ, nō secundum suam essentiam, non secundum proprietates naturales, non seorsum & in abstracto: quia neque in alio, neque secundum sua accidentia, neque secundum proprietates non naturales, neque vnitæ cum Deitate naturæ humanæ tribuitur omnipotentia diuina. Sed hîc obseruanda insignis impudentia huius Superintendentis. Negat humanæ naturæ seorsum & in abstracto tribui omnipotentiam. Os durum. An cùm dicis, humanam naturam esse omnipotentem, non tribuis ei omnipotentiam in abstracto? Desunt huic Superintendenti pædagogi, qui nequitiam eius detegant pueris. Imponere vult fraudum ipsius imperitis, dum in abstracto & seorsum non tribui, sumit pro eo, quod est, carni extra vnionem cum Deitate

Deitate non tribui omnipotentiam, vt obtrudat alteram, tribui illi hanc in concreto, id est, in vnione. Sed frustrà. Iam enim & pueri nasum rhinocerotis habent, & vident, te non in pædagogio, sed in officinâ Vulcani hanc Theologiam, Grammaticam, & Logicam didicisse.

Nec vt habitus infusos & acquisitos de Christo homine prædicari, ait. Quis autem hoc dixit? De Christo homine prædicantur diuina, tanquam proprietates & operationes Deitatis ipsius; de humanitate autem nusquam ea prædicat Scriptura. Nam virtutes, quæ inhærent naturæ humanæ, non sunt proprietates essentiales Deitatis. Quis enim vnquam præter vos ita locutus est? Vos ergo nouam linguam, & nouas res vestras vobis habete, suas Ecclesiæ Christi relinquite, Scripturæ & Orthodoxæ antiquitati congruentes.

Humanitatem vult esse ὄργανον σύνεργον Deitatis. At συνέργεια illa non est earundem, sed distinctarum operationum concursus. Suas enim proprias operationes, diuina natura neque intra neque extra se, vt cum Selneccero loquar, tribuit carni suæ.

Addit, quòd λόγος suæ humanæ naturæ assumtæ tribuat sua idiomata diuina, ratione οἰκειώσεως & ἐνεργείας. Sed inhabitatio seu vnio proprietates non confundit, vt & Selneccerus olim ipse locutus est, & ante Selneccerum Theodoretus. ἐνέργεια multò minus, sicut simile Athanasianum ab ipso Selneccero adductum, eleganter ostendit. Sicut anima agit in corpore; Ita Deus λόγος vnitus humanitati edit prodigia, non separatus à natura: sed placuit ei per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa potentiam suam exerere. Vt igitur anima etiamsi omnia sua in corpore, & aliqua per corpus operatur, nec tamen proprietates suas essentiales corpori realiter communicat, nec omnes suas actiones per corpus exercet, sed & suarum & corporis actionum caussa & effectrix est: Sic etiam Deitas non communicat sua idiomata realiter humanitati, e-

tiamsi quidquid agit, in humanitate, id est, incarnata agat, & etiam actionum carni congruentium, in carne & per carnem effectrix sit.

De loco Matth. 9. disputans, filium hominis pro natura humana sumit: quo quid absurdius? & tamen, ait, verbo & ministerio humanæ naturæ paralyticum sanatum. Ministerio quidem humanæ, sed virtute & efficacia diuinæ naturæ sanatus est.

Fol. 116. *Eadem dexteritate explicat ad Heb. cap. 9. easdem in sanctificatione & mundatione partes vtriq; naturæ tribuens. Vt enim Christus Mediator est, secundum vtranque naturam, ita secundum vtranque paralyticum sanauit, secundum vtranque sanctificat & mundat nos, vtraque exequente id, quod suum est, diuina scilicet sanationem, humana, vocem externam & ministerium: Sic & in illo: sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. Addit, merito & efficacia: melius dixisset, merito efficaci, non omnipotentia diuina sanguinis, seu regenerationem efficiẽte sanguine, nisi quatenus merito Christi donamur Spiritu sancto, regenerante corda. Non enim caro & sanguis, sed Spiritus Christi renouat corda. Ideo lauari nos oportet & sanguine & Spiritu Christi, id est, iustificari ipsius merito, & regenerari ipsius virtute.*

Christi, inquit, sanguis mundat nos ἐνεργείᾳ θεανδρικῇ. *Rationem omittit. Sed nos addemus: Quia sanguis ille non potuisset nobis mereri vitam æternam, nisi fuisset sanguis filij Dei. Hoc autem nihil neque ad omnipotentiam, neque ad vbiquitatem sanguinis.*

Christus mundat, inquit, virtute vtriusque naturæ ad vnum ἀποτέλεσμα *concurrentis. Nescit D. Superintendens, quæ sit differentia inter operationem &* ἀποτέλεσμα. *Eat igitur in pædagogium. Differunt vnum* ἀποτέλεσμα *& vna operatio, vt totum & pars. Partes autem sunt dissimiles, id est, actiones diuinæ*

&

& humana natura, quæ tamen concurrunt ad vnius ἀποτελέσματος & beneficij effectionem, non tantùm, quia coniunctim fiunt, sed etiam quia sunt vnius atque eiusdem personæ. Non ergo inde conficitur, vt vult Selneccerus, carnem esse præditam virtute & efficacia diuina, id est, deitatis propria. Non enim sequitur, Christus est redemtor, Ergo caro Christi est omnipotens, & vbique, & eadem operatur, quæ Deitas: Sicut non sequitur, Ergo Deitas est passa &c. Quia ad ἀποτέλεσμα redemtionis dißimiles & distinctæ naturarum operationes requiruntur.

Non sunt, inquit, proprietates humanæ naturæ, mundare à peccatis, liberare ab æterna damnatione, sed sunt virtutis & potentiæ diuinæ, & tamen assumtæ Christi naturæ competunt, non tantùm ratione meriti, sed etiam virtutis & efficaciæ, & totius beneficij, quod est ἐνεργείας θεανδρικῆς. Atqui ἐνέργεια θεανδρικὴ vtranque naturam respicit. Si igitur & meritum & virtus & efficacia & totum beneficium tribuitur assumtæ naturæ, dicat iam nobis Selneccerus, quid agat diuina natura in redemtionis opere. Deinde imprudenter negat, mundationem à peccatis esse proprietatem humanæ naturæ; quia mors Christi, quæ est propria humanæ naturæ, est λύτρον pro nobis sufficiens, ideò quia mors Dei est. Mundare igitur nos à peccatis, est ἀποτέλεσμα Christo secundum vtranque naturam competens. Mundare autem merito, id est, patiendo & moriendo, est proprium carnis Christi: Mundare efficacia in cordibus, proprium Deitatis. Horum ergo vtrunque Deo & homini competit: Deitati verò & humanitati ipsius tantùm alterum: nisi quis efficaciam sanguinis sumat pro sufficientia & valore meriti.

Non autem est, quòd obijciat Selneccerus, à nobis allatrari omnipotentem operationem & gubernationem Christi. Veram enim omnipotentiam eius asserimus, fictam negamus, ne cogamur duas omnipotentias statuere, atque ita Deitatem βλασφήμως duplicare. Ceterùm notum illud Caßiani est: Non mino-

ris erroris est, Domino nostro Iesu Christo impropria addere, quàm propria derogare. Quod enim non ita dicitur, vt est, etiamsi honor videatur, iniuria est. Libenter fatemur & credimus cum Eusebio & omnibus alijs pijs, quòd homo sit omnipotens & Deus, non autem quòd caro sit omnipotens & Deus, etsi ipsa quoque sit omnium rerũ domina. Sicut enim reliqua omnia longè sunt infra hanc carnem posita; Ita hæc ipsa etiam caro longiùs in infinitum posita est infra Deitatem, quàm reliqua infra ipsam. Atque hæc est modestia verè Christiana, hominem DEVM, carnem autem non DEVM, sed Dei carnem agnoscere. Credimus nos visuros gloriam Christi: sed vbiquitatem carnis nec videt nec videbit quisquam vnquam. Non igitur nos omnipotentiam Christi allatramus: sed Selneccerus veritatem hominis in Christo allatrat: nos verò ipsius Eutychianismum allatramus, tanquam furem sacrilegum veritatis & consolationis Christianæ.

Fol. 118. Postremò etiam Patrum testimonijs suam realem communionem idiomatum nititur probare: sed æquè feliciter atque è Scriptura probauit. Basilij locum citat: qua fide, operæpretium est indicare. Eunomius loco illo abutebatur ad confirmationem suæ hæreseos, vt probaret, Filium Dei esse ποίημα. Basilius autem ita: οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς οὐσίας αὐτῆς τοῦ θεοῦ λόγου, τοῦ ἐν ἀρχῇ ὄντος πρὸς τὸν θεόν, ἀλλὰ περὶ τοῦ κενώσαντος ἑαυτὸν ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ, καὶ γενομένου συμμόρφου τῷ σώματι τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, καὶ σταυρωθέντος ἐξ ἀσθενείας, σαφῶς διαλέγεται. καὶ τοῦτο παντὶ γνώριμον τῷ καὶ μικρὸν ἐπιστήσαντι ἀποστολικῶν λέξεων τῷ βουλήματι· ὅτι οὐχὶ θεολογίας ἡμῖν παραδίδωσι τρόπον, ἀλλὰ τοὺς τῆς οἰκονομίας λόγους παραδηλοῖ. κύριον γὰρ, φησὶ, καὶ χριστὸν ὁ θεὸς ἐποίησε τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, τῇ δεικτικῇ φωνῇ μονονουχὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ, καὶ ὁρώμενον πᾶσι προδήλως ἐπερειδόμενος. Dicit Basilius, Petrum loqui non de ipsa Dei sermonis essentia, sed de eo, qui se in forma serui exinaniuit, & corpori humilitatis nostræ factus est conformis, & ex infirmitate crucifixus. Hunc igitur Iesum Dominum & Christum constitutum esse, Apostolus ait, demonstrante ista

te ista vocula (τοῦτον) *propemodum sese insinuans in illam ipsius humanam, omnibúsque conspicuam naturam, vt scilicet, ἐποίησεν, doceret non referendum esse ad productionem essentiæ, sed ad exaltationem hominis Christi, & plenam Deitatis ipsius patefactionem, quæ exinanitionem & crucifixionẽ consecuta est. Selneccerus humanitati principatum & dominium à patre commissum esse dicit, Petrus & Basilius, huic Iesu, non tantùm Deo, sed & homini. Hoc autem bellum est, verba Basilij (omnibus conspicuam) omitti à Selneccero. Nam si concederet, humanitatem esse omnibus conspicuam, procul dubio etiam cogeretur concedere, eam esse finitam, atque ita commentum eius planè omnem colorem amitteret.*

Cyrillum, Leonem, Athanasium, Nyssenum, Augustinum contra nos non adduceret, nisi impudentia se ipse vinceret.

Cyrilli explicationem de carnis viuificatione exosculamur, qua docetur, carnem per se non posse viuificare, quâ caro est, sed viuificam esse, quia totam operationem Verbi suscepit: non sanè per realem communionem idiomatum, sed per vnionem personalem cum Verbo viuificante: Id est, quia caro vna persona est cum Verbo, ideò homo, qui caro est, operatur totum illud, quod operatur Deus, etsi non secundum humanitatem, sed secundum Deitatem suam. Hanc esse mentem suam, Cyrillus ipse testatur, De recta fide ad Theodosium dicens: Quomodo igitur, dic oro, viuificat caro? Vel quomodo intelligitur & de cælo esse, quod de terra? secundum vnionem scilicet cum viuente & cælesti Verbo. Et postquam citauit locum Col. 1. Ecce iterum manifestè dicit, Per ipsum & in ipsum condita sunt omnia, & etiam quòd ante omnia sit, & quòd omnia constituta sint in ipso, & ipsum esse, inquit, primogenitum ex mortuis, qui pacificârit per sanguinem crucis suæ, ea, quæ in terris, & quæ in cælis. Et quis ille primogenitus mortuorum, nisi Christus? hoc est, in carne & cum carne

Verbum? Mortuum enim est nullo modo, quantum ad propriam naturam attinet, Deus existens Verbum: neque intelligeretur vniuersorum conditor, nobis similis existens homo, nisi condidisset vt Deus, & nisi non absque carne intelligatur post vnionem. Itaque manifestum est, quòd quæ insunt natura & propriè Verbo ex Deo patre, seruantur iterum ei etiam, quando apparuit homo. Igitur periculosum est audere diuidere. Vnus enim Dominus Iesus Christus, & per ipsum omnia condidit Pater. Quapropter & conditor vt Deus, & viuificus vt vita: humanè autem & proprietatibus, quæ supra hominem, in vnum quoddam medium compositus. Hæc ille. Ex quibus manifestum est, Cyrillum pro eodem sumere, carnem vnitam λόγῳ, & hominem Deum: sicut Iohan: dicit, λόγος factus est caro, id est, homo. Sic enim vult carnem esse viuificam, quod ad effectionem vitæ attinet, quæ propria Deitatis est, sicut caro, id est, homo de cœlo descendit, sicut per ipsum omnia sunt condita, sicut ipse fuit ante omnia, idem scilicet ille, qui mortuus est & resurrexit. Hæc igitur viuificatio etiam post vnionem realiter de homine, non de carne dicitur. Interea humanè etiam, siue secundum humanitatem viuificat Christus, merendo nobis vitam sua morte, quod non potuit hominis, sed potuit Dei caro facere; ideóque sic etiam fide manducata nos viuificat. Et hic viuificandi modus realiter carni etiam in abstracto competit. Viuificat homo secundum diuinæ & humanæ naturæ proprietatem: Viuificat caro secundum suam proprietatem, & eam etiam à verbo dependentem. Non enim viuificaret, nisi Dei caro esset. Sicut dulcedinem cibus contrahit ex melle, sed non eandem, quæ est ipsius mellis: Sic etiam caro propter vnitam sibi Deitatem suo modo fit viuifica, non tamen fit omnipotens. Et ne multis sit opus, in concione Christi Iohan. 6. imò in cruce & sepulcro, erátne caro Christi viuifica? Si non fuit, fefellit Dominus Ecclesiam. Si fuit, non requiritur ad viuificationem carnis omnipotentia & omnipræsentia, quæ vel

Selnec-

Selneccero iudice tunc nulla fuit. Competit ergo alius carni, alius Deitati in carne, viuificandi modus. Quid ad hoc Patres? Exerce hîc tuum ingenium, Selneccere, donec plura. Idem alibi Cyrillus docet, vt Dialog. lib. 6. Decebat enim nullam aliam rem & creaturam viuificare posse, & corruptione superiorem, terrenam carnem ostendere, etiamsi intelligatur esse Christi, secundum quod caro dicitur, nisi solam diuinitatis naturam. Quod autem filius potens fuerit resuscitare templum suum, etiamsi dicatur hoc donatum esse ei, facilè quis videbit, quandoquidem Paulus dicit de Patre, quòd excitârit eum ex mortuis, & gloriam ei dederit: Ad Iudæos ipse filius dicit, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. Mortuus enim est, vt homo, secundum carnem, quamuis vita secundum naturam existat, vt Deus: reuixit autem ineffabili virtute & indicibili efficacia vsus, quamuis sicut nos existeret, quantum ad humanitatem dico. Itaque glorificatur quidem à Patre, non quòd gloria indigeat, cùm extra carnem & Deus & ex Deo intelligatur, sed quoniam erat homo, quasi propriæ naturæ fructum, non habens potentiam efficaciter operandi diuinè, accipit quodammodo illam per vnionem & ineffabilem concursum, qui intelligitur esse Dei Verbi cum humanitate. Eat iam Selneccerus, & nobis realem communionem proprietatum inter naturas ex Cyrillo exsculpat.

Idem de cap. 6. Iohan. respondemus, quod iam de Cyrillo, & omnibus similibus dictis Patrum & Scripturæ: in quibus Deo vel homini tribuuntur, quæ vel secundum alteram naturam, vel secundum vtranque, sed secundum aliam aliter ipsi competunt. Et hîc Selneccerus fatetur, Christi carnem viuificam esse ratione vnionis; Ergo non ratione omnipotentiæ suæ. Fol. 119.

Sic Iohan. 5. Audient mortui vocem filij hominis & resurgent. Sed virtus illa suscitatrix non erit in voce externa.

Regulam piam & præclaram orthodoxæ Ecclesiæ: Quidquid Christo datum est in tempore, id datum est ei secundum

humanam naturam: nunquam reiecimus rectè intellectam: vt nimirum alia sint ei data ratione vnionis, vt propria Deitatis, alia ratione inhærentiæ, aut si libet sic loqui, reali communicatione, vt dona & prærogatiuæ huius carnis præ omnibus alijs creaturis; illa de homine, hæc etiam de humanitate verè prædicari possunt.

Exaltatio ad solam humanitatem pertinet, quatenus est incrementum donorum & beatitudinis & gloriæ: sed etiam ad Deitatem, quatenus est manifestatio eius, quod in Christo secundum Deitatem semper fuit & est immutabiliter, sine decremento & incremento; aut, quod idem fuerit: Deitas non respectu sui, sed respectu nostri exaltatur, cùm eius altitudo manifestatur & celebratur: caro autem etiam respectu sui.

Sic etiam: Quæ habet filius Dei ab æterno per naturam, hæc accepit filius hominis in tempore, οἰκονομικῶς, id est, per vnionem. Vt enim ante ἐνσάρκωσιν Filius Dei dicitur æternus, omnipotens: sic post eandem etiam filius hominis dicitur æternus, omnipotens, secundum Deitatem, non secundum carnem.

Dictum Augustini citat: In qua forma crucifixus est, in eadem exaltatus est. Nisi Selneccerus Fabri metu esset liberatus, nunquam ad naturam humanam referret, quod ille tantùm de infirmitate interpretatur, & non exaltatum, sed prorsus depositum esse in Christo contendit, etiam in libro Bergensi. O egregiam patrum constantiam & concordiam.

Concludit: Ex his iam manifestum fit, homines pios & credentes verbo Dei, non quærere: An humana Christi natura realiter siue reuera particeps sit facta diuinæ gloriæ & potentiæ, quæ propria est Verbi. Si κοινωνίαν, vt quidam olim vsi fuerunt, intelligit ἕνωσιν, nihil dicit, quod nos non admittamus: Nam sic & λόγος dicitur particeps factus esse carnis & sanguinis. Heb. 2. Sin ambiguè loquendo obtrudere nobis realem suam idiomatum communicationem cogitat, aliò se conferat. Nam vbiquitatis

tatis illius vel absolutæ vel relatiuæ γυμφοςόλῳ, apud nos neque hospitium, neq; diuerticulum est.

Sed audite aliquando Sacramentarium Selneccerum. Non habet, inquit, natura Christi humana diuinam gloriam, maiestatem, potentiam, virtutem, operationem ex se (adde, nec ex alio, si gloriam intelligas essentiales proprietates Deitatis) in se (adde, nec in alio) secundum se (adde, nec secundum aliud) proprietate naturali (adde, nec proprietate non naturali) seorsum, separatim, in abstracto, extra personam τῦ λόγυ (adde, nec vnita λόγῳ in eius persona) cum etiam ipsa nihil sit, nec consistat extra personam filij Dei, nec rationem personæ habeat (adde, ac propterea impoßibile sit eam esse omnipotentem. Quod enim ne subsistere quidem potest ipsum per se, sed necesse habet perpetuò ab altero sustentari, non potest dici aut esse omnipotens) non quoq; effudit diuina natura in vnione personali suam maiestatem & virtutem in naturam humanam physicè & essentialiter, vt ipsa quasi iam spoliata sua virtute cesserit (adde, neque etiam vt retinens eam realiter communem fecerit carni, cum nec essentialis nec accidentalis carni sit) & appropriauerit eam assumtæ naturæ formaliter, subiectiuè & habitualiter, eam κλήσει ὐσιώδει & χρήσει habenti (adde, neque κλήσει & χρήσει accidentali: Deitas enim neque essentia, neque accidens carnis est) & ita in ipsam diuinitatem mutatæ & conuersa (hæc enim, inquit Selneccerus, omnia blasphema sunt, & nostris Ecclesijs ignota.) Non etiam duplex est maiestas, æterna, increata, & creata, habitualis, quæ cæperit, aut transfusa sit ex vno in aliud subiectū; sed est vna eadē æterna & diuina maiestas (Rectè: hæc autem nō caro, sed homo potest esse omnipotens; quia non carnis, sed hominis substantia seu pars est hæc omnipotentia) quæ lucet (non autem communicatur realiter) in assumta natura, exeritur in, cum, & per eam, manentibus essentialibus, & naturalibus vtriusq; naturæ proprietatibus saluis & inuiolatis. Fol. 120. 121.

Si Faber, quemadmodum verisimile est, in Misniam breui

rediturus non est: bona in spe sum, futurum vt Selneccerus sophismatum eius oblitus, eò paulatim redeat, vnde abductus est, nempe ad veram de filio Dei doctrinam. Pauculis enim, veræ explicationis caussa, ad vitandam ambiguitatem, additis, à nobis admitti possunt ea, quæ commemorauit, vt voculæ parenthesi inclusæ demonstrant. Sed metuo eius ingenium, ne in sequentibus, quod hic nobis dat, iterum eripiat. Fit quod dixi. Dicit quidem verè nihil dulcius esse, quàm certò tenere, quomodo inuocandus sit Christus: & propterea nos ab adoratione Christi ficticij in pane latentis, abhorremus. Sed ab hac certitudine statim ad sua somnia de carne omnipotente, omnipræsente relabitur. Inuocamus, inquit, Christum, qui sit Mediator secundum vtranque naturam. Et nos, Selneccere: sed seruatis naturarum discriminibus; alioqui non duarum, sed vnius naturæ mediatorem haberemus, qui Mediator verus esse non posset.

Fol. 121. 122.

Adoratio, inquit, præsupponit omnipotentiam diuinam, & huius communionem. Caro adoratur. Ergo caro est omnipotens. Minorem probat testimonio Damasceni. Sed hic se explicat, carnem Dei pro incarnato Deo sumens. Caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Deo, non propter se ipsam, sed propter vnitum sibi secundũ hypostasin Dei Verbum. Et non dicimus, quòd carnẽ adoremus nudam, sed carnẽ Dei, id est, incarnatũ Deum. Ostendat autẽ mihi Selneccerus formã precationis, ab vllo vnquã vsurpatã his verbis, O humanitas Christi miserere mei, ô caro Christi iuua me, ô corpus, ô sanguis, ô anima Christi, eripe me &c. Ipse Selneccerus certè suprà ita precatus est, O Immanuel Iesu Christe, θεάνθρωπε &c. quẽ inuoco & oro &c. Patiatur igitur & nos vna λατρείᾳ Christum Deum & hominem adorare. Præsupponit enim adoratio hominis omnipotentiam personæ, non vtriusq; naturæ.

Negat in fine recitationis sextæ, se statuere duas omnipotentias. Ergo tantùm vnius naturæ omnipotentia est. Si enim

vtriusq;

vtriusq; esset vna omnipotentia, necesse esset, vnam etiam vtriusque essentiam esse, vt personarum diuinitatis. Sin hoc est impium dictu, oporteret alia omnipotentia diuinam, alia humanam naturam esse omnipotentem: quod & Selneccero & veritati repugnat.

In septimæ recitationis initio exinanitionem vult esse solius carnis, quod verum est loquendo de infirmitate, intereà tamen obseruandum, etiam assumtionem seruilis massæ, & gloriæ ac potentiæ diuinæ in eius humilitate occultationem, esse quandam λόγου exinanitionem & humiliationem, qui tamen in se vel realiter exinaniri, infirmari, mutari, minui non potest. Is enim ipse, qui erat in forma Dei, se exinaniuit. Hinc intelligitur, si occultatio Deitatis per humilitatem carnis est humiliatio, etiam manifestationem eius per gloriam carnis, esse quandam eius exaltationem. Septima Recitatio. Fol.123.

Hic Selneccerus, Exaltatio, inquit, intelligitur, non quòd maiestas aliunde ab extrà in carnem Christi inuecta sit. Si maiestatem intelligit Deitatem carni vnitam, Quid opus fuit ab extrà, cum Deitas in ea personaliter habitet, à qua glorificata est? Sed cauendum hic, ne cum Schmidelino intelligat, communionem realem Idiomatum, potentia semper latuisse in Christo, quæ tandem in actum prodierit. Paulò pòst enim videtur innuere, exaltationis initium referendum ad initium conceptionis. At Scriptura docet, Christum post humilitatem demum fuisse exaltatum. Philip. 2. Sed vide vim veritatis: Ipse fatetur, exaltationem hanc factam esse manifestatione diuinæ gloriæ. Ergo humanitas exaltatur accipiendo, quod prius non habebat; Deitas autem manifestando, quod semper fuit & habuit.

Vide rursus respectationem ad latebras, cum addit, diuinitatem se per carnem exerere. Id verum est; quatenus scilicet carnis ministerio, opera diuina facit λόγος, & per carnis gloriam

visibilem, patefacit Deitatem suam inuisibilem. Sed huius patefactionis nulla pars est vbiquitas.

Fatetur ibidem, Christum venturum ad iudicium suo corpore; Ergo iam nondum hic est, veniet autem gloriosus, sedens ad dexteram patris, Ergo est circumscriptus, localis, visibilis corpore, etiam ad dextram virtutis sedens.

Sed hic obseruandum est notabile inuentum Selnecceri, quòd corpus Christi viuificum dicit esse factum per glorificationem, quando factum est etiam incorruptibile. Atqui erat etiam ante gloriam viuificum, testante Domino. Iohan. 6. Et nisi edatur à nobis pendens in cruce, non viuificabit nos. Panis, quem do, est caro mea, quam dabo pro mundi vita. Ergo non requirit hæc viuificatio omnipotentiam vel omnipræsentiam carnis: quandoquidem viuificabat caro etiam quando erat infirma, immò quando pendebat in cruce, & iacebat in sepulcro mortua. Mirum igitur est artificium patrum, qui omnipotentiam, omnipræsentiam carnis eliciunt ex viuificatione, vt non iniuria quidam subscriptores dixerint, librum Bergensem esse opus miraculosum.

Corpus Christi dicit post exaltationem esse infinitæ potentiæ, omnia implere maiestate, gloria &c. Sed hoc non probat, neque è Scriptura, neque ex Cyrillo, nec vllo veterum.

Addit, corpus Christi omnia implere maiestate &c. Paulus docet, Christum omnia implere, & quidem non substantia corporis, carnis, ossium, manuum, pedum &c. (hæc enim dicit eum ascendisse & esse iam sursum in cælo) sed Spiritu, gratia, donis suis, quibus complet vt caput, omnia membra sui corporis, id est, Ecclesiam.

Fol. 124. De proprietatibus naturalibus humanitatis, ait, neminem sanum eas negare. Ergo insaniunt omnes vbiquitarij. Vbiquitas enim essentiales proprietates corporis tollit. Etiam de donis supernaturalibus humanitatis negat esse inter nos controuer-

uersiam. Atqui cum à nobis Christo hæc tribuuntur, nullus est apud vos vociferandi modus, nos facere Christum hominem impotentem, & plenam Dei & omnium rerum cognitionem non habentem.

De communicatione Idiomatum rectè dicit, fundamentum eius esse vnionem personalem. Ergo communicatio Idiomatum non est ipsa vnio personalis, vt fraterculus tuus Schmidelinus disputauit, sed quiddam ex vnione consequens. Qualis, inquit, est vnio, talis est communicatio. Si intra hunc terminum se contineret Selneccerus, sibi & nobis minueret molestiam. Vnio enim non est facta in naturam vnam, sed in personam vnam. Ergo etiam communicatio idiomatum non facit communia idiomata naturarum vni naturæ, sed vni personæ. Sicut caro non fit Deus, sed homo fit Deus, vnione Deitatis cum humanitate: Sic non humanitas, sed homo fit omnipotens &c. Quod si intelligas (vt facitis) vnio realis facit realem communicationem idiomatum inter naturas: regula hoc sensu est deprauata & falsa. Vnio enim naturarum est in persona, non in natura. Ergo & communicatio proprietatum est in persona, non in naturis, id est, non fit ex duabus naturis vna natura: sed vna persona: Ideò nec vna natura recipit proprietates vtriusque; sed persona vna ex duabus naturis constans, habet vtriusq; naturæ proprietates.

Addit amplius; communionem hanc esse realem in persona: Et vocem hanc Realis, ad ipsas naturas non referri, sed ad personam. Profecit aliquid in schola Sacramentariorum Selneccerus. Idem nos dicimus. Cum quo igitur litigat homo ex Antilogijs totus compositus & conflatus? Vt suprà in recitatione quinta, ita hîc triplicem facit Selneccerus realem communicationem idiomatum. Vnam in persona, sed non in naturis: quæ sit propriorum vnius naturæ, incommunicabilium alteri: Alteram in persona & naturis, quæ est officiorum: Tertiam in natura tantùm humana, quæ sit idiomatum diuinorum prædicatio realis de Fol. 125.

humanitate ratione exaltationis. Pace Domini Superintendentis, multa sunt, quæ in hac diuisione desideramus, de quibus si nos sibi assentiri velit, prius essemus certis documentis erudiendi. Nostræ autem quæstiones de isto tractatu hæ sunt.

I. Primam speciem communicationis agnoscimus: qua Deus mortuus; Homo creator mundi esse dicitur. Sed quomodo congruit, quod dicit, hanc non esse verbalem, & tamen definit eam, quòd sit prædicatio proprij vnius naturæ de persona? quid differt verbalis à prædicatiua communicatione? Et cum nomen personæ complectatur vtranque naturam: ipse autem fateatur, hæc prædicata tantùm de vna natura dici realiter, quomodo dicentur de altera simul comprehensa, si non dicuntur verbaliter seu per phrasin synecdochicam, seu κοινωνίαν ὀνομάτων, vt Theodoretus loquitur?

II. Quare negat verbotenus dici de natura altera, comprehensa in concreto, id est, in nomine personæ ab ea denominata, quod non potest de ea dici per se considerata, seu seorsum nominata nomine abstracto, cùm tamen sæpè dicatur de toto, ratione partis, quod de alia eius parte dici non potest?

III. Quare dicit verbalem prædicationem esse nudum titulum, sine re, falsam, imaginariam, fictam, cum tamen per eam significetur res longè maxima, videlicet vnio naturarum in vna persona? Cum enim dicitur Deus esse mortuus, etsi non secundum Deitatem sit mortuus, tamen nihil falsi dicitur: nam intelligitur personam esse mortuam secundum humanitatem, quæ reipsa Deus est, id est, naturam diuinam in se tanquam substantiæ suæ partem habet.

IV. Cur dicit naturas diuelli, cum de persona prædicatur, quod ei vnius naturæ respectu realiter, alterius respectu nominaliter, id est, alteri naturæ comprehensæ in personæ nomine, tantùm nominetenus competit? Cum tamen hæc loquendi forma ex ipsa vnione, tanquam ex caussa & fonte, oriatur, vt fatetur ipse, & per eam significetur.

Se-

V. Secundam speciem veram quidem esse scimus; quæ nomina officij verè & realiter prædicantur de nominibus abstractis & concretis vtriusque naturæ: Humanitas & Deitas est redemtrix. Homo & Deus est redemtor. Sed quare has propositiones contra omnium veterum & recentiorum doctrinam, refert ad communionem idiomatum? Cum hæc sit τρόπος ἀντιδόσεως, & species quædam synecdoches, quæ in illis propositionibus nulla est: Et hoc pacto nimis latè extendetur communicatio idiomatum, videlicet ad omnes propositiones, in quibus eadem prædicata partibus alicuius totius, vel partibus & toti tribuuntur.

VI. Cur in hac secunda sua communicatione non distinguit attributa & operationes proprias naturarum ab officio personæ? Si cui hæc non differunt, eodem modo erit redemtrix natura diuina, quo humana: Sin differunt, cur eodem modo viuificatricem facit carnem, quo Deitatem, nempe virtute & efficacia omnipotente?

VII. An Christus non verè & realiter est seruator, redemtor, caput, sacerdos, rex Ecclesiæ, viuificator, iustificator, & iudex mundi; secundum vtranque naturam; etiamsi non easdem horum officiorum partes secundum vtranque naturam obit? vt, cum natura humana patitur, diuina vult hanc obedientiam &c.

IIX. Tertiam speciem communicationis nos neque in Scriptura, neque apud veteres, neque apud recentiores Orthodoxos, ac ne apud Scholasticos quidem reperimus. Cur igitur in hac proprietates aliquas Deitatis essentiales humanitati realiter communicat, cum alias non communicet? Cur hanc speciem auellit à prima? Nos enim rationem huius distinctionis non videmus. Negauit, naturam humanam realiter esse creatricem. Cur ergo hîc dicit realiter esse omnipotentẽ, cum non sit omnipotens, quod non est Creator mundi? Esse impartibilem, simplicissimum, immutabilem, æternum, omnium bonorum fontem &c. non reali-

ter communicantur humanitati; sed homini. Cur ergo omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia communicantur, quæ non minus solius Deitatis propria sunt, quàm illa? Quis illis hanc autoritatem dedit, realiter communicandi, aut non communicandi: quæ ipsis visum est? Nam ratio, propter quam ista communicant, videlicet prædicatio eorum de homine, non minus in Scriptura extat de illis, quæ non communicant, quàm de his. Humanitas non creauit mundum, etsi homo creauit eum. Cur igitur humanitas erit omnipotens, propterea, quòd homo est omnipotens?

IX. Cum in hac specie non minus quàm in prima, humana idiomata, quæ dicuntur de Deo, non communicet Deitati, quare hîc diuina, quæ dicuntur de homine, communicat humanitati? Si Deitas non est infirma, quia Deus est factus infirmus, quare humanitas omnipotens, quia homo omnipotens? Aequè enim aduersatur gloriæ Dei, creaturam æquari creatori, atque creatorem æquari creaturæ.

X. Quomodo discernit hanc tertiam speciem à secunda, videlicet à communione officiorum, cum exempla eius, quæ hic ponit, non sint idiomata naturarum, sed officia & gloria personæ Christi? vt: sedere ad dextram patris, habere omnipotentem gubernationem, & omnipotens dominium in omnes creaturas, omnia habere subiecta suis pedibus, esse viuificatorem, esse adorabilem &c.

XI. Cum suprà dixerit, robur, scientiam & omnia dona naturæ humanæ Christi creata, esse finita, vtcunque collatione ad creaturas omnes infinita & nobis incomprehensibilia sint: Essentia autem diuina nullius creaturæ scientia vel virtus possit fieri, quomodo hîc tribuit scientiam & potentiam infinitam humanitati? An vna natura duplici potentia & scientia potest esse sciens & potens, præsertim quarum altera finita, altera infinita sit, sicut vna persona Christi habet geminam scientiam & potentiam,

tiam, creatam humanæ, & increatam diuinæ naturæ? Si humanitas duplicem habet cognitionem, quare non etiam duplicem intellectum, & duplicem voluntatem, sicut habet persona Christi?

XII. Cur exaltari naturam humanam est eam fieri omnisciam, omnipotentem & omnipræsentem, cum etiam sine his fateatur eam fuisse vnitam Deitati in humilitate, & in gloria sua antecellere officio, dignitate & donis creatis, omnibus creaturis?

XIII. Quare ad hanc omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam, dicit hominem Christum euectum esse demum per ascensionem & sessionem ad dexteram seu glorificationem, cum Scriptura illam tribuat Christo homini etiam ante glorificationem?

XIV. Quomodo sibi constat, dum hanc maiestatem diuinam tribuit Christo per exaltationẽ, quam prius tribuit ei per vnionem carnis cum Deitate inde à conceptu, quam vnionem, vti reuera est, dixit esse caussam communicationis idiomatum?

XV. Quomodo conciliat ista, quòd essentia humanitatis finita & circumscripta semper maneat, & tamen sit omnibus rebus præsens vna cum Deitate?

XVI. Qua consequutione probat omnipræsentiam corporis Christi, ex dicto, quòd omnia sunt subiecta ipsius pedibus, cum tamen pedes Christi non sint vbiq;? Habet enim pedes extra caput sitos, & caput extra pedes.

XVII. Qua item consequentia dicit vbiquitatem corporis ex cognitione omnium rerum in mundo, & imperio in omnes creaturas, cum ne princeps quidem suo corpore sit vbicunque dominatur? Multò enim facilius Christo est omnia intueri & regere Deitatis suæ virtute, quantumuis dissita loco ab eius corpore, non secus, ac si præsentissima tangeret omnia manibus corporeis.

XIIX. Quæ item consequentia, & quomodo sibi constans, ex viuificatione & adoratione carnis, probat omniscientiam & omnipræsentiam & omnipotentiam eius, cùm viuificarit credentes, & adorata sit caro etiam ante exaltationem, quando fatetur eam non fuisse omnipotentem & omnipræsentem?

XIX. Quomodo sequitur; Communicatio aut verbalis, aut realis est: sed non verbalis: Ergo realis: Cum dari possit membrum tertium diuisionis, communicatio partim realis; partim verbalis. Vt: Christus homo est Deus omnipotens, realiter, respectu personæ, & naturæ diuinæ: nominetenus, respectu naturæ humanæ: neque firma sit assumtionis probatio: quia prædicatio diuinorum idiomatum de concreto nomine humanæ naturæ, hoc est, de homine, non est inanis titulus: significat enim realem vnionem, etsi non realem æqualitatem cum Deitate.

XX. Quomodo differt naturarum confusio & exæquatio à reali communicatione idiomatum, cum discrimē naturarum sit idiomatum essentialium diuersitas? Quomodo non æquantur essentiæ, quarum vtraque est vbique? Quomodo non æquantur naturæ scientia & potentia, quarum vtraque est omniscia & omnipotens? An infinitum infinito, omniscium omniscio, omnipotens omnipotenti potest esse aut cogitari inæquale?

Fol. 126. Inculcat eandem contradictionem, cum reale negat esse idem, quod physicum & essentiale: Negat item, realem communicationem esse essentialem transfusionem vel physicā confusionem. Dicimus certè, inquit, in doctrina de sancta Trinitate personas distingui non rationaliter, seu verbaliter, nec essentialiter, sed realiter: Quia reuera est alia persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti. Etiam hîc vel negligentiam Selnecceri, vel improbitatem deprehendere licet: Negligentiam, si non legit, quid ad hoc responderint Anhaldini: quos, si nos spernit, non potest ab Augustanæ Confessionis societate excludere. Improbitatem, si legit & dissimulat. Responderūnt autem illi, argumentum à dispara-

paratis ad hanc rem parum vel nihil facere; opposuerúntq; argumentum hoc:

Essentialiter & realiter differunt in mysterio trinitatis propter naturæ seu essentiæ identitatem.

Sed in persona Christi non est naturarum identitas.

Ergo in persona Christi hæc vocabula nihil differunt.

Et per consequens, sicut physica idiomatum communicatio, ita etiam realis falsa est; nisi dedita opera Monophysitarum errorem in Ecclesiam reuocare libeat. Atq; addunt, non posse deinceps, secundum nouam istam Theologiam, omnipotentiam, omniscientiam, vbiq; præsentiam sine Catachresi & contradictione in adiecto, proprietates Dei appellari.

In vulgari sermone, inquit, vsitatum est, illud vocare reale, quod non est fictum, imaginarium, verbale. Confundit Sophista verbale & imaginarium vel fictum. Nihil ficti dicitur aut imaginarij, cum homo dicitur Deus, etiamsi humanitas non dicatur Deus. Ac proinde homo, realiter Deus, respectu Deitatis: nominetenus, respectu humanitatis inclusa in hoc nomine, homo. Significatur enim realis vnio cum Deitate, per hanc verbalem communicationem, id est, prædicationem idiomatum vnius naturæ de alterius nomine concreto, id est, humanorum de Deo, & diuinorum de homine.

Non tantùm ergo Selnecceri, sed etiam nostra fides non titulos inanes sine re requirit & profitetur: & quidem verius, quàm illius. Cum enim homo dicitur Deus, non est inanis titulus, etsi non secundum naturam vtramq; Deus sit. Si autem humanitas dicitur Deus, aut (quod idem est) omnipotens, omnipræsens &c. est iste inanis & falsus titulus: quia carnis deificatio significatur, & naturarum confusio, quæ ficta & falsa, & impia est. Itaque eiusmodi phrases Ecclesia Orthodoxa non admittit: Admittit autem has: Homo est Deus, omnipotens &c. quia significatur his naturarum vnio in vna persona.

Fol. 127. Deinceps disputat, non esse parem rationem prædicationis idiomatum humanorum de Deo, & diuinorum de homine. Atqui par istorum ratio est Amphilochio Episcopi Iconij dicenti, οὔτε γὰρ κατ' ἔκπτωσιν ἐκ θεοῦ γέγονεν ἄνθρωπος, οὔτε κατὰ προκοπὴν ἐξ ἀνθρώπου θεός. Et Theodoreto Dial. 1. Cum de naturis loquimur, cuique tribuenda sunt propria: cum autem de persona, communia oportet facere naturarum propria, & vtraque aptare eidem Christo. Et Dial. 2. Vnio communia facit nomina. Item: naturarum propria, facta sunt personæ communia &c.

Probat suam negationem: Quia humanitas non est persona per se subsistens, nec assumsit diuinitatem, sed ab hac assumta est. Hæc autem ratio nulla est; quia assumentis idiomata non aliter communicantur assumto, quàm idiomata assumti communicantur assumenti. Ratio firma & plana est: quia assumere non est æquare sibi; Ergo nec assumi est æquari alteri, aut conformari in proprietatibus essentialibus.

Pergit: Humana natura potest ornari & exaltari: Diuina verò in se non potest exaltari, sed immutabilis est. At humanitas non potest accipere realiter Idiomata Dei essentialia: Hoc enim non esset ornari & exaltari, sed aboleri & in aliam naturam mutari: Hoc Satan quærit specie ornandi & exaltandi carnem nostram in Christo. Vt igitur natura diuina non potest mutari, nec ex infinita fieri finita: sic & humana mutari quidem & excellentior fieri potest, sed mutari ex finita in infinitam non potest, multò minus finita simul & infinita existere. Quantumuis igitur magna accessio sit facta naturæ humanæ, non tamen omnipotens, omnipræsens facta est, ἑνώσει enim, non προκοπῇ homo factus est Deus. Accessit ei vnio cum Deitate, vt caro hæc sit caro Dei. Accesserunt ei dona sine mensura, id est, Omnia & summa ac perfectissima, quæ in creatam naturam possunt cadere, hoc est, tamen finita, vt Selneccerus fatetur. Hæc est accessio de qua loquitur Athanasius: Hæc est glorificatio carnis, quam Augustinus

gustinus

gustinus ait factam esse à maiestate diuinitatis. Hæc est μετάδοσις, *participatio Deitatis, de qua Basilius in similitudine ferri candentis, de qua & Petrus, nos fieri diuinæ naturæ participes: seruato tamen discrimine donorum in membris & in capite: quòd illorum vnumquodq; ad mensuram, hoc autem sine mensura vngitur Spiritu. Hæc est excellentia diuina communicata carni, de qua Damascenus: Deitas enim carni communicat potentiam, sapientiam, gloriam: Non autem caro Deitati infirmitatem, ignorantiam, ignominiam. Sed magna est homonymia, qua creata & increata sapientia, & potentia, & maiestas dicitur; quanta nimirum finiti & infiniti eodem nomine appellati, teste vel Selneccero. Exaltatio autem, nomen super omne nomen &* θεολογία *carnis, de qua Athanasius, præter hanc excellentiam donorum est vnio cum Deitate, propter quam caro hæc, non caro Deus (nisi carnem pro homine sumas) sed caro Dei est & dicitur. Ideò dicit,* σὺν αὐτῷ ἐθεολογήθη, *id est, caro non abstractè sed concretè nominatur Deus, quia homo Deus est, cuius nomine caro comprehenditur, non tantùm cogitatione, sed etiam voce & appellatione. Ideò, inquit, carni dictum esse: Sede à dextris, id est incipe sedere, Quia* λόγος *semper ibi sedit. Hinc autem non sequitur, easdem huius gloriæ partes carni & Deitati competere realiter. Hic est fulgor diuinarum dignitatum in natura humana, ex vnione cum Deitate proueniens, & Deitatem huius hominis testificans, de quo Cyrillus loquitur. Vbiquitas enim carnis neque fulget, neq; fulgebit vnquam.*

In tractatu, in quo quæritur, an omnes propositiones de Christo, sint eiusdem generis, iterum impudenter extenuat & corrumpit doctrinam veterem Ecclesiæ, de communicatione idiomatum, vocans eam scholasticam, cum sit reuera Theologica, quia in Scriptura & Orthodoxis patribus vsurpatur: Ac si de ipsa quoque voce communicationis idiomatum dicat: Theodoretus non est Scholasticus, qui nominat eam κοινωνίαν τῶν ἰδίων, Fol. 128.

& κοινωνίαν τῶν ὀνομάτων. Immò ne sibi quidem ipse constat, siquidem liber Concordiæ etiam in his propositionibus: Deus est passus, vult esse communicationem idiomatum non scholasticam, sed realem. Contra hæc iste audacissimè effutit noua sua insulsa commenta, detorquens propositiones, quæ de officio, quod est totius personæ, loquuntur, ad communicationem suam idiomatum realem, ac ineptè miscens operationes & officia, cum officium vtramque naturam respiciat, operationes singulæ, suas quæq; naturas, sicut & proprietates, ex quibus actiones promanant.

Fallitur ergo & fallit Selneccerus, sic concludens: Christus exaudit preces nostras secundum vtramque naturam, Ergo secundum vtramque est omniscius & omnipotens. Non enim eodem modo hoc officio secundum vtramque naturam fungitur, diuinitas exaudit per se & sua virtute omnia sciens & præsciens ab æterno: humanitas exaudit ex reuelatione Deitatis vnitæ sibi, qua cognoscit etiam gemitus, & omnes necessitates nostras, & vult etiam humana sua voluntate Christus omnia beneficia, quæ nobis tam Deitatis, quàm humanitatis suæ operatione præstat. Sicut dicit: Quæ petieritis in nomine meo, Ego faciam: Et Apostolus: Habemus pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris. Et in Euangelio: Iesus cognouit Spiritu suo cogitationes hominum.

Christus viuificat: Christus est adorandus &c. Hîc, inquit, non valet tantùm scholastica communicatio. Rectè. Sed neque valet confusio proprietatum & operationum in officio & & honore personæ. Prædicatio enim est homonymica: aliter caro, aliter Deitas est viuifica & adorabilis: Et tamen vna est viuificatio, vna adoratio vtriusque, sed diuersis constans partibus, quarum aliæ diuinæ, aliæ humanæ sunt. Sic & proprietates communicabiles homonymos de naturis dicuntur. Sapiens Deitas est, sapiens & humanitas, sed distincta sapientia &c. Sed tamen diuina est gloria etiam illa, quæ in humanitate conspicitur.

eiq;

eiq; realiter competit, quia habitantis in ea Deitatis effectus, indicium & argumentum est.

Christus, inquit, secundum diuinam naturam non sedet ad dexteram Dei, propriè loquendo. O argutum Superintendentem. Num igitur sedet ad dexteram propriè loquendo, secundum humanitatem? Hoc si nos diceremus, procul dubio quæreret Selneccerus, qua sella sedeat? Aurea ne, vel Eburnea? Et quod sit dextrum aut sinistrum, anterius aut posterius, infernum aut supernum in Deo? Iterum autem hic confundit operationem per dexteram Dei cum sessione ad dexteram Dei. Nam Psal. 98. sententia est, quòd Christo salutem attulerit dextera sua, id est, diuina sua & propria virtute hostes deuicerit. Sed reducta locutione metaphorica ad propriam, an non realiter competit & Deitati & humanitati, regnare patris nomine super omnia? Et tamen aliter Deitas, aliter humanitas regnat. Concedimus autem, loqui illam propositionem non de essentiali proprietate, sed de summa glorificatione, & de officio carnis: At non de Deificatione. Nam subiectus erit in æternum patri etiam filius. Non est igitur opus hic idiomatum communicatione, si de sessione ad dextram, quatenus carni competit, loquamur. Sin autem totius personæ honorem Selneccerus ad naturam humanam accommodat: ineptus est, qui dicta de honore personæ miscet cum proprietatibus naturarum. Aequè friuolum est, quod præsentiam Christi in cœna refert ad tertiam suam speciem communicationis. Nam præsentia Christi in ministerio, & ipsius communicatio, est officium & beneficium personæ. Aliter autem præsens est Deitate: Aliter carne sua: Deitate in nobis habitans: Carne nobis vnitus, vt caput suis membris. Præsens autem in pane seu in loco panis, aut intra nos dicitur, per communicationem idiomatum. Hoc enim est naturæ diuinæ, in hoc officio, seu in hac præsentia, proprium. Præsentia vtrique naturæ communis est: Sed præsentiæ modus cuiq; naturæ proprius. Adest igitur Christus etiam cor-

Fol. 129.

pore suo in cœna, sed non in pane. Dat nobis corpus suum, sed non in os, ait Lutherus.

Dicta verò, quibus probat tertiam suam fictitiam communicationis speciem, partim referuntur ad gratiam vnionis, quæ significatur per communicationem idiomatum, vt: Col. 2. Quia omnis plenitudo Deitatis corporaliter inhabitat in Christo, id est, Christus est plenus & perfectus Deus: partim ad gratiam capitis, quæ complectitur officium Mediatoris in vtroque tam exaltationis, quàm humiliationis statu: vt: Matth. 28. Quia omnis potestas Christo in tempore data est in cælo & in terra. Dedit ei nomen, quod est super omne nomen &c: partim ad gratiam habitualem, ad quam pertinent dona singularis prærogatiuæ seu perfectionis & gloriæ. Quia dona Spiritus sancti ad mensuram non accepit. Has tres classes, quia non distinguit Selneccerus, & se & alios implicat, testimonia Scripturæ confundendo tam audacter & imperitè, vt alijs impudentia admirationem, alijs inscitia risum moueat. Ac vera nos dicere, ex ipsius propositionibus innotescet.

1. Omnem plenitudinem diuinitatis habet in se habitantem, hanc vniuersa antiquitas ad gratiam vnionis retulit. Deitas enim habitans in humanitate, non humanitatem, sed hominem facit Deum.

2. Omnem potestatem in cælo & in terra habet.

3. Sedet in dextera.

4. Est euectus in summam sublimitatem.

6. Omnes thesauri in eo sunt reconditi.

7. Carnem habet viuificam.

8. Iudicabit mundum.

9. Emundat corda &c.

10. Est redemtor, mediator, saluator &c. Colitur, adoratur.

Has

Has omnes quis non videt ad gratiam capitis pertinere, quæ officium mediatoris in vtroq; gradu & exaltationis & humiliationis complectitur, seruatis essentialibus proprietatibus, & distinctis operationibus naturarum, vt paulò antè est dictum. 5. Illa verò, Vnctus est Spiritu sancto, ad gratiam habitualem pertinet. Non est igitur communicatio idiomatum in prædicatione officiorum aut honoris personæ de persona vel naturis: Nec de naturis propriorum vniuscuiusque. Sed in prædicatione proprietatum vel operationum vnius naturæ de altera: Et in officij prædicatione non earundem operationum effectio significatur, sed distinctarum operationum coniunctio seu concursus ad eundem effectum.

Sic Christus accipit dona & dat. Accipit, quâ homo est. Dat non virtute donorum acceptorum, sed virtute Deitatis, qua & sibi & nobis ea dat. Miscet deinde omniscientiam & officium docendi. Omniscientia diuina est proprietas Deitatis, homini competens communicatione idiomatum. Doctor est Christus secundum vtramque naturam: Docens & humanitatis ministerio, & diuinitatis in cordibus efficacia. Caro Christi est viuifica, sed, mi Nicolaë, non eodem modo, quo Deitas, de qua dicitur: In ipso vita erat: Item: Spiritus viuificat. Fol. 130.

Per hominem, inquit, resurrectio mortuorum, sed non per vim carnis humanæ, quæ ipsa indigebat suscitatore, & etiam num indiget viuificatore Deo, vt etiam Selneccerus fatetur: Verùm per virtutem diuinitatis & meritum carnis, Christus dicit sibi datam esse potestatem iudicij: sed seruatis proprietatibus. Omnia occulta scire & producere est Deitatis: Ferre sententiam, etiam carnis: Potentia efficax vel ad vitam, vel ad mortem: rursum Deitatis est. Christus mundat nos sanguine emundante nos ab omnibus peccatis; Merito scilicet, & eius imputatione seu applicatione per fidem. Regeneratio autem fit Spiritu; Quod natum est è Spiritu, Spiritus est.

Christus præstat sua beneficia secundum vtramque naturam, Adde, seruatis proprietatibus.

Fol. 131. Organum Deitatis immediatum est humanitas, scilicet eorum, quæ humanitati competunt. Etsi enim λόγος agit cum communione assumtæ naturæ, agit tamen non cum vtriusque naturæ confusione. Suppeditat singulis membris vitam, nempe Deitate sua, de qua dicitur: In ipso sumus mouemur & viuimus. Est etiam coniunctus & præsens corpori nostro, secundum carnem suam: sed non loco: sicut caput tuum non est in pedibus. Denique, saluator est secundum vtramque naturam, sed seruatis naturarum discriminibus.

Fol. 132. Scribit porrò dolendum, horrendum, & tetrum esse, Antagonistas Neostadianos, qui tamen Christiani perhiberi velint, publicè scribere, à Christo dari Spiritum sanctum, & suscitari mortuos non humanitate ipsius, sed Deitate sola. Fatetur proprietatem naturalem non esse humanitatis mittere Spiritum sanctum, sed aliam quandam donatam, quæ naturales longè superet. Hoc dum probet, interim audiat quid Neostadiani respondeant. Cum officium Christi contineat actiones vtriusque naturæ, propriè totum officium dicitur de tota persona. De altera autem natura dicitur respectu partis officij, scilicet illarum operationum, quæ sunt eius de qua dicitur. Sic Spiritum sanctum mittere, suscitare mortuos, etiamsi ad officium pertinent, dicuntur tamen de altera natura respectu partis officij. Ac videat Selneccerus, ne ipse blasphemiæ crimen subeat, cuius alios accusat, dum vult ab humanitate mitti Spiritum sanctum, creatorem à creatura, ac proinde Spiritum sanctum procedere ab humanitate. Non alius enim spirare & mittere, & per eum esse efficax, illuminare & mouere potest, nisi à quo procedit, nisi cuius est Spiritus proprius, & ὁμοούσιος. Filius Dei ab initio mundi misit electis Spiritum sanctum, sed non sua humanitate, qua nondum fuerat assumta. Nec enim minus proprium est solius Deitatis,

operari

operari per Spiritum Dei, quàm omnia creare, conseruare, regere, vbique adesse & inspicere omnia. Audiat de hac re Philippum, quem iste degener discipulus subinde salutat magistrum, & interea colaphis cadit, pedibus conculcat, sic scribentem in loco de diuinitate filij: Vniuersa Scriptura Prophetica & Apostolica magno consensu præcipit Christum adorari & inuocari, ac iubet in eum confidere: Ergo tribuit ei potentiam infinitam, quòd vbique adsit, corda inspiciat, exaudiat, quòd det iustitiam & vitam æternam: Necesse est igitur in Christo diuinam naturam esse. Hic Philippus hæc omnia diuinæ naturæ: non autem omnipotentiæ carnis tribuit. Et aliquantò pòst: Adesse vbique, exaudire & opitulari vbique, propria sunt diuinæ naturæ. Idcircò Christus dat Spiritum sanctum: Quod etiam solius diuinæ naturæ proprium est. Hæc si in nobis horrenda & blasphema sunt, cur non & in Philippo? Cur non posuit ea in catalogo erratorum Philippi, quem texit in fine recitationum? Quid vitij est, quod te non sinit esse probum?

Prodit tamen stimulum conscientiæ ista correctione: Dare Spiritum sanctum non est proprietas naturalis humanitatis. At neque est eius proprietas supernaturalis: sed solius æterni patris, & filij eius coæterni, λόγου. Probationem suæ sententiæ subijcit istam. Qui medium non acceptat, id quod Christus nobis consulere vult, is certè reijcit ipsum Christum. O argutias dignas Theologo. Etiam verbum vocale, & aqua Baptismi sunt medium, per quod Christus dat Spiritum sanctum, id est, per quod Spiritus Christi est efficax: Ergóne hoc medium est omnipotens, & dat Spiritum sanctum? Agit λόγος immediatè per Spiritum: Spiritus autem corda mouet per verba, & signa externa, siue per Christi naturam humanam, siue per alios hæc adhibeantur.

Pergit: Mittit Christus Spiritum sanctum secundum vtramque naturam: Est enim hoc officij totius personæ, sed vt patet ex sequentibus, ludit homonymia suo more. Officium est

missio Spiritus sancti, & viuificatio, si complecturis omnia, quæ in hac missione & viuificatione fiunt. Ita huc etiam pertinet intercessio, & voluntas humanæ naturæ in Christo, & ministerij institutio & vsus. Sed proprietas naturæ diuinæ, & pars huius officij est missio propriè dicta, id est, operatio & regeneratio cordium per Spiritum sanctum. De hac enim missione loquimur. Hanc facere communem carni non potes, sine blasphemia insigni & hactenus inaudita in Ecclesia Christiana, non enim creatura per creatorem: sed creator per creaturam agit.

Citat etiam dicta: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Quæramus nunc, inquit, secundum quam naturam abierit? Audis hoc Andrea, tu inquam Iacobe Andreæ, audis hoc & taces? Selneccero iam abit Christus secundum humanitatem? Num tibi idem videtur? Non equidem puto, si adhuc tui similis es. Sed rides, credo, ipse argumentum hoc Selnecceri: Christus abiturus hinc, promisit se missurum Spiritum sanctum: Ergo per carnem eum mittit. Vbi dixit se missurum Spiritum secundum eam naturam, secundum quam abit? Iohannes affirmat, quòd Agnus Dei baptizet Spiritu & igne. Etiam dicitur, quòd iste agnus de cælo descenderit, Ergóne caro descendit?

Fol. 133. *Addit, ea natura etiam, qua factus est nobis sanctificatio, sanctificat nos suo Spiritu sancto, non tantùm merito eius, sed etiam efficacia: Non est verum hoc (vt pace tua dicam) de operatione carnis, quæ ipsa necesse habet sanctificari & vngi Spiritu sancto à Deitate sua. Postquam, inquit, Christus carne sua euectus est ad dexteram Dei, Spiritus sanctus visibiliter Apostolis datus est. Sed non sequitur; Natura humana mittit Symbola visibilia Spiritus sancti, & vult Spiritus sancti missionem in corda: Ergo mittit illa Spiritum sanctum, & operatur per eum in cordibus.*

Addit; Cum adhuc in terris visibiliter versaretur Christus, insufflando in eos dixit; Accipite Spiritum sanctum: ineptè:

ptè: Symbolum hoc fuit, id est, flatum dedit, carne: Spiritum sanctum Deitate sua, à qua procedit. Sic in editione miraculorum adhibebat contactum corporalem & vocem, vt in resuscitatione Lazari, Iairi filiæ.

Postea purgat se à suspicione, dicens: Non verò inde sequitur, vt aliqui insulsè colligunt, Spiritum sanctum esse subiectum imperio Christi. Atqui etiam Deus pater & λόγος non sunt dominus Spiritus sancti, & tamen mittunt eum. Ergo non satis est dixisse, Spiritum sanctum non esse subiectum imperio carnis: sed hoc etiam addi oportet; Non mitti eum à carne, sed à filio Dei, quà est Deus, & à quo Dei Spiritus procedit: vt ipse dicit: Pater mittet eum in nomine meo, & ego mittam eum à patre.

At mittitur, inquit, Spiritus sanctus à patre, & à filio toto Deo & homine. Sed non quatenus homo, verùm quatenus Deus est. Nam mittere metaphoricè hîc significat, per eum agere & efficacem esse. Hoc nullius rei est creatæ, etiamsi crepes contrà clamando.

Datur, inquit, Spiritus sanctus per verbum; sed non datur à verbo, neq; omnipotentia verbo realiter communicata.

Atq; hoc verbum, inquit, cuius vox est? Nónne vox filij Mariæ? Est sanè. Sed non sequitur: Instrumenta ministerialia missionis Spiritus sancti, sunt ab vtraque natura Christi: Ergo & ipsa missio Spiritus sancti, seu operatio per Spiritum sanctum, aut per instrumenta, fit ab vtraq; natura: Cum enim dicitur, Spiritum sanctum dari per verbũ & vsum Sacramentorum: hîc modus tantùm donationis exprimitur. Quæritur autem, à quo detur, non quo modo. A Christo datur vero Deo & homine: Secundum deitatem ipsius, non secundum humanitatem.

Dicit, Sacramentum cœnæ constare non sola Deitate. Fol. 134.
Quis ante Selneccerum hanc loquendi formam vnquam vel finxit, vel pinxit? Sacramenta constare Deitate. Neq; enim

Sacramenta Deitas sunt, vel Deitate constant. Sed Ceremoniæ sunt à Deo institutæ. Quàm Theologicè autem dicuntur hæc? Sacramentum cœnæ non constat sola Deitate, sed etiam corpore & sanguine Christi. Irenæus longè aliter: Quemadmodum qui est è terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia. Terrena res quæ sit, nouimus omnes. Res cælestis non est Deitas, sed corpus Christi, quod modò in cælis est, & vitam cælestem in nobis alit, ac proinde non ore corporis, sed modo cælesti: id est, Fide & Spiritu editur, vt spes resurrectionis in nobis hoc cibo alatur. Theologis hæc non intelligentibus, quis neget opus esse pædagogis, siue Neostadio, siue aliunde euocentur.

Dignum autem consideratione est argumentum Selnecceri:

Per Sacramenta datur Spiritus sanctus.

Corpus Christi est Sacramentum, seu pars Sacramenti.

Ergo per corpus Christi datur Spiritus sanctus, id est, Christus etiam corpore dat Spiritum sanctum.

Crediderim te, Selneccere, cùm hoc argumentum excogitasti, sperasse, tibi vinum donatum iri à tuis socijs, pro hac opera, quòd ipsorum caussam tam lepidis argumentis exornes. Vel quatuor termini sunt, nomine Sacramenti in maiore signum, in minore rem Sacramenti significante: vel minor falsa erit: Corpus enim Christi non est signum. Præterea plus est in conclusione, quàm in præmissis. Sequeretur enim tantum, corpus esse organum externum & ministeriale Spiritus sancti. Hoc autem nō est mitti Spiritum sanctū à carne aut per carnem, reali communione idiomatum. Maior enim hæc non consistit, nisi hoc sensu, quòd Sacramenta sint media, id est, signa externa & visibilia, per quæ Spiritus sanctus mouet corda ad credendum, sicut per verbum.

Corpus autem Christi, vel non est Sacramenti pars, loquendo propriè: vel non est pars visibilis, id est, signum: sed pertinet ad res signatas, quæ non Spiritum conferunt, sed ab ipso Spiritu, & per ipsum nobis conferuntur à Deo, vt in cœna Spiritum sanctum non dat nobis corpus & sanguis Christi, sed potiùs contrà, ipse Spiritus per verbum promissionis, & per externum signum mouet cor ad credendum firmius, ac fide sumendum res cælestes, id est, corpus & sanguinem, & nos corpori Christi, tanquam capiti membra inserit. Datur ergo Spiritus sanctus merito & intercessione carnis: sed efficacia Deitatis. Quis ante Selneccerum dixit, Christum corpore suo dare Spiritum sanctum?

Iterum profert illud: Data est mihi omnis potestas &c. Primùm, non dicit, carni meæ. Sunt enim hæc officia, quæ requirunt vtriusque naturæ coniunctam & distinctam operationem. Deinde etiam carni non sunt omnia eodem modo data: sed quædam per vnionem, quædam per vnctionem. Tactu carnis suscitat mortuos: sed efficacia Deitatis gestat omnia verbo suo potente, id est, nutu & virtute diuina.

Is qui resurrexit, Christus filius hominis, πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, resurrectionem omnium hominum merito humanitatis, & efficacia Deitatis perficit. Atque idem videtur Selneccerus sentire: Addit enim, virtute non humanitatis, sed diuinitatis propria: si diuinitatis propria: Ergo non communi realiter naturæ humanæ.

Infine nescit quid loquatur, cum inquit: Caueant sibi, qui humanitatem assumtam ab operibus diuinis excludunt. Nam discernere operationes diuinitatis & humanitatis, non est eas excludere. Iudicabit Christus mundum Deitatis & humanitatis suæ actione, etsi non eædem partes futuræ sint humanitatis, quæ Deitatis in iudicio.

Post hæc ad ascensionem venit: De qua miror equidem, Selneccerum non locutum esse cautius, ne quosdam ex collegis of-

Fol. 135. *fenderet.* *Non enim omnes, quemadmodum Selneccero notum est, historiæ hanc narrationem accipiunt, vt litera sonat. Sed ne videatur degenerare à se ipse, ascensionem interpretatur remotionem exinanitionis & infirmitatum: ne si dicat corpus Christi, vel naturam humanam in cælos eleuatam esse, ad cœnæ celebrationem denuò eam deuocare cogeretur.*

Hæc ascensio, inquit, declarat exitum ex hoc mundo, siue ex ratione viuendi iuxta huius seculi conditiones: Atqui hic mundus, & ratio viuendi in hoc mundo, non sunt idem. Ergo repugnas tibi, cum dicis, historiam accipiendam, vt litera sonat; & iam exitum ex hoc mundo transformas in exitum ex ratione viuendi in hoc mundo. Non amplius viuebat Christus secundum rationem huius mundi, illis 40. diebus post suscitationem, & tamen dicit; Nondum ascendi ad patrem meum. Exiuerat ergo ex ratione viuendi in hoc mundo, cum resurgeret: Exibat ex hoc mundo demum, cum ascenderet in cælum. Præterea, si desijt post ascensionem viuere secundum rationem huius seculi; Ergo cœpit viuere secundum rationem alterius seculi. At localitas tam est de ratione alterius, quàm huius seculi: Ergò localis esse suo corpore non desijt, secundum Bucerum, qui tibi, si viueret, eandem gratiam haberet, de nominis sui vsurpatione, quam Philippus.

Quærit, quò ascenderit Christus. Respondemus cum Scriptura: Sursum illum assumtum fuisse, & profectum in cælum, & ibi consedisse ad dexteram Dei: Ac quia in cælis consedit ad dexteram patris; naturam humanam ibi, & non alibi nunc esse credimus, atque etiam inde visibiliter redituram; atque hac de caussa, Christum vbique præsentem, secundum suam humanitatem non esse; nisi fortè in cælis esse idem sit, quod vbiq; esse, secundum Brentium, vel cæli appellatio simul etiam terram complectatur, ita, vt in oratione Dominica, sine iactura, verba illa omitti possint, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.

Locum

Locum aſcenſionis, inquit, ſimpliciter Scriptura nominat vel ipſum patrem, vel dexteram Dei. Contra te ipſum diſputas, contra Scripturam & contra Symbolum. Paulò antè dixiſti, articulum eſſe intelligendum, vt litera ſonat. Quoties autem legis: aſcendit in cælos: Aſſumtus eſt in cælum; Chriſtus eſt ſurſum? Atque ipſe iam dixiſti, domicilium ſeu ſedem beatorum eſſe locum certum: ſicut & dominus eam ſedem nominat locum & domicilium ſuum & noſtrum: ſiue ſit locus, qualis in quarto phyſicorum definitur, ſiue non: vt Bucerus ait in Epheſ.4. hoc enim videbimus, cum erimus ibi: nunc ſatis eſt nobis, eſſe locum certum, & eum eſſe ſurſum. Eſt autem hæc ſedes Chriſto & beatis communis, quæ non eſt ipſe Deus, ſed domus Dei, Iohan.14. Pater ergo non eſt locus, quo Chriſtus abijt, ſed Dominus & habitator illius loci. Dextra patris non eſt quidem tantùm locus ille, ſed tamen gloria, quam Chriſtus habet in illo loco. Cur igitur miſces articulum aſcenſionis & ſeßionis ad dextram, cùm illa ſit antecedens, hæc verò conſequens? Aſcendit in cælum, vt ibi ſedeat ad dextram Dei.

Confundis quæſtiones, quò, ad quem, ad quid aſcenderit, ac committis fallaciam ſecundum plures interrogationes.

Aſcendit, inquit, ſuper omnes cælos: Adde viſibiles. Non autem ſupra, ſed in cælum illud aſcendit, quod nunc non videmus: Vidit autem Stephanus, & nos videbimus, cum eò aſcendemus.

Implet omnia, inquit: ſed non corpore; (Nunquam enim hoc promiſit) verùm donis ſui Spiritus. Sed quid multis? Tu ipſe negas vbiquitatem abſolutam.

Dextra Dei, inquit, non eſt locus certus: ſed tamen ad eam ſedetur in loco certo. Explicat nobis, quid ſignificet ſedere ad dextram Dei, idem ſcilicet eſſe, ac ſummum obtinere imperium. Hoc pædagogi Neoſtadiani, niſi fallor, luculentius. Sic enim illi: Peracto ſacrificio & miniſterio ſuo in terris, profectus in cælum,

Sedere ad dextram Dei

ibi consedit ad dextram patris, exaltatus in regno & sacerdotio suo, quod iam administrat in humana natura, cælesti & diuina gloria refulgente, palàm in ea diuinitatis suæ virtutem exerens, in angelorum & hominum sanctorum conspectu, diuinam autoritatem & imperium in omnes creaturas sibi vsurpans, atque ita re ipsa se, qui in terris se gesserat, tanquam omnium seruum, verè esse Dominum gloriæ, filium Dei, cum patre suo verum & vnum Deum, qui patris nomine & voluntate seruat & gubernat omnia, præsertim verò Ecclesiam: Et per quem pater vniuersa sua opera perficit, ac propterea facultatibus etiam, & donis & gloria visibili naturæ humanæ, omnibus creaturis, tanquam caput membris, & rex suis subditis, ineffabiliter antecellit, & ab omnibus angelis & hominibus pari honore cum patre & Spiritu sancto colitur & adoratur. Hactenus Neostadiani. Iudicent iam viri boni, veritatis amantes, an contemtim de maiestate & exaltatione loquantur nostri: Iudicet ipse Selneccerus, & si quid vel omissum, vel perperam positum, addat & corrigat, μὴ πρὸς ὀργὴν, ἀλλὰ πρᾴως. λειδορεῖν δ᾽ οὐ πρέπει ἄνδρας θεολόγους, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας. Quodsi antiquum suum obtinere voluerit, sciat, melius institutos non admodum extimescere ψόφον τῶν ῥημάτων. Nam conuitia illos sine argumentis tam terrent, quàm veteranos λόφοι κώδωντ᾽ ἄνευ δορὸς, vt est apud Aeschylum.

Exaltatam esse ait naturam humanam ad thronum maiestatis diuinæ. Sed hic thronus Dei cælum est, Ies. 6. Ergo cogeris in sessione ad dextram complecti locum, in quo Deus gloriam suam palàm ostendit, etiamsi plura & maiora quoque comprehendantur.

Addit, filium Dei Deum & hominem vnica considentia manifestari, sed huius, mi Nicolaë, plures sunt partes: quæ tamen vnam considentiam efficiunt, vnumq́ue honorem & vnum officium, sicut duæ naturæ vnam efficiunt personam.

In

In prærogatiuis naturæ humanæ Christi, primam rectè ponit vnionem, cum qua eadem est totius plenitudinis diuinitatis inhabitatio: Itaque sexta cum prima coincidit. Secunda, tertia, quarta, quinta, vna est, pertinens ad dona. Nisi quod de Natiuitate ex clauso vtero asserit, quod è Scriptura probari non potest, & à multis veteribus negatur. Neque enim vteri apertio violabat virginitatem. In quinta fatetur, data Christo dona finita, cum alibi nihil aliud agat, nisi vt proprietates essentiales Dei, humanitati realiter communicatas esse probet. Ibidem dona non ad mensuram data, exponit, excellentissima, & tamen finita. Ergo illud (non ad mensuram) non significat immensitatem: sed vniuersitatem, & summum gradum donorum, seu perfectionem, cuius non est vlla proportio, ad perfectionem Deitatis, quæ est immensitas. Fol. 156.

Septima, videlicet communicatio idiomatum, etiam ad primam pertinet. Quæ autem sunt diuinæ naturæ propria, Christo homini, sed non Christi humanitati tribuuntur, & contrà, quæ sunt humanæ naturæ propria, tribuuntur Christo Deo, sed non ipsius Deitati. Atque has locutiones suprà in tractatu quinto huius septimæ recitationis, toto cælo disiungebat Selneccerus: Id quod velim Lectorem diligenter obseruare.

Octauam, inquit, ostendit cultus adorationis. Adoramus & honoramus Christum, secundum vtriusque naturæ propria, quæ retinet, & vult sibi tribui etiam in gloria. Vult enim talis adorari & coli qualis est, & qualem se docet esse suo verbo. Baptizamur etiam & in nomen & fidem Christi, & tamen non eadem de Deitate & humanitate nos credere oportet. Non enim baptizamur in vbiquitatem carnis, si baptizamur in Christum nobis consubstantialem carnem.

Nona, decima, decimatertia, & decimaquarta, sunt officium seu beneficia Christi, quæ per ipsum solum, credentibus in ipsum contingunt. Fol. 173.

In decima, post verba illa: μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, debebat addere, carne agente, quod suum est, & Verbo agente, quod Verbi est. Corrumpit enim abusu, vocem θεανδρικὴ. Non enim significat eandem, sed distinctam & coniunctam in vno opere, Deitatis & humanitatis operationem. Concurrit, inquit, vtraque natura ad vnum ἀποτέλεσμα: Rectè: sed non ad vnam operationem.

Vndecima ex magna parte est commentitia: quia sine omni testimonio Scripturæ glorificationis nomine venditatur. Quanquam de illis contendere, superuacaneum est Selneccero. Nam penetratio per lapidem sepulcri, per ianuas clausas, vbique præsentiam tam probat, quàm ambulatio super aquas. Potuit lapis Domino surgenti, vt ianua venienti, cedere, & ad suum locum redire (vt omittam hoc, non dici διὰ κεκλεισμένων, sed tantùm κεκλεισμένων.) Nam verum, finitum, ὁρατὸν, ἁπτὸν, corpus tùm fuisse nemo dubitat, qui Euangelicæ narrationi fidem habet. Neque enim intra ianuam delitescebat, cum stabat inter discipulos, neque in sepulcro iacebat, cùm Mariam alloquebatur. In pane autem, vel cum pane, quòd tale corpus, quale diximus, ore accipiatur, nulli credunt, qui Christo duplex corpus affingere nolunt. Supra nubes autem & cælos eleuationem, non video, quare inter prærogatiuas corporis Christi ponat, cum hæc etiam nobis sit futura communis, non minus quàm fuit Enocho, Eliæ, & sanctis, qui resurrexerunt cum Christo. Nam quòd Christus sua virtute ascendit, hoc ad Deitatem pertinet. Suprà in quinta, finita dona Christo tributa esse fatetur: Hîc in duodecima infinitam & omnipotentem gubernationem, post exaltationem accepisse humanitatem ait, id est, factam Deitatem. Sed prima prærogatiua, ipsius Selnecceri testimonio, omnium maxima hoc non efficit, vnde igitur duodecimæ tanta vis?

In decima tertia, inquit, filium Dei ostensurum suam maiestatem reformatoribus suis: ijs scilicet, qui ex HOC EST, faciunt IN HOC EST. Et ex illo: Ego sum vobiscum, faciunt, caro mea est vobiscum.

Omnes

Omnes autem hæ prærogatiuæ carnis Christi continentur quatuor capitibus: vnione cum λόγῳ: excellentia donorum: officio mediatoris: & honore capitis. In his nullum locum habet vbiquitas carnis.

Subiungit quæstionem: An idiomata diuinæ naturæ realiter communicentur humanæ assumtæ in incarnatione, vel primùm in plenaria glorificatione? Nos respondemus vno verbo; In neutra. Quia non fuit caro simul infirma & omnipotens, & glorificatio non est Deificatio. Selneccerum autem mala conscientia non patitur diserta oratione & plena vti, ac dicere, fueritne caro Christi inde à conceptione vbique substantialiter? Si enim dicat fuisse, delet vna litura totam secundam partem Symboli, & infinita loca Scripturæ, quæ reclamant, recto & pleno cursu ad Marcionem properans: Imò aduersatur sibi ipse dicenti, nondum actu fuisse absolutam gloriam carnis. Sin dicat non fuisse: relinquitur, ad vnionem hypostaticam nō requiri vbiquitatem carnis: Item, in prima cœna corpus non fuisse in pane: Item, neque deinceps fuisse, quia nunquam vsquam hæc vbiquitas patefacta est neque dicto neq; facto vllo Christi, aut Scripturæ sacræ. Fol. 138.

Quærit etiam, an omnia Idiomata communicentur; & concludit suo more: omnia quæ Dei τοῦ λόγου sunt, sine confusione & exæquatione, ac physica transfusione, communicantur humanæ naturæ, id est, vt Selnecceriano more loquar, communicantur & non communicantur. Quæris quo modo? Est, inquit planè, ἄρρητος, &, vt Paulus loquitur, ἀπόκρυφος. Verè ἄρρητος; quia verbis explicari nequit, quo pacto contradicentia simul consistere possint: Verè etiam ἀπόκρυφος, quia in sacris literis nusquam exprimitur, nisi fortè Paulina aliqua ἀπόκρυφα in bibliotheca Selnecceri asseruentur, ex ijs fortasse depromta est & diuisio illa, de qua paulò pòst. Fol. 139.

Sed quo nodo Protea hunc aliquis teneat? Probat omnia idiomata diuinæ naturæ communicari humanæ, dicto illo: omnis plenitudo Deitatis inhabitat in hac assumta carne per vnionem personalem: quasi vnionem siue inhabitationem Deitatis sequeretur realis idiomatum cōmmunicatio: Atque simili, quod adducit, de anima, ipse refellitur. Si diceret, Christo homini diuinæ naturæ nomina, proprietates & operationes omnes communicari realissimè, nobiscum & cum Ecclesia sentiret. Etenim personæ, quia realiter vtramque naturam in sua substantia complectitur, realiter & verissimè competit, quicquid siue vtriusque, siue alterutrius est naturæ, propter naturarum vnionem: At naturæ vni nequaquam est commune, quod alterius est proprium, propter naturarum essentiale atque æternum discrimen, vt Neostadiani loquuntur.

Omnia quæ sunt τοῦ λόγου, inquit, quicquid est λόγος, habet & potest, non alibi nisi in hac ara & arca, idest, in assumta natura quærendum est. Hæc verba sunt caute accipienda: Si enim intelligatur, nihil esse λόγου, quod non sit hominis, propter vnionem; rectè dicitur. Sin verò, nusquam esse λόγον, nisi in corpore cui vnitus est, malè. Vide Admonit. pag. 34. & 36. dicta Iust. Credo λόγον &c. Athanasij: λόγος non est &c. Eustathij: Corpus quidem &c.

Etiam ea, inquit, quæ sunt ἀσυγκοινώνητα, & ad extra non prodeunt, communicantur ratione inhabitationis: quæ autem prodeunt ad extra, etiam ratione effectionis per carnem. An ergo creatorem mundi esse, non prodit ad extra? Et tamen non sequitur: Homo iste est creator mundi, Ergo humanitas est creatrix mundi. Sic homo iste est ab æterno, omnia prouidet, omnes saluandos eligit & nouit, Ergo & eius caro &c. Contemplare tuas auriculas: contemplare tui iugulationem tuo gladio. Non soluitur persona, si homo, non autem caro sit ex patre genita: Ergo etiam non soluitur, si homo, non autem caro sit omnipotens.

Quàm

Quàm enim illud personæ, tam hoc essentiæ diuinæ proprium est.

Ad idiomata ἐνεργείας, vt Selneccerus loquitur, quod attinet; Negamus Christum agere omnia per carnem: Quia Christus regenerat nos, non carne & oßibus, non manibus aut pedibus, sed Spiritu suo &c. Hic, inquit, conciliatione opus est dictorum: Nullum idioma humanæ naturæ communicatur: Omnia idiomata communicantur. Hæ enunciationes aduersæ, vel vt vulgò loquuntur, contrariæ sunt, quæ sic repugnant, vt, quod vna de toto genere dicit, id de eodẽ neget altera: ac vera esse simul nõ possunt: falsæ esse possunt, si ex accidente afferantur. Selneccero vtraque vera est, qui fortaßis nouã Logicã, vt Schmidelinus nouã Grammaticam, nobis proponet. Sed Logicã illam tum admittemus, cum falsitatis conuicerit Selneccerus NaZianZenum ita loquentem: δύο ἐναντίους λόγους περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἀληθεῖς εἶναι, φύσιν οὐκ ἔχει. Selneccerus igitur, si non mentiri volet, primam illam, nullum idioma communicatur, de naturis explicabit: Alteram, omnia idiomata communicantur, de persona: Atque ita facilè reducetur in viam, à qua multos iam annos aberrat.

Regulam: Proprietates non egrediuntur sua subiecta, à nouo suo magistro edoctus, insulsè & impudenter corrumpit, exponens eam de abolitione proprietatis in suo subiecto, & translatione in aliud, quod nemo in scholis voluit. Hoc enim vult regula: Proprietates non reperiri simul in alio subiecto, præterquam in proprio. Ergo idiomata Deitatis non competunt realiter humanitati. Breuiter: Nullum idioma Dei, neque personale, neque essentiale, realiter communicatur carni, id est, ita vt verè insit ac competat carni, & poßit prædicari de nomine carnis abstracto: etsi omnia prædicentur de concreto, id est, de persona. Selneccerus autem secundum nouam suam Theologiam, ita hæc partitur; vt quædam essentialia Dei idiomata nolit, quædam velit realiter communia esse carni. Sed quis credet ipsius decretis præter & Fol. 140.

contra verbum Dei tam audacter factis? Et quid hoc modo fiet vestro illi argumento: Omnipotentia realiter dicitur de homine: Ergo etiam de humanitate, ne soluatur persona? Cum hominem dico realiter mortalem: num etiam animam dico realiter mortalem?

Idiomatum divisio.

Ad diuisionem quod attinet ἰδιωμάτων, esse scilicet alia ἀσυγκοινώνητα, alia συγκοινωνητὰ, nullo negotio eum expediremus, si doceri se pateretur. ἀσυγκοινώνητα ἰδιώματα sunt omnes essentiales Dei proprietates, qualis est, æternitas, immensitas, infinitas, omnipotentia: Συγκοινωνητὰ possumus appellare eas, quarũ Deitas Archetypus est, similitudo autem & imago in hominibus, vt sapientia, potentia &c. quæ Deo & creaturis competunt, etiamsi maxima cum homonymia, sicut suprà est dictum. Hac ratione, credo, ferri possit illa diuisio, quæ si ad essentiales proprietates refertur, ita vt vbiquitati velificetur, planè vt blasphema reÿcienda. Essentialia enim Dei attributa sunt ipsa Dei essentia. Hanc autem realiter vlli rei creatæ communicari, vt de ea παρωνύμως possit prædicari, quæ piæ, immò quæ sanæ aures ferant? Atque de immensitate, qua de imprimis inter nos contentio est, esse illam ἀσυγκοινώνητον, disertis verbis testatur Epiphanius: Πάντη γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, καὶ ἐν ἡμῖν ὑπάρχει πνευματικῶς, ἐὰν αὐτοῦ ἄξιοι γενώμεθα, οὗ τινος τόπου περικλείοντος αὐτὸν (υἱὸν) καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. τῇ δὲ δυνάμει τῆς αὐτοῦ θεότητος (nota, οὐ σαρκὸς inquit) ἐν ἅπασι τυγχάνων ἐστὶ, καὶ ἀμιγὴς πάντων ἐστὶ διὰ τὴν αὐτοῦ ἀσυγκοινώνητόν τε καὶ ἀσύγκριτον οὐσίαν, καὶ ἀκραιφνῆ, καὶ ἀκατάληπτον θεότητα. Hæc Epiphanius, cui astipulatur Selneccerus, qui imprudens suam vbiquitatem euertit. Si enim immensitas, quæ idem quod significat incircumscriptio, vbiquitas, omnipræsentia, est incommunicabilis; Ergo: sicut non sequitur, Homo iste est ab æterno genitus à patre, Ergo etiam caro istius hominis: sic non sequitur; Homo iste est incircumscriptus, omnipræsens; Ergo caro est omnipræsens. Quid videtur tibi lector? An ne nunc

quidem

quidem debent gratiam Selneccero Neustadiani? Quin redis in Misniam Schmideline? Et ne quid dubitationis relinquat, incommunicabilia attributa Deitatis, ait actu quasi secundo describi & intelligi non posse. Ergo substantia carnis non est in cantharo Marbachij, neque etiam in poculo, vel pane cœnæ. Vbi hic Schmideline actus tuus secundus vbiquitatis? Vide autem, quomodo non tantùm cum suis collegis, sed etiam secum consentiat, in paucis lineis. Infinitatem, immensitatem dixit esse incommunicabilem, & non habentem actum secundum ad extra. Mox subdit; attributa Dei, quæ ἐνεργείᾳ *ad extra constant, esse communicabilia. Et in his vult etiam esse omnipræsentiam Deitatis nusquam extra corpus Christi existentis, id est, omnipræsentiam, seu infinitatem, seu incircumscriptionem corporis. Et sanè omnibus sua substantia adesse, est actus ad extra. Miseret me tui, Selneccere, qui sic teipsum iugulas, & tam infeliciter sequeris vestigia fratris tui Sueuici. Reijcis toties à te vbiquitatem absolutam. Quid monstri est autem vbiquitas restricta? Idem certè, quod vniuersalitas particularis, id est, contradictio in adiecto. Vis retinere præsentiam corporis in multis locis simul, quæ sine præsentia in omnibus consistere non potest. Deniq; inculcas perpetuò illud vestrum, In, cum, per carnem* λόγος *vbique agit omnia, & nusquam extra carnem existit. Si autem* λόγος *absolutè est vbique, & nusquam est extra carnem, quomodo potest non etiam caro cum* λόγῳ *esse absolutè vbique? Parce tandem tibi & tuis fratribus: Cogita, nostrósne an teipsum conficias. Diuina omnipotentia, inquit, per naturam humanam suas operationes exerit. Hoc nos negamus, quia, si infinitas non communicatur carni, neque omnipotentia communicatur: Idem enim hæc sunt in essentia diuina. At cui omnipotentia ipsa realiter non communicatur, huic etiam non communicantur actiones omnipotentiæ propriæ.*

Rectè iudicantes, inquit, facilè in his acquiescunt. Qui scilicet clausis oculis corporis & mentis, auscultant Selneccero, ipsius iudicio, rectè iudicant.

Nihil est, inquit, quod λόγος incommunicatum prætermiserit: adde, homini. Sed diuerso modo, inquit, quo scilicet vobis placet discernere & decernere vestris principij petitionibus perpetuis.

Talibus fundamentis iactis, superstruit Selneccerus in octaua recitatione vbiquitatem suam restrictam. Nam absolutam, desperans de eius defensione, iterum hic à se remouet, Non opus, dicens, esse multorum de hac tantis clamoribus. Atqui non opus erat vobis nouo eius commento, augere schismata Ecclesiarum & doctrinæ corruptelas. Postquã verò vos eam nobis produxistis, necesse habent non tantùm vociferari, sed etiam pugnare aduersus eam, omnes pij, qui veritatem intelligunt, quantum quisque suo loco potest. Nam quòd vbiquitatem absolutam falsò sibi & suis fratribus obijci queritur, id nobis tacentibus, refutant omnes libri vbiquitarij, Brentij, Schmidelini, Marbachij, &c. & ipse liber Bergensis. Iniurius igitur est cùm in alios, tum in Dominum Sturmium, cui laudem sapientiæ politicæ tribuit, vt Theologiæ cognitionem adimat. Ea est enim arrogantia istorum patrum, vt non solùm Grammaticos & scholarum magistros, verùm etiam aliorum ordinum homines prudentes & literatos in rebus diuinis omnes præ se fatuos, fungos, bardos esse dictitent, vt ita soli quasi pontifices emineant, ac ius sanciendi in Ecclesia, & abrogandi quiduis, sine cuiusquam refragatione audacissimè vsurpent. Sturmium queritur scribere, latere in formula Concordiæ, abominandam illam hæresin de vbiquitate corporis Christi &c. Hoc dicit esse calumniam Diabolicam: Negat latere in formula vbiquitatem absolutam, eámque vocat portentum Diabolicum. Quid respondeas neganti diem esse, lucente sole, sereno cælo in meridie? Si præter vertiginem, etiam

Octaua Recitatio.

oculorum caligine laboras, sume specilla, quæ sunt in Admonitione Germanica, in quarta assertione falsa libri Concordiæ, à pagina 449. vsque ad 453. & vide, an possis alicubi deprehendere in formula absolutam vbiquitatem. Ecquid te pudet intueri librum Bergensem? qua fronte aspiceres iam fratrem tuum Sueuicum, damnatis ipsius & Brentij, & Parsimonij, & Marbachij, & multorum aliorum scriptis, tanquam portentis Diabolicis? Considera realem vestram communionem idiomatum, & reliqua argumenta, quibus præsentiam corporis in pluribus locis propugnatis, absolutam ne an restrictam vbiquitatem efficiant. Essentialis Dei vbiquitas, quam communicatis carni, an non est absoluta, hoc est, non in aliquibus tantùm, sed in omnibus locis? Valde autem lepidè argutatur in παρωδίᾳ Græci versus, & senectutem Sturmio obijciens, & puluerem scholasticum. Sed veteranorum virtus in prælijs tyrunculorum ferociæ præfertur: & apud Homerum, οὐκ ἐκ τῶν νέων, ἀλλὰ τοῦ γέροντος γλώττης ἀπορρεῖ τὸ μέλι. Lege illius de hac controuersia scripta, & addes ex eodem poëta, οἵῳ ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει. Pulueris scholastici Sturmium non pœnitet: ac Selneccerum monitum volo, vt ad senem illum Ludimagistrum cautiùs accedat, ne excusso illo pallio, tenerrimos D. Superintendentis oculos lædat, non sordibus scholasticis, sed splendori aulico assuetos.

Absolutam vbiquitatem, quam Satanicum figmentum nominat, non definit, non exprimit, cui nam vbiquitati opponat: nisi quòd ipsum hoc nomen indicat, eam restrictæ alicui opponi oportere: sed quæ iam vbiquitas vel omnipræsentia non nisi per Catachresin appellari poterit. Erit enim præsentia in multis quidem, sed in omnibus rebus aut locis. Hanc neque essentialem, neque acquisitam dicit esse corpori Christi. Ergo nec realiter ei competet. Quicquid enim realiter alicui competit, necesse est vel essentiale esse, vel accidentale, vtcunque se torqueant Selneccerus & omnes Sophistæ. Fol. 142.

Negat carnem esse vbique absoluta vbiquitate, tanquam proprietate: At neque tanquam accidente aliquo est vbique: Idque vel Selneccero teste, qui ne quidem acquisitam, habitualem, formalem, subiectiuam ait carni esse omnipræsentiam.

Non fingimus, inquit, molem infinitam. Tergiuersaris Nicolaë. Non quæritur de mole: quæritur de existentia substantiali in omnibus rebus & locis: Deus etiam non est moles, & tamen substantia sua est vbique. Sic etiam nihil agis, negans extensionem, expansionem, diductionem, repletionem physicam de corpore. Nam etiam de Deo nihil istorum cogitant sani, quem fatentur cælum & terram implere. Quæritur iam, an sit credendum de carne.

Repudiata, hoc modo, vbiquitati absoluta, suam sententiam substituit; Christũ posse carne sua vbicunq;, quandocunq; quomodocunq; vult, esse vel vbiq;, vel in pluribus locis, vel in diuersis locis. Hîc verò quàm aptè respondeat ad quæstionẽ, alij viderint. Quæritur, An caro Christi vbiq; sit? Respõdet ipse, posse eam esse vbique; Idq; non sua proprietate, sed proprietate λόγου. Dato igitur, quòd esse poßit, nondum erimus hæretici, non credentes quòd sit vbique, donec etiam hoc probetur. A posse enim ad esse non valet consequentia. Sed ne id credamus, vel antilogia Selnecceri nos absterret, qua sententiam suam fulcire nititur. Si enim caro non est vbique semper, sed esse potest, quoties ei collibitum est, non sua proprietate, sed Deitatis: Euidenter sequitur esse proprietatem Deitatis, posse semper vbique esse, & non semper vbiq; esse: quo quid est absurdius? Non enim potest essentia diuina ex infinita fieri finita, multò minus simul esse vtrumq;. Repugnant igitur hæc duo: Proprietate Deitatis posse vbique esse, Et, posse non semper vbiq; esse. Confirmat hoc Selneccerus, cum fatetur, ad omnem plenitudinem Deitatis pertinere omnipræsentiam. Hæc autem præsentia est absoluta & immutabilis.

Deitatem fatetur solam replere & implere omnia essentialiter. Cur igitur toties de substantia corporis allegas illud: Ascendit vt impleret omnia? Quâ de re tot annos pugnatur, nisi de hac: An substantia carnis & ossium Christi simul & semel existat in omnibus aut pluribus locis?

Ad omnipotentiam Dei quod attinet, non negamus ei nihil esse impossibile, quod scilicet contradictionem non implicat, hoc est, quod cum natura eius non pugnat. Sic igitur omnipotentia Dei celebranda est, ne prætextu celebrationis, afficiatur contumelia. Potest enim Deus efficere omnia quæ vult, aut quæ velle potest; ac nihil vult, quod non efficiat: Non autem vult omnia, quæ tamen velle posset, salua maiestate & natura sua: Ideò multa etiam non facit, quæ tamen facere posset. Hinc iam apparet, multa esse simpliciter impossibilia, quæ tamen verè dicitur Deus posse facere, si vellet. Nihil enim asseuerat conditionalis propositio, nisi asseuerata conditione. Mentitur ergo de nobis, Selneccerus, mentitur, qui dicit, nos hanc propositionem negare, si vellet Christus, posset vbique esse suo corpore. Quin aliud tibi dicam; posset Deus mori, si vellet: posset Deus peccare, si vellet, & tamen simpliciter & absolutè est impossibile Deum mori aut peccare. Vnde hoc? Quia neque vult, neque velle potest, mori aut peccare. Eodem modò si vellet, posset facere, vt corpus sit vbique. Et tamen hoc fieri simpliciter est impossibile: quia Christus hoc neque vult, neque velle potest: Neque enim vult, neque velle potest contradictoria: Neq; vult, neque velle potest mentiri, & more sophistarum, eodem flatu spirare calidum & frigidum, sed in ipso næ est næ, & non est non. Impossibile est, Deũ velle aliquid infinitum creare, hoc est, alium præter se solũ, facere Deum: repugnat enim quàm maximè Deitati, quidquã ei esse, vel fieri posse æquale. Quàm necessariò enim Deus est, tam necessariò vnus est. Neq; corporea igitur, neq; incorporea essentia creata potest fieri omnipræsens, siue infinita. Corpus autem suis essentialibus pro-

Omnipotentia Dei

prietatibus exuere eum posse non negauerimus, sed fieri hoc posse iisdem simul manentibus, aut manente natura corporis, hoc verò pernegamus, atque ideò negamus, ne veritatem Dei cum ipsius omnipotentia committamus, id est, Deum secum ipsum pugnare asseramus. Quemadmodum ergo blasphemi non sumus, cum negamus Deum mentiri posse: Sic nulla eundem afficimus contumelia, cum dicimus, fieri nullo modo posse, ut corpus finitum, simul ubique, vel in diuersis, aut pluribus locis sit (sunt enim hæc ἀντιστρέφοντα & æquipollentia) & finitum ac circumscriptum corpus maneat, id est, simul sit corpus, & non sit corpus. Quemadmodum enim Deus perfectum atq; integrum hominem, absque ratione efficere non potest: Sic neque corpus humanum absque suis finibus. Cui adimitur definitio, eidem etiam definitum. Si Deus homini animam rationalem adimat, non iam homo ille erit, aut propriè vocabitur, sed alia quædam natura: Sic etiam quod locis diuersis, vel ubique sit, non iam corpus, sed alia essentia sit & nominetur, necesse est. Atq; hæc cum immutabili veritate Dei congruunt, quam omnipotentia confirmat, non euertit, de qua omnipotentia castè & cautè Theologi loqui debebant, neq; illam ad sua somnia, sed ad Dei voluntatem & naturam, in verbo eius expressam, reuocare: Πάντα, inquit Theodoretus, ὅσα βούλεται, δύναται. βούλεται δὲ τῇ οἰκείᾳ φύσει πρόσφορά τε καὶ πρέποντα: Omnipræsentia verò, quocunq; tandẽ modo illa cogitetur aut fingatur, quàm sit veritati humanæ, quæ est τοῦ λόγου iam propria, πρόσφορος καὶ πρέπουσα, indicent fideles, vel potius uniuersus mundus. Quia autem de omnipotentia verba facimus, nequeo, quin asscribam id quod apud eundem Theodoretum, cuius modo mentionem feci, legitur: quod si blasphemum est, Selneccerus ipsum prius, quàm nos reos agat: sic autem Eranistes & Orthodoxus inter se colloquuntur.

Er. Nihil non effici potest à Deo omnipotente.

Orth. Ergo etiam peccare potest, ut tu quidem determinas.

Er. Ne-

ER. *Nequaquam.*

ORTH. *Quapropter?*

ER. *Quia non vult.*

ORTH. *Qua de caussa non vult?*

ER. *Quia peccare alienum est naturæ ipsius: Hoc ipsum pluribus exemplis illustratur, & tandem ita concluditur: Omnia hæc sunt impoßibilia.*

ORTH. *Multa autem & alia huiusmodi inuenimus, similiter impoßibilia. Neque enim æternum temporarium erit, neque increatum creatum & factitium, neq; finitum erit, quod infinitum est, & quæcunq; sunt horum similia.*

ER. *Nihil horum est poßibile.*

ORTH. *Multa igitur inuenimus, quæ sunt impoßibilia omnipotenti Deo.*

ER. *Verum est.*

ORTH. *Sed horum impoßibilitas, infinitæ potentiæ, non infirmitatis argumentum est; poßibilitas autem impotentiam, non potentiam argueret.*

Hæc Theodoretus: quæ vsurpata à nostris, tanta verborum atrocitate exagitantur, vt plebecula rudis, clamoribus tribunitijs inflammata, non solùm odio, sed etiam extremo supplicio Sacramentarios dignos esse statuat, quasi Deum cælo deturbare conentur, aut omnipotentiam eius labefactare.

Sed videat Lector constantiam huius Doctoris. Hîc disertis verbis dicit, omnipræsentiam in Christo etiam ratione ἐνεργείας *habitare: suprà verò sub finem septimæ recitationis, expreßè dixit, immensitatem intra ipsam essentiam diuinam manere, neque actu secundo, id est,* ἐνεργείᾳ *se ad extra proferre, hoc est, carnem propter Deitatis vnitæ omnipræsentiam non magis posse realiter omnipræsentem dici, quàm æternam & spiritualem, propter Deitatis æternitatem & spiritualitatem. An hoc non est Deum & homines ludificari?*

Potest, inquit, vbicunque vult, Christus carne sua adesse, vel vbique vel in pluribus locis. Hic duæ vbiquitates concurrunt, Iacobandreana & Selnecceriana: Sed neutra consistit. Neque enim vbique, neq; in pluribus locis sua carne simul esse vult: quandoquidem contrarium in verbo suo testatus est. Ac ne potest quidem velle contradictoria. Cum ergo semper Christi corpus sit finitum, circumscriptum & locale, nunquam in æternum fiet infinitum, omnipræsens, incircumscriptum & illocale. Hactenus compleuistis mundum his clamoribus: vbique esse corpus Christi necessariò; Alioqui diuelli Christum, non esse omnipotentem, non collocatum ad dexteram Dei: Hîc verò tanquam ῥιψάσπιδες confugitis ad voluntatem, qua esse aut non esse vbique possit, pro lubitu, non autem necessariò sit. Sed voluntatem vnde probatis? ex verbis, nempe Hoc est corpus meum. Apage cum istis coccysmis, & probationibus circularibus.

Non malè, inquit, argumentantur multi; cum nusquam non sit Deus incarnatus, ideò necesse esse, vt vbicunque est diuinitas Christi, ibi etiam sit humanitas, ne vnio disiungatur. Isti non malè argumentantur Selneccero: Sed malè Augustino, dicenti: Non est consequens, vt, quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus: Ac pueri in pædagogijs nostris, ad quæstionem hanc, An verò isto pacto duæ naturæ in Christo non diuelluntur, si non sit humana natura, vbicunq; est diuina? Ad hanc, inquam, responderent expeditè: Minimè: Nam cum diuinitas comprehendi non queat, & omni loco præsens sit, necessariò consequitur, esse eam quidem extra humanam naturam, quam assumsit, sed nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter vnitam manere: hoc est, sic argumentante Selneccero: Naturæ, quarum vna est alicubi, vbi non est altera, sunt separatæ: secundum nostros, diuina natura alicubi est, vbi non est humana: Ergo sunt separatæ: Negant maiorem intellectam de naturis, quarum altera est infinita, ac proinde eadē est & tota intra & extra naturam finitam.

nitam. Selneccerus autem more suo, rem explicat, id est, ἀντιλογίαις inuoluit. Scimus, inquit, vnionem esse factam, inconfusis proprietatibus naturarum: Sed tamen & hoc scimus, posse illum cum carne præsentem esse omni loco, multis locis. Ἀσύστατα sunt hæc: Naturas & proprietates non confundi: & vtramque naturam esse omnipræsentem. Circumscriptio carnis non soluit personam, propter immensitatem Deitatis: Et existentia in eodem loco, vnionem naturarum non efficit, si nexus hypostaticus non accedat. Sed hoc illi iam tritum est. Illud autem valde miror, Selneccerũ adeò leuiter ac citò sui obliuisci, vt in duodecim lineis tam apertè sibi contradicat. Paulò antè inculcauit, Christum posse suo corpore esse in omnibus, vel pluribus, vel vno loco pro suo arbitratu, & vbiquitatẽ absolutam nominauit figmentum Satanicum: Subitò illos probat, qui contendunt, necessariò humanitatem esse, vbicunque est diuinitas (hoc est, absolutè vbique) ne vnio disiungatur, & Christus alicubi sit tantùm Deus, & non etiam homo. Anticyram nauiga Selneccere; grauius quàm vertigine laboras. Corpus loco certo est: Eique diuinitas vnita manet, vbicunque existit, siue in corpore, siue extra corpus. Ac per consequens, filius vbique est homo. Nec desinit homo ista inculcare, vt videatur studio voluisse funditus euertere caussam, quam agendam suscepit.

Potest, inquit, præsens esse Christus cum sua carne omni loco, multis locis, vno loco. Cur non addis etiam nullo loco? Siquidem Deus tibi non est omnipotens, nisi posit facere, quicquid tibi visum est. Certè Augustinus ait, Corpus illocale esse nusquam, ac proinde non tantùm non corpus, sed ne aliquid quidem esse.

Pro beneplacito vult corpore Christum esse omni vel aliquo loco: Et tamen eum diuidi contendit, si corpus non adsit, vbicunq; est diuinitas. Quis ergo non videt, secundum Selneccerum, posse Christum pro beneplacito esse integrum vel diuisum, hominem vel non hominem, id est, Christum vel non Christum: Fol. 144.

aut vnum vel duos Christos: Atq; sic etiam facere, & facturum se promisisse. O tempora, ô Theologos.

Haud scio, an suboluerit hîc Selneccero caussæ suæ infirmitas: conatur enim abducere ab eius intuitu & consideratione attentiori lectorem, intelligentia & defensione omnipræsentiæ corporis, in alteram vitam reiecta. Prædicat esse thesaurum ἀποκρυφον, de quo in hac vita nihil extra verbum loqui possumus, aut debemus. Cur igitur tam multa de eo concionantur & scribunt in hac vita, & Selneccerus hîc de eo tot paginas compleuit? Nam in Scriptura sacra verbum nullum reperimus, vnde effodi hic thesaurus possit. Vt tamen vulgi oculos præstinguat, coacervat Scripturæ dicta de Christi diuinitate & exaltatione, atq; omnia ad humanæ naturæ Deificationem transfert; cuius essentiales proprietates, quando vnio non aboleuit, nulla alia deinceps sublimitas aut maiestas vel exaltatio abolebit vnquam. Vtinam didicisset Selneccerus, quod discrimen esset inter vnionem hypostaticam, communicationem idiomatum, & ipsam exaltationē, sic neque se neque alios implicaret. Scholasticorum diligentia hac in parte laudanda, qui accuratè, triplicem in Christo gratiam discriminarunt, vt suprà breuiter ostendimus.

Sed audiamus axiomata, seu fundamenta, ex quibus omnipræsentiam suam restrictam exstruit Selneccerus.

1. Gloria, ad quam caro Christi euecta est, nulli loco est alligata. Considera quæso, mecum, lector, analysin argumenti Selnecceriani. Cuius gloria non est alligata loco, id est omnipræsens: Corporis Christi gloria non est alligata loco: Ergo corpus est omnipræsens. Quid est gloriam non esse alligatam loco? Nouam enim istud genus hominum & propriam habet, & quotidiè auget linguam, quam nemo præter ipsos, imò fortè ne ipsi quidem intelligunt, sicut solent nouæ res nouum sermonem parere. Sed diuinemus. Non alligatum loco est, quod vbiq; est; sic Deus non est alligatus vlli loco. Item, quod semper quidem vno aliquo loco est,

Ubiquitas [handwritten margin note]

est, sic tamen, vt eum, quandocunque libet, deserere, & in alium transire possit. Vtrouis modo intelligas maiorem, erit falsa. Nam corpus Christi vbicunque est, manet vnitum Deitati, nec propterea est, vbicunq; Deitas est, & in quocunque loco est, potest habere & manifestare suam gloriam; Etsi neq; gloria illa creata, neque corpus gloriosum vbique sit, sed liberè sit quouis tempore, quo loco vult Christus: Etiam ipsum corpus, quod gloria sua semper comitatur, non est alligatum seu affixum vni loco, vt in eo semper maneat, sed vbicunque existat, potest quandocunque & quocunque vult, se conferre. Hoc autem nihil ad omnipræsentiam.

2. Dextera Dei est infinita. Concedimus: Sed non statim infinitum, quidquid ad illam sedet.

3. Omnia sunt tradita filio: sed diuersimodè, secundum diuersas naturas, & omnia sunt pedibus eius subiecta: sed inde non sequitur, pedes eius esse vbique: alio enim loco caput, alio pedes sunt.

4. Nomen super omne nomen datum est Christo. Sed vbiquitas carnis non continetur in eo nomine.

5. Quicquid beneficiorum confert in genus humanum Christus, id confert per vtramq; naturam. Si omnia per Deitatem facta sunt, quæ per humanitatem, sic erit etiam Deitas mortua, quo quid magis blasphemum fingi potest? Cur oportuit eum esse Deum & hominem, si per vtramuis naturam poterat fieri, quod per alteram?

6. Secundum vtramque naturam, inquit, inuocatur. Sed sine confusione naturarum: sicut ab homine petitur actio animæ & corporis, sine eorum confusione. Si quis te rogaret, vt lepidum aliquod Epigramma (nam in hoc genere facilè etiam Italis præstas) componeres; Non credo postulatum iri à te, vt pedibus vel naribus componeres: Et tamen nec ab anima nec à corpore Selnecceri, sed à Selneccero peteretur.

7. Christus, inquit, omnipotente sua manu gubernat omnia: sed non manu carnea, non ossea: Verùm illa, quæ fecit cælum & terram. Sine vicarijs ipse est omnibus præsens; sed non substantia aut loco corporis.

8. Christus Deus & homo habet infinitam potentiam, scilicet secundum Deitatem. Et nihil eum in minimo latet. Hoc autem nihil ad vbiquitatem. Neq; est eadem omniscientia creati & increati intellectus, vt alibi declaratum est, & Selneccerus suprà de naturalibus proprietatibus humanitatis confessus est.

Fol. 145. 9. Christus, ait Selneccerus, secundum naturam humanam potest esse ratione vnionis vbique. Vnio non destruit naturas: Destrueret autem naturam humanam, si faceret eam omnipræsentem. Iterum hic tecum pugnas, carnem omnipræsentem faciens, salua eius circumscriptione, & quæ possit esse, vel non esse vbique, cum prius dixeris eam necessariò esse vbiq;.

Modum faciendi carnem simul finitam & infinitam, ait Deo facilem & cognitum esse. Imò repugnat ipsius verbo, veritati & naturæ. Non igitur tam facilè Deo est, quàm tibi, idem affirmare & negare, ac rem eandem simul nigram & candidam facere.

10. Christus in his terris etiam præsentia sua naturæ humanæ nobis præsens est. Præsens autem est ipse suo corpore in cælo existens, nobis in terra existentibus, per Spiritum sanctum, quo nos sibi coniungit. Se autē velle carne sua in pane existere, vel ad panem, nunquam expresso verbo promisit. Præsens est nobis carne sua, secundum verbum, suum videlicet, Ego vitis, vos palmites. In hoc cognoscimus, quòd ipse in nobis, & nos in ipso sumus, quia de Spiritu suo dat nobis: sumus membra eius, ex carne & ossibus eius.

11. Non carnis, sed Verbi propria potentia, caro Verbi nobiscum est. Imò neq; sua neq; Verbi potentia caro existit in omnibus, aut pluribus locis: quia Verbum potentia sua glorificat carnem suam, sed non abolet.

Quid

Quid iam his axiomatibus obtinuit Selneccerus? Suámne an nostram caussam constabiliuit? Et tamen quasi hoc exercitu vicerit, prolixè sibi canit ἐπινίκια.

His, inquit, absoluta carnis vbiquitas non statuitur. At neq; restricta vbiquitas confirmatur.

Tantùm, inquit, omnipotentia Christi asseritur, & veritas verborum eius. Vtrumque falsò & impiè prætenditis. Nam vbiquitas carnis & omnipotentiæ & veritati diuinæ repugnat. Veritas enim affirmat, corpus esse perpetuò locale. Hanc veritatem Dei euertere, non esset omnipotentiæ, sed ἀδυναμίας. Miserè autem hic torquet se, &, quod dicitur, lupum auribus tenet. Neque enim, quo modo amittat à se vbiquitatem, inuenit, neq; vti retineat, scit. Repudiat vbiquitatis vocabulum: dubitanter vsurpat omnipræsentiam: quasi multum sit positum in vocabulis, si de re conueniat, aut omnipræsentia de carne verius dicatur, quàm vbiquitas, vel immensitas, vel infinitas, vel incircumscriptio, vel illocalitas, vel quodcunq; nomen, idem quod hæc significans. Vitare conatur inuidiosum nomen vbiquitatis: Sed in vicinitate versatur. Eiusdem enim est, & in omnibus & in multis locis esse. Et quod est discrimen, propter quod magis gratiosum sit nomen omnipræsentiæ carnis, quàm vbiquitatis, nisi, quia illud à Brentio excogitatum est.

Addit, Christum sua carne esse posse, vbi vult esse secundum verbum. At secundum verbum vult esse in cælo; Et nunc in cælis potentia eius diuina lucet in carne. Hic interrumpenda series, & venia à Christiano lectore & à vobis, optimarum artiū studiosi, crebræ eorundem ad nauseam propemodum inculcationi petenda. Constitueram ego breui ἀναλύσει ἀντιλογιῶν ipsius refutationem comprehendere: sed quia metuebam, ne ipse ad imperitiores gloriaretur, multa à nostris fuisse præterita, quæ refutari non potuissent: igitur malui cum ipso ἀειλογεῖν, quàm occasionem aliquam deceptionis simpliciorum præbere. Si quis eo ipso

offendetur, cum Selneccero expostulet, non nobiscum, qui per ambages fugientem sequi cogimur.

Fol. 146. Ad erroris sui confirmationem, repetit suos κοκκυσμοὺς, de quibus suprà responsum est satis. Neque enim illa, quæ recenset ὑπερφυσικὰ, naturam destruxerunt, multò minus contradictionem implicarunt, vt monstra ista, quæ vos fingitis; Mansit enim corpus nihilominus ἁπλοῦν καὶ ὁρατὸν, καὶ πεπερασμένον, quas proprietates essentiales, fictitia illa, siue in pane, siue vbique præsentia inuisibilis & illocalis prorsus tollit. Ostendat, si potest, vel vnum Scripturæ locum, in quo indicetur, Christi corpus simul & semel vel ante vel post resurrectionem in pluribus locis fuisse. Ostendat & aureus esto, cum suo aureo volumine. Non ex physicis regulis, sed ex Scriptura probet, Christi corpus & in sepulcro simul fuisse, & alibi, apud Lazarum in Bethania, & Hierosolymis in templo, vno & eodem momento. Vbiquitatem probet ex Scriptura. Nam de ianuis clausis, quod obiicitur, nec probat quidquam, nec probari potest, vt alibi ostensum est. Et de vtero clauso multi ex veteribus contrarium scripsere: hæsit autem in Papatu altera opinio, refutatu, quàm probatu facilior, & superstitioni magis, quàm pietati seruiens. Sin probare non potest, desinat nobis physicas regulas & Philosophiam obiicere. Non physicis regulis, sed suæ veritati Christum alligatum esse, dicimus: Non gloriam & omnipotentiam Christi, sed vestra commenta & idola debellamus, quibus Christum afficitis contumelia: Non de potentia, sed de verbo Dei, & Christianæ doctrinæ fundamentis, aduersus stultitiam & futilitatem pugnamus. Pœnas publicas minatur Germaniæ non nostra veritatis confessio & assertio, sed Selnecceri & complicum eius confidentia, venter & superbia, qui Ecclesiæ Christi, pro verbo Dei sua figmenta conantur obtrudere, simul tribuentes naturæ humanæ ea, quæ Deitatis propria sunt, quæ angelorum, & quæ corporum humanorum. Si enim natura humana in cælo est circumscriptiuè, & alicubi definitiuè,

definitiuè, & vbiq; repletiuè, Non iam vna, sed triplex est essentia, cum tres essendi modi etiam triplicem essentiam constituant necessariò. Ex hoc labyrintho, in quem à Logodædalo suo inductus est, non Lutheri & Scholasticorum filo, sed Scripturæ sese explicet, oportet, aut à Minotauro deuorabitur. De expansione litem ei non mouemus, sed de omnipræsentia carnis, secundum modum Deitatis proprium. Hanc probet Selneccerus, & deinde nos in barathrum præcipitet. Patronus harum absurditatum alijs vult frenum inijcere, ne altius euolent: Cum ille ipse ita abripiatur pennis non homini datis, vt neque in cælo neque in terra videatur velle consistere.

Nihil, inquit, de arboribus, ramis, cantharis, lapidibus, lignis, bestijs dicitur, aut fœdis locis, quibus caro Christi insit. Abeant hæ blasphemiæ ac calumniæ, nec imputetur Ecclesijs & in his rectè docentibus, quod fortassis Epicurei euomuerunt. Hæc Selneccerus nunquam scripsisset, nisi prius Schmidelinum Misnia expulisset: iam liberè (quo consilio nescio) debacchatur in eos, quorum doctrinam defendit. Si enim caro Christi omnipræsens, cur ligna & lapides excipiantur, non video: cùm plura sint, quæ excipi debeant, quàm quæ hîc enumerantur. Deprehenditur hîc euidens argumentum in vobis malæ conscientiæ, ex locorum immundorum exceptione. Nos dicimus absque omni metu cum Scriptura, Deum esse vbique, nec horremus fateri, ipsum esse cum Ieremia in cloaca, cum Iona in ventre ceti, cum Dauide in fouea leonum: Imò etiam in ipso inferno eum adesse, non horret fateri Dauid. Multò minus enim inficitur aut inquinatur Deus præsentia rerum immundarum, quàm Solis radius in cœnum incidens. Videtur autem Selneccero idem accidere, quod olim Senatui Romano: vt enim hic Cæsaris morte lætabatur quidem, acta tamen eius, propter veteranorum minas, & maiorum tumultuum metu, necessariò tuebatur: Sic Selneccerus, etsi dimissione Schmidelini gaudet, nomen tamen constantiæ tuendi Fol. 147.

caussa vel etiam aliqua periculi formidine, vbiquitatis se strenuum patronum præstat. Nam quòd crebrò oggannit, se absolutam vbiquitatem non agnoscere, agnoscit tamen aliam quamcunque, absoluta illa non multò meliorem, ac fortaßis deformiorem, cùm eam ne nominare quidem audeat. Epicurei autem vomitus per iracundiam ei videntur excidisse. An enim Selneccero Vvirtembergici & Argentinenses Theologi Epicurei sunt? An Brentius, Parsimonius blasphemi? Si aliorum rationem nullam duceres, at haberes saltem aliquam tui fraterculi Schmidelini, à quo plura didicisti, quàm à Philippo, & omnibus alijs.

Dicit, filium Dei assumsisse corpus non propter cantharos, arbores, sed propter homines. Neque etiam assumsit proter panem & propter impios, sed propter fideles, vt eos sibi membra faceret ac coniungeret, non descendendo in buccas & ventres, sed per fidem & Spiritum suum illos corpori suo inserendo.

Est nobiscum Christus Deus & frater noster vbicunque sumus; Sed non corpus eius adest in igne, spelunca, carcere, mari; Sed in throno maiestatis suæ degit in cælo; & tamen manet caput nostrum, etiam quando membra eius repunt in cloaca mundi huius impurißimi. Hanc piorum fidem & summam consolationem destruit vbiquitas carnis. Secundum hanc enim non est frater, non vitis nostra, non caput nostrum, non caro nostra, quia hanc non habet, concessa vbiquitate.

Nec tamen, inquit, localitas propria humani corporis negatur. Quid dicis Nicolaë? Quàm certò Deo illocali non potest tribui localitas: tàm certò corpori locali non potest tribui illocalitas. Quorsum igitur hæ præstigiæ; salua localitate suo loco, afferi maiestatem non localem, sed diuinam, quæ nimirum est ipsa Deitas? Hoc enim dicitur, Corpus simul esse in loco, & non esse in loco, id est, vbiq; Hoc est, idem esse & non esse; id quod cum omni sana Theologia & Philosophia pugnat. Suo loco ipsi salua est localitas corporis: Quo autem loco manet locale, quod loco nullo

nullo comprehenditur? Sed istud, suo loco, Selneccero est, cum localitas non opponitur omnipræsentiæ, & orali manducationi corporis: Sin ostendatur ei cum his non conuenire, cedere eam suo loco oportet vbiquitati. Neque pudet ipsum adducere ad probationem, dictum illud; Ego ero vobiscum vsque ad consummationem seculi. Qua enim fronte legit illud Philippi; Hæ propositiones intelligantur communicatione idiomatum: non reali, sed illa, quam definit in examine Theologico, quam Selneccerus nominat per contemtum scholasticam: qua item fronte illud Vigilij: Nam vide miraculum, vide vtriusque proprietatis mysterium, Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis, secundum diuinitatem suam, ait nobis, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Si nobiscum est, quomodo ait, venient dies, quando desideretis filium hominis, & non videbitis. Sed & nobiscum est, & non est nobiscum, quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit, neque deseruit diuinitate sua. O miseros Theologos, qui filium Dei à se abesse putant, nisi carnem eius è cælo in terram deuocent, imò intra os recipiant.

Dictum Pauli, Ascendit vt impleret omnia, & ipse Apostolus in eodem loco exponit de plenitudine donorum, quæ effudit Christus in Ecclesiam, & ipse Selneccerus & in his recitationibus, & alibi, sæpè etiam in intimationibus publicis, explicauit de impletione promissionum, quod eòdem redit: Iam, in gratiam credo fraterculi, non obscurè ad carnis omnipræsentiam refert. Sed vocabulum, Omnia, non ad loca, sed ad membra Ecclesiæ referri, ostendit contextus, & collatio Dauidis, quem ibi Paulus interpretatur.

Theophylacti & Oecumenij sententiam peruertit. Non enim omnia locorum indiuidua, sed omnia genera, id est, inferna, terrena & cælestia, Christum etiam carne sua impleuisse, id est, adijsse & occupasse volunt, vt ostenderet, se omnium illorum Fol. 148.

esse Dominum. Hæc sententia, ut contextui Paulino non satis facit, ita Selnecceri omnipræsentiæ prorsus non patrocinatur. Non enim carnem in omnibus locis simul esse, sed alia post alia adiisse significat.

Reliqua quæ assuit de omnipotentia, æquè falsa ac superiora. Non magis enim natura humana, propter unionem facta est omnipotens, quàm omnipræsens.

Dicit, omnipotentiam, omnipræsentiam, viuificationem non egredi suum subiectum. Non ergo possunt dici de natura humana in abstracto. Dicit, nunquam fieri ἰδιώματα humanæ naturæ. At nunquam etiam fiunt eius accidentia. Miserrimus est autem hîc Selneccerus, dum omnipræsentiam solius Deitatis propriam esse cogitur fateri, & tamen realiter communem humanitati facit: dum eam admittit non absolutè, non nudè, non sine necessaria & dextra explicatione & declaratione, sine qua non satis institutos, atque etiam pios offendat. Si talis est, cur igitur propter eam cælum terræ miscetis? Sed videamus, quàm dextra explicatione Selneccerus morbidæ ubiquitati medicinam faciat. Proprietate naturæ, inquit, sola diuinitas est omnipotens. Sed quæso Nicolaë, nomina mihi aliquam naturam, quæ sit accidente omnipotens. Omnipotentia est ipsa Deitatis essentia, quæ nullius alterius rei neque essentia, neque proprium, neq; accidens est. Vt igitur humana natura non est omnipotens proprietate sua, sic neq; accidente suo.

Addit, carnem Christi esse participem omnipotentiæ, ratione inhabitationis, & ἐνεργείας: fuisse participē eius, in statu exinanitionis, potentia, in statu autem glorificationis, etiam actu plenario. Hîc primùm isto glossemate non tuetur omnipræsentiam. Nam suprà in Recitatione septima dixit, immensitatem & infinitatem tantùm unione & οἰκειώσει, non autem ἐνεργείᾳ & actu communicari humanitati. Secundò, nec omnipræsentia, nec omnipotentia diuina humanitati realiter competit, ut de

ipsa

ipsa prædicari possit, neque in humilitatis, neque in gloriæ statu, neque potentia, neque actu, neque plenariè, neq; non plenariè: sed inde à conceptu in æternum, propter vnionem cum carne, æquè, perfectè, & realiter competit homini, & de eo verè prædicatur. Semper enim in eo habitauit omnis plenitudo Deitatis corporaliter, non demum post glorificationem, vt hîc impiè fingit Selneccerus. Cum ergo in humilitate hæc inhabitatio Deitatis non fecerit carnem omnipotentem & omnipræsentem, non sequitur eam hoc fecisse in glorificatione. Toto igitur cælo errat, cum ait; hac ratione dici & esse carnem, vt viuificam & adorandam, ita & omnipotentem. Nam viuificatio officij nomen est; adoratio honoris totius personæ: At omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, sunt proprietates naturæ diuinæ. Sic non omninò rectè paulò pòst subiungit: Qua ratione caro est viuifica & adoranda: eadem etiam est omnipotens: viuificationis enim & adorationis aliquis modus, & aliquæ partes sunt, carni competentes: Omnipotentia verò solius Deitatis est. Ideò non sequitur: caro est particeps viuificationis & adorationis: Ergo est particeps etiam omnipotentiæ. In persona enim viuificantis, non autem in carne viuificantis requiritur omnipotentia. Et tamen etiam caro viuificat eo viuificationis modo, qui omnipotentiam, & quæ similia sunt, non requirit. Sic Deitas redemtionis est particeps, sed non passionis, quæ ad redemtionem requirebatur. Hæc breuis declaratio, omnia dicta de officio & honore Christi hominis, à corruptelis vbiquitarijs vindicat. Eandem verò pulticulam variè coquit & recoquit: Quocunque tamen modo condita, semper est insipida. Idem est enim, quod ait, ratione vnionis, carnem esse omnipotentem. Nam vnio carnis cum natura omnipotente, omnipræsente &c. non facit carnem omnipotentem, omnipræsentem &c: Sicut vnio Deitatis cum carne, non facit carnem Deum. Item, esse omnipotentem κατ᾽ ἄλλο. At caro neque κατ᾽ ἄλλο, neque καθ᾽ αὑτὸ est omnipotens. Sed Fol.149.

homo, si libeat sic loqui, κατ' ἄλλο, id est, non secundum quod homo, sed secundum Deitatem suam est omnipotens: Item, esse organum in quo λόγος (adde; sed non inclusus) cum quo (adde; sed propria, non eadem operante) & per quod exerit opera suæ omnipotentiæ: Hoc tertium addit falsò, quia omnipotentiæ operationes propriæ fiunt voluntate quidem, sed non vi executrice carnis.

Caro, inquit, à Verbo nunquam separatur. Atqui non separatur, etsi non sit vbique. λόγος enim semper in ea manet.

Fulmen sibi in nos proiecisse videtur, cum ait; Aut totus Christus, secundum vtramque naturam viuificus & adorandus, aut totus Christianismus mera fabula est. Nos verò totum viuificum & adorandum agnoscimus. Sed seruatis discriminibus proprietatum & operationum in naturis. Hoc enim nisi fiat, totus Christianismus in ludibrium Marcionicum conuertitur, id quod Satan per te & tuos gregales molitur. Modestius ergo Selneccerus: Non corruet Christianismus, etsi tua vbiquitate, & vestris Idolis non fulciatur. Tu autem hæc temerariè effundens, ignorare aut non cogitare videris, quæ caussa fuerit τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου. Non certè ideò assumsit filius Dei humanam naturam, vt illa adoraretur honore Deitatis proprio, aut omnipotens fieret. Erat enim λόγος ante ἐνσάρκωσιν adorabilis vt Deus & omnipotens. Sed vt iustitiæ Dei satisfieret, & eadem natura humana, quæ peccarat, ipsa pro peccato penderet, ac λόγος in massam suæ naturæ assumtæ effusa dona sui Spiritus, nobis communicaret: Huc pertinet Epiphanij illud: Ἠγνόησαν, ὅτι οὐ διὰ προσθήκην θεότητος γέγονε σὰρξ ὁ λόγος, ἀλλ' ἵνα ἡ σὰρξ ἀναστῇ, οὐδ' ἵνα βελτιωθῇ ὁ λόγος προσῆλθεν ἐκ Μαρίας, ἀλλ' ἵνα τὸ ἀνθρώπινον γένος λυτρώσηται.

Caussa incarnati λόγου

Ex Damasceno ait, Humanam voluntatem esse omnipoten-

tentem. Est; sicut Damascenus intelligit, videlicet, non realiter communicata sibi omnipotentia seu virtute efficiendi omnia, quæ Deus potest & efficit, sed voluntate diuina efficiente, quicquid vult etiam humana voluntas Christi. Sic humanus intellectus Christi omniscius dicitur, quia potest scire, quocumque tempore, quicquid vult. Sed de his non est inter nos quæstio. Audi Damascenum libr. 3. cap. 14. Dominus ingressus in domum, voluit nullum se cognoscere; Et non potuit latere. Si diuina eius voluntas omnipotens voluit latere, quomodo non potuit? Ergo secundum quod homo, voluit & non potuit.

De Cyrilli Sententia satis dictum est suprà. Caro cum Verbo coniuncta, tota est effecta viuifica, scilicet suo viuificandi modo: Et totam Verbi operationem suscepit: Scilicet, vnione, Non reali communione idiomatum. Propter vnionem enim fit, vt nemo possit carnem hanc edere, & eius esse κοινωνὸς, quin operationis Verbi fiat particeps, hoc est, virtute Verbi in carne habitantis viuificetur: Sicut non ferrum, sed calor in ferro vrit eum, qui tangit ferrum.

Disputationem de vbiquitate ita conclusit, vt rursus pro Fol. 150.
nobis contra se & suos manipulares scribat. Nam si caro sic est particeps omnipotentiæ, vt Deitatis (vt sine dubio se res habet) Ergo caro tam non est omnipotens & omnipræsens, quàm non est Deus.

Affert autem perquàm argutam diuisionem. Nihil nouimus, inquit, in Christo, quod non sit vel per se omnipotens, & essentialiter, vel quod non sit ratione οἰκειώσεως καὶ ἐνεργείας omnipotentiæ particeps. Secundum membrum huius diuisionis fingit Selneccerus: pro eo quod dicere debebat, quod non sit personaliter vnitum omnipotentiæ, seu naturæ omnipotenti: Non autem omnipotens. Nam natura humana neutro istorum modorum est Deus, propter inhabitantem in ea, & cum

ea, & per eam operantem Deitatem: Ita neque omnipotens, propter habitantem & operantem in ea & per eam omnipotentiam, omniscientiam &c.

Triplex consideratio seu modus considerationis humanitatis Christi, Selneccero est, quod Schmidelino triplex modus, quo corpus Christi existat alicubi: Naturalis, gloriosus, & maiestalis: Naturam humanam, & gloriam cælestem ac diuinam in Christo agnoscimus: Vnionem item carnis cum Deitate, id est, Deitatem non carnis, sed hominis, ac proinde huius siue hominis siue carnis prærogatiuas, donorum, officij & honoris. Maiestatem ergo carnis Christi, vt Schmidelinus, & vnionem cum Deitate hypostaticam, vt Selneccerus loquitur, agnoscimus & confitemur, ex verbo Dei. Quod autem isti fraudulenter occultant, & obtrudunt his nominibus, nempe realem suam communionem idiomatum, omnipræsentiam, omniscientiam, omnipotentiam, hoc est, Deitatem carnis, tanquam verbo Dei repugnantem, repudiamus & negamus. Hic enim tertius modus existentiæ, vel considerationis carnis, quem illi confinxerunt, priores duos euertit, hoc est, carnem deificat, & vnionem veram naturarum distinctarum dissoluit; exæquationem pro vnione substituens re ipsa, vtcunque hoc verbis procul à se remoueant. Hoc autem euadet clarius, si definitionem Bergensem & Selneccerianam tertij modi, obseruemus, videlicet, quo λόγος omnes suas actiones, quæ vires creatas & finitas excedunt, id est, quæ Deitatis propriæ sunt, In, cum carne, & per eam exerceat. Fraudem, quam tegunt istis locutionibus speciosis, non omnes intelligunt. Duæ priores formæ, quòd λόγος in & cum carne, omnia diuina opera per carnem suam efficiat, si rectè intelligantur, veræ sunt: Is autē sensus, quo illi his abutuntur, falsus est. Agit omnia λόγος incarnatus, in carne, id est, vnitus carni, & in ea personaliter habitans. Non autem agit sic in carne, vt tantùm in carne, & non simul etiam extra carnem existat: quo modo ipsi hanc

loquutio-

loquutionem exponunt perperam. Nec propterea sequitur diuulsio naturarum. Idem enim λόγος, qui extra, etiam intra carnem existit: ac proinde ille λόγος, qui in carne sua est, & non alius, omnia diuina opera efficit. Idem etiam operatur omnia sua opera diuina cum carne sua, sic vt ipse quæ Deitatis propria sunt, per se ipsum efficiat, caro autem, quæ carni conueniunt, simul agat: Atque ita diuersis & distinctis operationibus idem atque vnum opus perficiatur. Cum carne sua, id est, carne simul agente, iudicabit mundum, suscitabit mortuos; sed non eædem erunt partes λόγου & carnis in iudicando & suscitando. Non Deitas, sed caro, apparebit in nubibus, descendet de cælo, habebit alios ad dextram, alios ad sinistram, rursus in cælum ascendet, euocabit mortuos, & pronunciabit sententiam externa voce &c. non humanitas autem, sed Deitas, recolliget corpora mortuorum, rursus vniet ea cum suis singula animabus, scrutabitur arcana cordium, immutabit viuentes in momento, exsequetur sua virtute sententiam de electis & reprobis latam &c. Et tamen hæc omnia Deus & homo faciet. Λόγον igitur cum carne agere, est vtramque naturam coniunctim agere, sed vnamquamque, quod suum est, etiam in illis, quæ vnius naturæ propria sunt. Nam vt Deitas & sua & humanitatis opera vult fieri, sic humanitas & sua & Deitatis opera propria vult fieri: vult Christus opera sua, vtraque sua natura, etiam quæ non per vtramque exsequitur. Ipsi verò confundentes naturarum operationes cum operibus siue officiis personæ, easdem in illis partes & actiones vtrique naturæ attribuunt: quod erroneum est.

In tertia loquutione vitium est manifestius. Nam Deus quidem omnia sua opera exsequitur per hunc hominem, id est, per filium suum incarnatum; sed nō per assumtam à Filio carnē. Ciet quidem ac regit λόγος singulari ratione omnes motus & actiones naturæ suæ humanæ, & per eam, multa diuina & ad- Fol. 151.

miranda opera efficit, sed quæ vim carnis omnipotentem non requirunt, multò minus omnipræsentiam & infinitatem essentiæ. Quæ autem virtutem omnipotentem & omnipræsentem requirunt, ea non per animam, non per carnem & ossa, sed per se ipsum efficit. Intuetur omnia vno intuitu, quæ sunt, fuerunt & erunt, scrutatur corda, exaudit & iuuat omnes vbique inuocantes, omnes creaturas sustentat & moderatur, non carne sua, sed verbo suo potenti, hoc est, voluntate & virtute diuina. Propterea Damascenus officia personæ vocat actiones θεανδρικὰς, quæ geminam & distinctam actionem naturarum in vno opere complectuntur. lib. 3. cap. 9. Atque hanc operationem λόγου per carnem tanquam per organum, dum faciunt definitionem vnionis hypostaticæ, non minus soluunt personam, quàm antea, cum eam definirent per realem communionem idiomatum. Repugnant autem hæc figmenta non tantùm Scripturæ, quæ docet, λόγον sic agere omnia in & cum sua carne, vt caro maneat vno loco, ipse ex illa carne omnia vbique sua opera perficiat; sed etiam Confessioni Selnecceri, qui vbiquitatem absolutam nominat portentum Diabolicum. λόγος enim vbique est absolutè. Si ergo nusquam extra corpus suum est, omnia gubernat, omnibus præsens est per carnem; quis non videt & corpus esse vbique absolutè, etiam in arboribus, ramis, folijs, cantharis, lignis, & bestijs & rebus immundis, cum hæc omnia præsens essentialiter diuinitas sustentet ac regat: Et Selneccerum ista inficiantem imponere incautis? Hinc ergo patet, quàm duras conditiones pacis nobis ferat Selneccerus, si videlicet credamus & concedamus, λόγον exercere omnia opera & actiones suæ omnipotentiæ, virtute propria diuinæ naturæ, non carnis; Sed tamen non sine carne & extra carnem, verùm in carne & per carnem suam, quæ est Dei verbi & vitæ propria. Hic si non deprauaret Selneccerus ea, quæ rectè dicuntur, & operationem λόγου per carnem non face-

faceret vniuersalem; sanè controuersia ista facilè componeretur. Christum omnia sua opera diuina, per humanam naturam, tanquam per instrumentum efficere, negamus. Non enim exaudit omnes, seruat omnes, dat Spiritum sanctum, sua humanitate: Solius hæc Deitatis propria sunt: Ideoq; homini Christo conueniunt, non quà homo, sed quatenus Deus est. Neq; humanitas seipsa excitauit à morte, sed excitata est à Deitate. Intereà operatur multa per humanitatem, quæ pertinent ad officium Mediatoris (quod nequaquam requirit omnipotentiam vel omnipræsentiam naturæ humanæ) id est, quæ veritatem naturæ humanæ non destruunt & tollunt. Quascunque autem λόγος operationes exercet post incarnationem, In & cum natura sua humana exercet; Hoc est, naturæ humanæ vnitus, & habitans in ea personaliter, & ea simul cooperante quod suum est. Audit Selneccerus, quid nostri sentiant, si erroris eos conuincere potest, reuocet eos in viam: Sin minus, cur vt hæreticos damnat? Non ergo per nos, sed per ipsum stat, quò minus tollantur scandala.

Et nisi, inquit, hoc fiat, vt Christus scilicet omnibus etiam carne sua præsens sit, ex plenitudine eius nihil nisi creata & physica dona & bona, & finita officia & beneficia accipiemus. Quæ hæc est Theologia? quæ παράδοξα noua, falsa, absurda, impia & blasphema? Quod monstrorum Chaos? Negat nos creata dona accipere. Quid igitur in nobis est, quod non creatum sit & finitum? An præter vnum Deum, siue Spiritum Dei in nobis habitantem, possumus accipere aliquod donum increatum? Num vita æterna est donum physicum? Suprà fassus est, in Christum collata esse dona creata & finita, iam in hominibus per Christum redemptis, increata & infinita requirit. A Schvvencfeldio, credo, hanc Theologiam hausit, cui fides & aliæ virtutes sanctorum non sunt creaturæ, sed increatæ diuinitatis guttulæ.

Fol. 152.

Fol. 124.

Nam virtutes sanctorum hominum, pietas, castitas, modestia, veritas, patientia, mansuetudo, humanitas, & aliæ à Spiritu sancto excitatæ, fuerúntne antè, quàm illi ipsi, in quibus sunt, existerent? Annon creata & finitæ ipsæ animæ? Quis igitur dona omnia, quibus ornantur à Deo, creata & finita esse neget? An plenitudo Christi nihil nobis prodest, nisi ex ea hauriamus dona non creata & infinita? An non omnes habebunt dona Spiritus sancti ad certam mensuram, præter Christum, qui solus habet omnia & summa? In quam naturā cadit τὸ ἄκτιστον καὶ τὸ ἄπειρον? An ergo etiam dona angelorum & hominum beatorum sunt immensa seu infinita gradu, aut numero? Erimúsne omnipotentes, omniscij, omnipræsentes? Nondum satis portentorum. Addit: Sic in carne Christi nihil nobis de diuina potentia erit reliquum. An nihil de Deitate, ô Selneccere, reliquum est in carne Christi, & vnio hypostatica figmentum erit, propterea, quòd caro non est Deus, propterea quòd non est vbiq;? Quòd non est simul finita & infinita, circumscripta & incircumscripta? Vide, quò te præcipitet pertinax falsitatis patrocinium, & cæcus in contradicentes impetus. Verè miser est, qui hæc credit, miserior, qui docet, miserrimus, qui impudenter defendit.

Si tantùm finita, inquit, & creata dona habet caro Christi, Miserrima conditio nostra est. Certè esset miserrima. Sed æquè misera, si omnipræsens, omnipotens, hoc est, in Deitatem transmutata esset: Habet caro Christi præter dona, quæ Selneccerus fatetur esse creata & finita, etiam vnitam sibi Deitatem increatam & infinitam, vt prædicari de ipsa possit in concreto, id est, de homine; sed non realiter communicatam, vt de ipsa prædicetur in abstracto.

Vsitatum autem est Selneccero, à persona transilire ad naturā. Euangelista ait, ex plenitudine eius omnes accepimus. Selneccerus verò, ex plenitudine carnis. Atqui de plenitudine diuinitatis & plenitudine donorum in Christo, nō autem de omnipræsentia &

tia & omnipotentia carnis hæc accipiẽda esse, & res ipsa docet, & omnes interpretes probati agnoscunt, atq; idem hic dici fatentur, quod Colos. 2. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Nam ex Deitate, tanquam ex fonte per carnem veluti canalem deriuatur & transfunditur in nos, quicquid habemus donorum, carnis merito & Deitatis virtute Christus nos iustificat & seruat. O beatos, qui sic credimus, ô damnatos & miseros, qui his contradicunt.

Debemus, inquit, à Christo accipere vitam æternam & infinita dona & bona. Nescio hoc sophisma ipse ne finxerit, an alicundè suffuratus sit, quo confundit infinitum gradu seu intensione, & infinitum duratione. Vita æterna est illustris cognitio Dei, lætitia in Deo, & omni ex parte perfecta beatitudo & gloria: quæ in infinitum durabit, sed tamen, quia bonum creatum in nobis erit, non infinita erit intensione seu gradu, qualis est lætitia, sapientia, potentia, &c. increata in Deo, quæ est ipsa Deitatis essentia. Ad Pædagogos igitur cum hoc Superintendente.

Si, inquit, sacramentaria somnia alicuius momenti esse debent, concidit vniuersus Christianismus. Si scilicet, Selneccere, cultus Antechristi est Christianismus, & fulcrum huius est vbiquitas. At his ipsis, religionis Christianæ fundamenta labefactari, tot iam annos à nostris demonstratum est. Hi sunt tui arietes, hæ balistæ, quibus veritatem oppugnatis, mendacia nempè & calumniæ, earumq; exaggerationes Tragicæ, quibus Magistratuum & populi animos fascinatis, & à veritatis inquisitione absterretis: quibus artibus cum videatis locum non fore in legitima & libera synodo, idcirco eam tantopere refugitis & impeditis. Sed hos vestros crepitus non exhorrescit veritas. Quod de absoluto Deo attexit, noua ex lingua Selnecceri phrasis est, sicut absoluta vbiquitas, & id genus multa. Verissimum esse, quod dicitur, mutato genere sermonis, insidiæ struuntur, in istis

hominibus apparet, qui cum nouis rebus, nouum sermonem quotidie gignunt.

Nos Mediatorem vnicum habemus & prædicamus, inter Deum & homines, verum Deum & verum hominem, Iesum Christum Deum laudandum super omnia, natum ex muliere. Et pueri nostrorum in scholis interrogati: Qualis nobis quærendus Mediator seu liberator? Respondent: Qui verus quidem homo sit, ac perfectè iustus, & tamen omnibus Creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus. Sibi ergo habeat Selneccerus Deum suum absolutum, & maledicat sanè, si non aliter vult, donec eum cessare Deus cogat. Nos ipsius anathemata non maioris facimus, quàm Romanensia.

Fol. 153. Tandem recenset & anathematizat veteres hæreses de persona Christi: Cuius consilij non aliam rationem video, nisi quia sperat, neminem vnquam suspicaturum, Selneccerum earum hæreseon reum, aut illis affinem esse, quas ipse tanta seueritate condemnet. Sed rebus hîc, Selneccere, non verbis tantùm opus est.

Valentinianos, Marcionitas, Manichæos primo loco ponit, qui, vt est apud Basilium, dixerunt, cæleste corpus habentem Dominum aduenisse. Atque, vt de Marcione Theodoretus, Christum visum fuisse hominem esse, cum nihil humanum haberet, & visum fuisse pati, cùm tamen nequaquam pateretur. Cum Marcione igitur, qui sentire nolunt, eos optarim etiã atque etiam considerare, quam vim hæc verba habeant: Verum Christi corpus, naturale illud ipsum corpus, quod in cruce pepẽdit, vnà cum vel sub vel in pane ore comedi. Vt enim Valentini castra effugiãt, videndum tamen illis, ne in Marcionis hybernis reperiantur. Verbis damnat, re ipsa verò absoluit Marcionem Theologia vbiquitaria. Monotheletarum, Nestorianorum, Eutychianorum hæresi qui affines sint, si quis scire volet, non tantùm alios, Augustanæ Confessionis socios, sed etiam Pontificios interroget, qui non contra Sacramentarios, sed contra Iacobum Andreæ, dudum

dum ita scripserunt: Etenim vt manifestè conuicimus, hic Theologus (formulæ Concordiæ author) in Christo cum Monotheletis proprietates confundit, cum Eutychete naturas in vna essentia coniungit, cum Nestorio personas distinguit ac separat, cum Sabellio Patripassiano, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, in persona vnit, totamq́; , vt sic dicamus, incarnat trinitatem. Nec potest hic author, vt omnium harum hæresium notam euadat, ad illud perfugium se recipere, quòd initio dixerit, se duas naturas personaliter in Christo vnitas agnoscere, cùm postea illud ipsum suo modo interpretetur, & damnatis illorum hæresiarcharũ opinionibus apertè suffragetur. Neq; enim satis est, vt Ephesina Synodus testatur, fidem voce duntaxat cõfiteri, nisi rectè quoq; eam interpreteris. Hæc illi Schmidlino, quæ etiã sibi Selneccerus dicta putet, ac certò sibi persuadeat, per realem cõmunicationẽ idiomatum, vnã etiam naturam effici, ac nõ procul abesse à Nestorianis eos, qui in locũ veræ vnionis hypostaticæ, substituunt realẽ communicationem idiomatũ, & hanc faciunt differentiam specificã, quiq; idiomatum cõmunionem in concreto, qua Deo humana, & homini diuina tribuuntur, obscurant, mutantes subiecti concreti nomẽ in abstractum, nomen personæ in nomẽ naturæ: atq; ita tribuunt vtriq; naturæ, quæ tribui debebant personæ, & alteri naturæ tantũ. Eutychianos sanè nolim à te positos. Ita enim vos illis similes, vt non ouum ouo, neq; lac lacti similius sit.

In hoc hæreticorum Catalogo non conspiciuntur Sacramentarij, vt ipsius Selnecceri testimonio, nihil loci his inter illos esse videatur. Neq; enim verisimile est, obliuione illos esse præteritos, cùm neq; scholæ ipsius, neq; cõciones, neq; priuatæ congreßiones, sine insectatione Caluinistarũ vel incoentur vel claudãtur. Quòd autem Patrum Bergensium aduersus illas hæreses, protestationes factis & dogmatibus eorum contrariæ sint, ac proinde ad ipsos purgandos minimè sufficiant, vel ex his Selnecceri recitationibus facilè est videre, nedum ex Bergensi Formula & alijs ipso-

rum libris. Idem iudicandum est de iracunda vbiquitatis, etiam in inferno, in cantharis cereuisiariis &c. repulsione, cui dicit, A-
Fol. 154. page Satana: Dominus te confundat. Parcere & sibi & suis socijs debuit Selneccerus in hac præfatione. Quid enim? Si non legit Brentij, Schmidlini, Marbachij & aliorum scripta de hac controuersia, qua conscientia illos approbauit in libro Concordiæ? Si legit, cur dißimulat se scire, quibus maledicat? Quo ore, qua fronte audet hæc simul defendere; Quòd λόγος nusquam sit extra carnem, omnia per carnem gubernet, omnibus per carnem præsens sit, hoc est, quòd caro existat, vbicunque existit λόγος, & quòd caro in aliquibus locis non existat? Adeóne omnes homines lapides & stipites esse existimas, vt hanc vestræ caussæ ruinam & deformitatem nemo videat?

Sequitur notatio de accusatione falsarum assertionum, quas Neostadiani in libro Concordiæ esse aiunt, vt quidem Selneccerus eas recenset, confundens assertiones cum probationibus, vt aliquid ad eas respondisse videatur.

Fol. 155. 1. Negat Selneccerus, in libro reperiri: quòd proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales, realiter vtrique sint communes. Nisi Selneccerus mihi notus esset, os hominis mirarer. Quid enim aliud liber iste vult, quid aliud recitationes Selnecceri continent, quàm confirmationem huius ipsius communicationis realis? Relegat D. Superintendens declarationem de cœna: relegat Affirm. 6. 10. 12. & Negat. 5. 6. 7. 12. 13. 15. de persona Christi, & earum declaratione. Quæ omnia si relegerit, non Neostadianorum mendacium, sed suam Selneccerus deprehendet temeritatem.

In libro ait ita scribi: Vnius naturæ proprietates essentiales nunquam alterius naturæ proprietates fiunt, sed communicantur ei, inquit liber, sicut calor, qui proprius est igni, communicatur ferro, cuius non est proprietas essentialis, sed tamen realis, vt verè & realiter sit & dicatur calidum, etsi calor igni sit essentialis,

essentialis, ferro accessorius & communicatus ab igne. Quod ergo toties ingeritur, proprietates diuinas nunquam fieri proprietates naturæ humanæ, præstigiæ & specilla colorata sunt, quæ opponuntur oculis hominum, ne animaduertant vestras fraudes. Quorsum isti lusus? Non fiunt proprietates carnis, sed tamen realiter carni communicantur. Ergo saltē accidentia eius fiunt: quod æquè est absurdum. Clamat, proprietates reales distinctas manere, & tamen realiter communicari. Sed contradicentia simul vera esse posse, omnes sani negant.

2. Negat Selneccerus, à se & ceteris Patribus Bergensibus deificari naturam humanam. Quærit, vbi hoc fiat. Respondemus: In reali communicatione idiomatum. Nam cui omnipotentia tribuitur, eidem etiam tribuitur Deitas; cùm idem sit omnipotentia, quod Deitas. Ad hæc quid Selneccerus? Omnipotentia, inquit, vt hactenus semper dictum est, manet essentialis proprietas diuinæ naturæ; habitat autem in assumta humana, & exerit sese in & cum & per eam sine confusione & exæquatione. Qualis enim est vnio, talis etiam est communicatio. Vnio autem non confundit naturas; Ergo neq; communicatio. Si Selneccerus ex animo & constanter ita sentiret, nō opus esset tot concertationibus. Quis enim ex nostris vnquam negauit, Omnipotentiā vel Deitatem habitare in Christo, id est, carnem sibi ὑποςατικῶς & σωματικῶς vnijsse, ac in & cum, & per carnem opera diuina exercere, sic tamen, vt vtraq; natura agat cum communione alterius, quod suum est? Sed D. Superintendens non soluit tamen argumentum Neostadianorum: Quidquid realiter est omnipotens, id realiter est Deus: ex fundamento, quod ille cogitur concedere: Deitas est idem, quod omnipotentia. Ergo quod realiter est omnipotens, realiter est Deus: sicut quod realiter est animal rationale, realiter est homo. Caro est realiter omnipotens. Ergo est realiter Deus, id quod falsum est, quamcunq; glossam adhibeat. Nam Deitas in carne habitans & eam extollens, facit quidem eam carnem Dei,

sed non carnem Deum: Carnem omnipotentis, sed non carnem omnipotentem. Et si qualis vnio, talis est communio: non caro, sed homo fit omnipotens, sicut non caro, sed homo fit Deus.

3. In similitudinibus animæ & corporis, ferri candentis, solis & lucis, quinq; ferè paginas consumit: inani labore, cùm simile non sit idem: ac proinde frustrà allegentur ista, ad mentem veterum scriptorum ostendendam, nisi rectè consideretur, quid per ea voluerint, non probare, sed aliquo modo adumbrare, &c.

Primùm à se remouere conatur naturarum confusionem: deinde obtinere, Patres similitudinibus istis docuisse realem communicationem.

Ait ergo, in reali vnione etiam fieri realem communicationem: Fit sanè in persona, sed non in naturis. Realiter enim vnita, non communicant sibi inuicem idiomata sua essentialia, nisi ad vnã naturam redigantur. Exemplum de Trinitate dissimilimũ est. Tres personæ vnius essentiæ & naturæ habent omnes realiter essentiales proprietates: nõ autem duæ naturæ siue essentiæ distinctæ vnius personæ.

Addit, vocem realiter vsurpari à se de reali distinctione naturarum & proprietatum, & de reali communicatione proprietatum. Sed realis communio tollit realem distinctionẽ proprietatum. Realis autem vnio & concursus naturarũ & proprietatum

Fol. 156. tum non tollit distinctionẽ. Hic inquit, ἄλλο καὶ ἄλλο locum habet, non autem ἄλλος καὶ ἄλλος. Cur igitur confundis hominem & humanitatem. Non est in Christo alius finitus, alius infinitus, sed vnus & idem finitus & infinitus; At contrà, aliud finitum, aliud infinitum est; non autem vnum & idem finitum & infinitum, locale & illocale, &c.

Post hæc ingreditur prolixam repetitionem similitudinũ sine probatione. Reijcit iterum τὸ πῶς in rebus diuinis, quod etiam nos reijcimus in ijs, quorum non τὸ διότι, attamen τὸ ὅτι certo Dei verbo expressum est. Sed vbiquitas & oralis manducatio non sunt ex-

expressa. Ergo non tantùm licet, sed etiam necesse est, de illis quæri, An & quare, & quomodo sint vera. Vbiquitatis mysterium etiam Apostolorum & angelorum mensuram ait transcendere. Non mirum: quia Apostoli habuerunt Spiritũ Christi: Vbiquitas autẽ est mysteriũ spiritus Selnecceri, hoc est, Spiritus vertiginis.

In similitudine animæ & corporis fatetur naturas & proprietates manere distinctas. Ergo proprietates vnius naturæ non realiter communes fiunt alteri.

In differentijs naturarum humanam naturam fatetur Fol. 157.
cœpisse esse; Item, esse creaturam, & substantiam corpoream. Est autem, etsi non caro, tamen homo iste æternus, creator, spiritualis. Ergo etiam homo est omnipotens & vbiq;, etiamsi caro non sit omnipotens & vbiq;.

Fatetur omnipotentiã esse idioma Deitatis essentiale: quia Deitas sit ipsa omnipotentia. Hinc sequitur, solam Deitatẽ esse omnipotentem, omnisciam & immensam. Nihil enim est omnipotens, nisi sit ipsa omnipotentia, id est, nisi omnipotentia sit de eius essentia. Ideoq; nihil est & verè dicitur omnipotens, nisi Deus, vel tres personæ diuinitatis, vel homo Christus. His enim essentialis est omnipotentia. Humanitas autem Christi non est omnipotens: quia omnipotentia neq; essentia, neq; accidens illius est.

Ad omnem potestatem donatam quod attinet, suprà responsum est. Differt enim ab omnipotentia. Illam habet natura humana donatam respectu officij personæ: hanc ratione vnionis, sicut Deitatem.

In quinto vtriusque naturæ discrimine dicit, humanam Fol. 158.
naturam omnia sibi data dona accepisse à Deitate, dominium, gloriam, maiestatem &c. Sed in his non sunt essentialia Dei idiomata. Hæc enim nulli creaturæ donantur. Hæc ergo vnita quidem sunt carni, sed non ita, vt in abstracto de ipsa prædicari possint: alioqui differret à Deo tantùm ratione principij, vt λόγος esset Deus ab æterno, humanitas autem in tempore factus Deus, à Deitate, seu per Deitatem æternam.

In Cyrilli dicto duplicem fraudem committit. Nam primò, homo accipit Dei propria, quæ humanitas non accipit; Atque hoc est, quod Cyrillus vult. Deinde etiam humanitas accipit vnione, quæ non accipit reali communicatione. Ideóque de persona humana, non de natura possunt verè dici. Eusebius etiam dicit, Verbum sua communicasse homini. Omnia quidem sua homini, sed non omnia sua carni, nisi quatenus natura carnis ferebat. Sic & de Augustini & Basilij dictis suprà.

In sexto ait, humanam naturam per se esse finitam & περίγραπτον. *Quid hoc sibi vult per se? Ex sua, credo, natura. At neque per aliud est, aut erit vnquam* ἀπερίγραπτος. *Vt ergo Deitas nunquam & nusquam est* περίγραπτος, *sic humanitas nunquam & nusquam est* ἀπερίγραπτος.

Postremò addit, humanam naturam euectam esse in summam sublimitatem & gloriam. Ergo non est euecta in omnia loca. Item, opponit eam Deitati ratione mutationis. Vt autem alijs mutationibus non est obnoxia, tamen motu locali non caret: Ex quo sequitur, eam non esse vbique. Id enim repugnat motui locali.

Hinc redit ad similitudinem, ac tertio collocationis membro priora duo rursus euertit, & in hominis natura comminiscens & in Christo, quæ Patres nunquam cogitarunt aut voluerunt. Non enim verum est, quod sumit, animam non indutam corpore omnes actiones exercere posse, quas exercet in corpore. Quomodo enim actiones vegetatiuæ facultatis efficiet sine corpore? Quomodo ambulabit sine pedibus, etiamsi de loco in locum transeat more Spirituum? Neque verum est, quòd existens in corpore, omnes suas actiones per corpus efficiat. Non enim intelligit & vult per corpus. Imò tum maximè intelliget, vbi corporis ergastulo liberata fuerit. Quis nescit, intellectum & voluntatem esse inorganicas potentias?

Quod

Quòd autem excipit, animam uti ministerio cerebri & sensuum ad intelligendum, puerile sophisma est. Non enim intelligit per ea, sed intuetur per se ipsam ideas rerum sensui impressas. Præterea anima est intelligens, incorporea seu Spiritualis essentia: corpus, brutum, sensile. Ergo non communicat ipsi anima omnes suas essentiales proprietates: & tamen verè dicuntur de homine, quæ vel animæ vel corporis propria sunt; Cùm interea propria animæ non de corpore, & propria corporis, non de anima dicantur. Denique actiones potentiarum reliquarum, præter rationalem, sunt essentiales potius toti composito, quàm animæ vel corpori: Atque in his ipsis, alia sunt animæ, alia corporis partes. Anima informans instrumentum, est tanquam caussa efficiens principalis; Corpus, illius subiectum, est tanquam caussa instrumentalis. Sic in officio Christi, quædam Deitatis, quædam humanitatis propriæ sunt operationes. Quod ergo dicit, Filius Dei opera suæ omnipotentiæ, in primis verò officia Messiæ, personaliter communia habet cum sua humana natura: id non est verum de operationibus. Aliud enim Deitas, aliud humanitas operatur in illo vno opere personæ. Ac monstrosum & impium dictu fuerit, Deitatem sicut animam, per oculos corporis videre, per aures corporis audire, per intellectum humanum intelligere, per voluntatem humanam velle: cùm potius Deitatis beneficio & efficacia suas operationes exerceant anima & corpus naturæ assumtæ. Falsam ergo similitudinem, falso dogmati malè & ineptè accommodat Selneccerus, & sibi ipsi nimis apertè contradicit: dum fingit, animam omnia per corpus operari: Atq; hinc vult colligere, λόγον etiam omnes suas operationes per carnem efficere; quin etiam essentiales suas proprietates realiter communicare carni, quod tamen de anima & corpore negare cogitur: dum denique videri vult retinere naturarũ discrimina, & corporis vbiquitatẽ absolutam, etiam in lignis, lapidibus, & in inferno, tam horridè repudiat;

hic autem rursus expreßè dicit, Filium Dei secundum utranque naturam esse ubiq;. Hæc portenta nemo veterū neq; de anima & corpore, neq; de Christo somniauit. Nam cùm Athanasius ait, Verbum exercere per humanam naturam suam potentiam, hoc nihil ad ubiquitatem. Agit enim λόγος per carnem, simul agentem, quæ carnis sunt, & utitur eius externo ministerio: Sed non ideò omnipræsentem aut omnipotentem eam efficit, sicut nec Apostolos, per quos sunt à Christo edita miracula. Ac loquitur Athanasius de Christo edente miracula, dū natura ipsius humana adhuc erat infirma, ac nihil minus, quàm omnipotens.

Fol. 160. In dißimilitudinibus suæ similitudinis ait, Christi personam non constitui ex duabus partibus imperfectis: quod verum est, dummodo rectè intelligatur. λόγος in Christo est perfecta natura & perfecta persona, id est, perfectus Deus. Humanitas est perfecta natura, sed non perfecta persona. λόγος enim sine carne & cum carne est eadem & perfecta persona. At caro non est persona sine λόγῳ. Perfectus autem Christus, neutra natura est, sed utraq; simul & cum altera coniuncta ὑποστατικῶς.

Repetit: Animam nihil posse in corpore sine membris corporalibus agere: Deitatem non velle quidquam nisi per humanitatem agere. Falsum utrunq;. Intelligit anima & vult, nō per organum corporeum, & quidem multa, quorum ne species quidem sensiles efformari possunt. Et dominium naturæ humanæ in omnes creaturas, nec omnipotentiam, nec omnipræsentiā requirit. Totum enim officium Christi utriq; naturæ commune est, & ab utraq; simul perficitur: sed partes eius, hoc est, naturarum operationes, quæ ad illud requiruntur, distinctæ sunt, sicut ipsæ naturæ & earum proprietates. Nos igitur dignitatem nostræ carnis in Christo nequaquam extenuamus: vos autem prorsus eam aboletis, dum carnis veritatem tollitis.

Fatetur diuinam naturam in Christo esse immensam & infinitam. Ergo eadem simul tota & in suo corpore & extra corpus existit.

Fatetur

Fatetur naturam humanam in Christo finitam esse & circumscriptam: sed ita tamen, vt in ea sit & habitet tota plenitudo Deitatis, quasi dicat, ita tamen, vt sit etiam ἀπερίγραπτος. Hoc enim ipse vult per vnionem vel inhabitationē effici. Cogitet autem, per Dei atq; hominum fidem, Lector cordatus, animo sedato, & præiudicijs atque affectibus non occupato, síntne hæc sani aut amentis hominis verba: naturam humanam esse finitam & circumscriptam, & tamē præsentem esse in pluribus locis eodem tempore. Quo enim loco circumscribitur & finitur id, quod substantia sua in nullo loco existit, quin simul existat in alijs? Item, vbiquitatem absolutam esse diabolicum commentum: Christum enim ibi adesse suo corpore, quo se verbo suo alligauit: non in lignis, lapidibus, cantharis: & tamen Christum secundum naturam humanam non minus esse omnibus locis & rebus præsentem, & omnia præsentem gubernare, quàm λόγον: Item, quod suprà in hac eadem octaua recitatione dixit: Necesse esse, vt vbicunque est diuinitas Christi, ibi etiam sit humanitas, ne vnio disiungatur: Item, posse Christum suo corpore, non tantùm alicubi localiter & definitiuè, sed etiam vbique esse repletiuè, modo proprio non corporis, sed proprio diuinæ Maiestatis & virtutis: Et quod hîc dicit; Humanam naturam non esse repletiuè per essentiam, sicut est diuina natura, vbique; quia hac ratione non esset amplius humana natura. Quia verò nescit, quò se vertat, dicit eo modo vbique esse naturam humanam, qui sit omnibus creaturis absconditus, & reseruandus ad intuitiuam notitiam. Monstret nobis in Scriptura promissam intuitiuam notitiam carnis omnipræsentis. Scriptum est: Nos semper cum ipso futuros, vbi ipse est: visuros eum sedentem à dextris Dei, sicuti est.

Actum primum vbiquitatis tribuitis corpori Christi, ante gloriam: nunc autem actum secundum, qui est inuisibilis: Ergo in vita æterna, si fiet visibilis vbiquitas, habebit actū tertium.

Si autem oculis cerni poterit vbiquitas, quid ni etiam pingi? Sicut à Lempo Theologo quondam Tubingensi in tabula auditoribus pingebatur transsubstantiatio. Seruet igitur sibi Selneccerus illum modum ad intuitiuam notitiam, & nos ante illum intuitum missos faciat, nec obtrudat Ecclesiis ea dogmata, quæ ex verbo Dei probare nequit. Hæc autem summa est: Verbis vbiquitatem negat: re ipsa statuit: non secus, quàm Epicurus Deos esse verbis concedebat, re ipsa negabat, prouidentiam tollendo.

Dicit, humanam naturam etiam circumscriptam regnare per omnia loca locorum &c. At quæritur, An substantia humanæ naturæ sit vbiq;. Nam quòd vbiq; regnet, nemo Christianus dubitat. Ad hoc autem neq; requiritur, neq; sequitur, eam sua substantia esse vbiq;. Regnat vbique suo iure & dominio, suo arbitratu & voluntate, & vnita sibi diuinitate. Homo enim ille facit, quæ diuinitate, & quæ humanitate sua exequitur.

Claudit primam similitudinem repetita insectatione regularum Physicarum, quas nullas ei nos opponimus. Deum enim nec velle, nec facere posse contradictoria, non tantùm est Physica, sed etiam Theologica regula: Veritas corporis Christi in Scriptura tradita & confirmata, non est regula Physica. Sed hæc vestra sunt fascina, quæ inculcatis imperitis: atq; ideò detrectatis legitimam Synodum, ne fraudes vestræ detegantur, ac Principes & populi Germaniæ videant, æs pro auro à vobis sibi esse venditum.

Fol. 162. *Similitudine ferri candentis Patres monstrare voluerunt, carnē viuificare propter vnitū sibi λόγον, sicut ferrum candens vrit, propter vnitum sibi calorem igneum, quem & ignem aliquando nominant: non autem vnionis aut operationis modum, qui est dissimilis. Ferrum quippe ignitum vrit, si tangatur, quia ignitum est: Sic & caro vnita Deitati viuificat,*

ficdatur fide & Spiritu, quia vnita λόγῳ est. Tantum Patres docere voluerunt hoc simili adhibito, & rectè. Bergenses autem his non contenti, progrediuntur vlterius: Ferrum vrit, quia realiter calet: Ergo patres voluerunt, carnem viuificare ideò, quia realiter omnipotens sit. Sed non obseruant dissimilitudinem. In ferro calor est qualitas, per quam agit ferrum. Ideò ferrum calet atque vrit, suo calore, indito sibi ab igne. Carnis autem neque essentia, neque qualitas vel accidens aliquod est Deitas siue omnipotentia, sed est inhabitatrix. Ideò caro non est omnipotens, aut per omnipotentiam viuifica: id est, non effectrix regenerationis & vitæ æternæ. Est tamē suo modo viuifica, videlicet quia meritum huius carnis apprehensum fide, est nobis caussa vitæ, & quia Spiritu insiti huic carni, vitam ex ea haurimus, quam operatur Spiritus in ipsa & in nobis habitans. Et hunc ipsum quoque viuificandi modum habet à Deitate. Nisi enim Dei caro esset, viuificare hoc modo non posset: sicut ferrum suo modo vrere non posset, nisi ignitum esset.

Ignis, inquit, substantia sua ferrum implet. Hic audimus Patauinum Philosophum. Non substantia sua, sed qualitatibus suis ignis implet ferrum, iisq; non numero, sed specie iisdem. Non enim calor, qui est in igne, transfertur in ferrum; sed alius similis in ferro per contactum ignis excitatur. Ferrum enim ignitum non est ignis.

Ferro, inquit, ignis communicat propriam suam facultatem: sed non omnem; alioqui enim desineret ferrum esse, & fieret ignis. Neque sic Deitas communicat carni facultatem suam, sicut ignis ferro. Nam ignis confert ferro calorem, quo vrat, sicut ignis. Deitas autem non confert carni omnipotentiam vitæ effectricem, qualis est ipsa Deitas; sed ipsa in carne habitans viuificat efficacia: Carni autem confert dignitatem meriti, vt propter illud viuificemur, & donati eodem Spiritu, carni huic efficiamur conformes, tanquam membra capiti.

Sic etiam, facta est particeps caro diuinæ virtutis & operationis: sed non omnis, nec eodem modo, quo ferrum caloris: alioqui fieret diuina natura humana.

Putat hanc similitudinem procul dubio esse sumtam à rubo ignito, qui totus ardebat. Ergóne etiam lignum candebat sic vt ferrum? Atqui sic redactum fuisset in prunas & combustum.

Atque hæc, inquit, similitudo admodum frequens est scriptoribus Ecclesiasticis: Non adhibetur autem ad docendam omnipotentiam & vbiquitatem carnis, sed modum & conditionem, qua nos viuificat Spiritus in carne habitans, scilicet si fide & contactu spirituali tangamus istam carnem, sicut calor in ferro vrit manum attingentis ferrum. Ideò sicut suo modo calor in ferro vrit, scilicet vstionis effectione: & suo modo ferrum, scilicet caloris admotione: Sic suo modo Deitas viuificat, scilicet vitæ effectione & operatione; & suo modo caro, scilicet merito & copulatione sui nobiscum, tanquam vitis cum palmitibus, ex qua palmites succum vitalem hauriunt. Hanc Patrum dulcissimam doctrinam vos commentorum vestrorum illuuie fœdatis turpiter, & corrumpitis nefariè.

Origenes, cuius dictum citat, impropriè ignem dicit, quod habet qualitates igneas, etsi non omnes. Sicut ergo, si quis contingere atque tractare massam ferri voluerit, non ferri, sed ignis vim sentiet: sic etiam, secundum Origenem, qui Christi carnem fide tangit, non carnis, sed Deitatis in carne habitantis virtute viuificatur. Selneccerus ita accommodat: sic in natura Christi humana ignis diuinus substantialiter lucet, & tota plenitudo diuinitatis habitat in ea. Atque hæc est verè περιχώρησις. Hoc vel ex Vicecancellario tu didicisti, vel ille ex te. περιχώρησις enim non naturarum est, sed personæ. Homo Deus, & Deus homo est: Non autem humanitas Deus, vel Deitas: nec Deitas homo est vel humanitas.

Basilius

Basilius ait, carnem factam esse participem Deitatis, sed non suam propriam tradidisse Deitati imbecillitatem. Hoc nihil ad realem communionem idiomatum. Nam caro à Deitate realiter glorificata est, id est, donorum excellentia Diuinitatis proprietatibus essentialibus conformata. Deitas autem in carne non realiter humiliata: scilicet in abstracto. Nam de concreto non minus verè dicitur; Deus est passus, mortuus; quàm, homo est omnipotens. Vnde manifestum est, Basilium loqui de donis glorificationis, quæ realiter communicantur carni, non autem de essentialibus Dei proprietatibus. Fol. 163.

Damascenus ait; Carnem diuinis operationibus locupletatam propter λόγον *ipsi vnitum; scilicet vt suo modo viuificet caro: suo item* λόγος*: & viuifica vis carnis tota pendeat à* λόγῳ*. Non enim redemisset nos ista caro, nec vnio cum ea, seu manducatio eius vitam afferret nobis, imò ne manducari quidem posset, nisi esset caro Filij Dei. Non autem locupletatam omnipotentia dici carnem, ex eo manifestum est, quòd Damascenus eodem capite tribuit hanc viuificationem carni etiam infirmæ & mortali, quando nihil minus erat, quàm omnipotens caro. Ipsa igitur, inquit, mortalis erat per se ipsam, & viuifica propter vnionem personalem cum Verbo.*

Iustini simile nostram caussam iuuat. Vt enim lux è Sole vndique diffunditur, manente corpore Solis in certo loco: Sic etiam Deitas vbique diffusa est, manente corpore Christi in certo cœli loco, quocunque Dominus voluerit. Vt lux est in corpore solari, ita λόγος *est in corpore suo, videlicet, vt neque lux in Solis, neque Deitas in Christi corpore includatur, verùm & extra & intra illud sit, & tamen ab eo non diuellatur.*

Idem cùm doceant Oecumenij verba, de luce non inclusa in corpore Solis, sed ex eo sparsa, & omnia illustrante; & de Fol. 164.

Deitate non inclusa in corpore, sed omnia implente; Vbiquitatem prorsus euertunt, cum omnibus glossis particularum, In, cum, per carnem λόγος operatur omnia, vt non videam, quorsum Selneccerus ea citauerit; nisi fortasse vt ægrè faceret suo fratri, simulando defensionem voluit caussam prodere. Tandem ergo, quia videt Selneccerus collationes à se vsurpatas in ijs, quæ non sunt similia: igitur eleuat hanc rationem probandi, vt sicubi hæreat vel vrgeatur, habeat quo se excuset.

Fol.165. In quarta assertione falsa libri Bergensis: quòd Christus absque reali communione idiomatum non sit Deus: falsarios appellat Neostadianos. Legat ergo D. Superintendens affirmatiuam sextam, de persona Christi, & eius declarationem. Sunt autem, inquit, alia argumenta, quibus Diuinitas æterna filij Dei probatur. Sunt sanè, & quidem veriora. Cur igitur his laruis lemurum ludificamini homines? Sic enim loquuntur Patres: Hinc (scilicet ex reali communicatione idiomatum) credimus, docemus, & confitemur, quòd Deus homo, & homo Deus sit; id quod fieri non posset, si diuina & humana natura nullam communionem re ipsa & re vera inter se haberent. Et declaratio: Sine reali communicatione idiomatum non esse differentiam inter sanctos & Christum. Ac Patres communionem diuinæ & humanæ naturæ declarant per communicationem realem proprietatum, qua caro sit realiter omnipotens. Et ipse Selneccerus hîc inquit: Certè nisi hic homo filius Mariæ esset Deus & Filius Dei, non fieret illa communicatio. Atqui neque posita vnione naturarum consequitur realis communio proprietatum. Etiamsi enim homo sit Deus, id est, Deus assumserit carnem; non ideò tamen caro efficitur Deus aut omnipotens.

In quinta dicit, impudentissimè Neostadianos calumniari, quòd fingant à Patribus dici, nasci & mori realiter Deitati communicari. Hic autem sibi ipse geminam impingit notam impudentiæ. Primùm quòd audet negare, in libro Bergensi extare;

quod

quod legitur in summa de persona Christi, Affirmatiua 7. Inde (scilicet ex reali communione idiomatum) credimus, Mariam verè θεοτόκον esse: Et in 8. 9. Inde (scilicet ex reali communione, quæ in 5. & 6. affirmat. prolixè exprimitur) verè Filium Dei pro nobis esse passum, secundum proprietatem humanæ naturæ. Hîc manifestè eandem sententiam & caussam statuitis prædicationis humanorum de Deo, & diuinorum de homine: nempe reale[illegible]stram communionem. Hæc enim sunt verba affirma[illegible] quintæ: ex qua personali vnione, & ex ea consequente summa & ineffabili communione omnia promanant, quæ humana de Deo, & diuina de homine Christo dicuntur & creduntur. Idem prolixè contendit horum articulorum declaratio; & tandem damnat docentes, in his propositionibus, Deus est passus, Deus est mortuus, tantùm esse prædicationem verbalem, & non re ipsa sic esse. Idque intelligitis & contenditis realiter accipiendum esse de natura. Nam quin realiter vera sint de persona secundum alteram naturam, nulla vnquam inter nos fuit quæstio. Sed si quis ipsam formulam Concordiæ euoluere nolit, legat quid à Magistro Selneccero dicatur in Thesibus 157. 159. 160. quæ sunt libri declaratio. Per impiam, inquit, ἀλλοίωσιν soli carni, cuius proprium est, pati adscribunt. Neget hîc Selneccerus, hanc locutionem, Deus est passus, realiter de natura dici; neget & dicat, se idem docere, quod Concordiæ liber & Schmidelinus. Secundò traducit ἀντιλογίας Libri & suas, quibus visus est subinde idem de eodem affirmare & negare. Non est satis, vnum contradictoriorum ponere, nisi alterum tollas. Ideò dicimus, querelas Neostadienses de libro Bergensi à Selneccero confirmari.

In sexta negat localitatem adimi naturæ humanæ, & tamen per exaltationem ipse hanc illi eripere conatur: sed frustrà. Quando enim vnio naturam humanam non sustulit, non

etiam auferet illam exaltatio. Rursus hic Selneccerus ἀντιλογίας Patrum traducit. Quod enim simul in omnibus aut multis locis est, quomodo locale dici potest? Et exaltatio Bergensibus est omnipotentia, omnipræsentia, & illocalitas carnis. Verbo igitur localitatem carni tribuunt, re ipsa verò manifestissimè adimunt.

Fol. 166. Septimò: omnipotentiam naturæ humanæ datam esse, vix intelligi potest, affirmétne an neget. Caussam tamen suam funditus euertit, dum ait, naturam humanam sic participem fieri omnipotentiæ, vt particeps facta est Deitatis. Caro enim sic est facta particeps Deitatis (si sic loqui libeat) vt vnita sit Deitati personaliter, sicut & Selneccerus hic fatetur, non autem vt caro, sed vt homo sit Deus, cuius ista caro est propria. Ergo secundum Selneccerum etiam omnipotentiæ sic est facta particeps, vt non caro, sed homo sit omnipotens. Nam etsi contrarium tueri simul velit allegatione omnis potestatis, quæ data sit Christo: tamen, vt sepè dictum est, officium & ius administrandi omnia, datum homini per vnionem cum Deitate, non probat omnipotentiam vel omnipræsentiam carnis. Non enim eodem modo secundum vtranque naturam Christus illud munus sibi commissum administrat. Et cùm naturam humanam fateatur non esse ipsam omnipotentiam, necessariò sequitur, etiam realiter eam non esse omnipotentem. Nihil enim est omnipotens, quod non est ipsa omnipotentia: ne quidem homo Christus, nisi quatenus Deus, id est, ipsa omnipotentia est. Idem confirmat, cum addit, Non esse faciendam exæquationem proprietatum. Si enim vtraque natura realiter est omnipotens, iam sunt exæquatæ. Duæ enim omnipotentes naturæ non possunt non sibi inuicem æquales esse potentia. Et frustrà addit, non exæquari proprietates essentiales. Neque enim essentialibus, neque accidentalibus proprietatibus siue attributis exæquari possunt.

In

In octaua, quæ est eadem cum prima, assertio videlicet realis communionis idiomatum, hæret Selneccerus tanquam auis in visco, & nos calumniatur suo more. Negamus nos realem communionem idiomatum: Selneccerus fingit nos negare assertionem Pauli, quòd omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitet in Christo. Probè didicit fallaciam secundum plures interrogationes, sed ea vtitur improbè. Assertio Pauli vera est: Plenam Deitatem habitare in Christo, vel in carne Christi personaliter. Sed vestra assertio: proprietates essentiales Deitatis realiter communicari carni, falsa est, ac nequaquam ex Paulina assertione sequitur. Obseruet autem hîc lector, quòd realem communionem idiomatum inter duas naturas in prima depulsione accusationum nominat falsum dogma, quod falsò tribuatur libro Bergensi: hîc quærit, an hæc assertio falsa sit. Item quòd suprà dixit in assertione tertia, omnes accusationes Neostadianas esse falsas, hîc autem fatetur quidem, vt res habet, realem communionem in libro asseri: Sed negat eam asseri falsò. Probat eam per inhabitationem omnis plenitudinis. Responsum est, hanc plenitudinem complecti non tantùm omnipotentiam, & omnipræsentiam, sed etiam reliqua Dei attributa omnia, quæ cùm Bergenses non audeant carni tribuere in abstracto, de his etiam non sequi prædicationem eorum de carne. Hîc Selneccerus negat, plenitudinem diuinam ad hæc tantùm attributa restringi. Quærit, vbi restringantur? Respondeo: Suprà in decimo tractatu recitationis septimæ Selnecceri, vbi quædam idiomata facit communicabilia carni in abstracto, quædam non communicabilia, quæ tantùm de homine, sed non de humanitate possint prædicari. Item, quoties fatemini, naturam humanam non esse creatricem mundi, æternam, infinitam, spiritualem essentiam, & alia, quæ de natura humana prædicare non potestis in abstracto. Item, in hoc ipso loco, dum fatetur alia alio modo realiter communicari, hoc est, quædam carni & homini, vt esse omnipo-

tentem &c. quædam non carni, sed homini, vt esse æternum, creatorem, natum ex substantia Patris. Hæc si humanæ naturæ communicari nequeunt, qua fronte audet dicere, omnia communicari, & restrictionem nullam admitti? Futilis elusio est, quod dicit; alio atque alio modo communicationem fieri. Non enim quæritur, an homini, sed an humanitati possint omnia tribui. Admittitur restrictio, cùm tantùm aliqua diuina attributa carni communicari dicuntur, sic vt de illa prædicentur in abstracto. Assistentiam à dicto tantùm Pauli remouent Neostadiani, non tribuunt Bergensibus, vt Selneccerus falsò queritur. Etsi autem hæc à Neostadianis vobis non tribuitur, tamen ex vestra doctrina non obscurè sequitur. Si enim nullum discrimen est inter Christum & sanctos, præter realem communicationem idiomatum; sequitur Christum non Deum, sed diuinum tantùm hominem esse, qui differat ab alijs secundum plus & minus. Modos autem illos suæ communicationis è Scriptura nobis demonstret, vt sine Sophistica in his acquiescere possimus; vel de illis taceat. Quòd verò etiam negat realem communicationem esse naturarum conformationem; ab eo se primùm, deinde alios expediat. Negat naturam humanam plenam & perfectam esse, tantùm secundum suæ creatæ perfectionis modum. Atqui dona Spiritus sancti in naturam Christi humanam absque mensura effusa, ipse fatetur esse creata & finita. Differt igitur omnis creatæ naturæ perfectio à perfectione diuina, quæ est omnium attributorum diuinorum immensitas, etsi perfectio naturæ humanæ Christi omnium creaturarum perfectionem ea ratione excedit, quæ à nobis comprehendi nequeat.

Fol. 167. Perfectione autem diuina, propriè loquendo, id est, ipsam Deitatem intelligendo, nihil perfectum esse potest, præter solum Deum. Itaque hæc perfectio diuina, est quidem personæ Christi perfectio, non autem naturæ ipsius humanæ seu creatæ. Est

enim

enim Christus vtraque perfectione, creata & increata, perfectus.

Augustinus, quem citat, nihil aliud vult, nisi quòd alij homines Deo conformantur magis, alij minus. Solus autem Christus non tantùm Deo conformis, sed ipse etiam Deus est. Opponit enim inhabitationem Dei secundum dona, quæ admittunt magis & minus, inhabitationi corporali, id est, personali, totius plenitudinis Dei, quæ nec magis nec minus admittit.

Nono: Thesauros omnes sapientiæ in Christo absconditos, dictum est à Patribus perperam detorqueri ad infinitam scientiam intellectus creati in Christo, cùm de hac nihil dicat Apostolus. Ad hoc Selneccerus ne γρῦ quidem, sed corrumpens nostrorum verba, dicit eos negare infinitam scientiam hominis Christi. Nos verò hanc profitemur: humanæ autem mentis Christi scientiam negamus esse infinitam propriè loquendo: negat & Selneccerus tractatu tertio recitationis septimæ. Ne videatur tamen prorsus obmutescere, arripit voculam Omnes, vt inde extruat omniscientiam diuinam mentis humanæ. At non meminit Christum dicere: Omnia, quæ audiui à Patre meo, annunciaui vobis: &: Spiritus sanctus docebit vos omnia: Et Paulum, Annunciaui vobis omne consilium Dei: Et Iohannem, Vos autem nostis omnia, &c. Quis non videt, hîc intelligi cognitionem omnem nobis necessariam & salutarem? Ita hîc Apostolus loquitur, non de ijs, quæ nobis aut etiam vlli creaturæ scitu non necessaria, aut non poßibilia sunt, sed de sapientia nobis à Deo reuelata aut reuelanda, ad nostram salutem necessaria. Atque hanc dicit omnem à Christo proficisci. Etsi igitur hæc multò magis cognita & perspecta est menti humanæ Christi, quàm omnibus angelis & hominibus; tamen propterea notitiæ creatæ in intellectu humano Christi non æquant increatam & essentialem sapientiam Deitatis. Sed cùm Paulus non de natura tantùm humana, sed de tota persona Christi loquatur, & Christus suo

Spiritu nos doceat è sua diuina & humana plenitudine, quantum nobis satis est, rectè comprehendimus etiam increatam sapientiã & infinitã, quæ ipsi ab Oecumenio cum Scriptura secundum Deitatem tribuitur. Non ergo elicuit Selneccerus ex dicto Pauli realem communicationem sapientiæ diuinæ, id est, mentem humanam Christi omniscìam.

In decima ostendit nobis suam frontem. Non enim contra Samosatenum & Nestorium, sed contra nos falsò alligari à vobis Theodorum Rhætensem dictum est, quasi ille contra Samosatenum scribens, contra nos aliquid scriberet, ac nos cum Samosateno facientes damnaret. Non enim damnat in illis negationem communionis realis idiomatum; Sed negationem vnionis duarum naturarum personalis, quam nos melius Dei beneficio tuemur, quàm vos, qui vestra reali communione Samosateno & Nestorio fenestram aperitis.

Fol.168. Vndecimò dicit esse malitiosam calumniam, quòd secundum realem communionem idiomatum, Deitas passa, & humanitas vbique sit. Negat quidem, Deitatem esse passam: Atqui nos ex eo ipso, quod dicitis, Deitatem non esse passam, ostendimus vos pugnare vobiscum. Frustrà igitur dicit responsum esse ad hoc sæpè: quia non ostensum est esse calumniam. Deitatem passam esse, non audetis dicere; at dicitis ea in libro, ex quibus hoc necessariò sequitur, quæque idem valent, videlicet Filium Dei passum esse secundum proprietatem humanæ naturæ. Si enim non secundum ipsam humanam naturam, sed secundum proprietatem humanæ naturæ passus est λόγος, quis non videt, vos hac oratione λόγῳ realiter attribuere proprietatem propriam & alienam, diuinam & humanam, vt secundum hanc sit realiter passus? Et negat: 12. dicitur, Filium Dei in passione cum humanitate realiter communionem habuisse. Neque potestis hîc dicere, Filium Dei personam vobis significare:

significare: Opponitis enim eum naturæ hominis. Ergo hæc vestra verba non possunt sine manifesta violentia aliter intelligi, nisi quòd passio realiter diuinæ naturæ communis fuerit. Quid quòd inculcatis, Filium Dei passum esse secundum proprietatem humanæ naturæ, per eandem, eandem, inquam, illam communionem idiomatum, per quam vobis homo & humanitas est omnipotens, omnipræsens? Quomodo igitur malitiosè nostri calumniantur & mentiuntur? Deinde etiamsi ista non dixissetis in Libro Bergensi: tamen non calumnia esset, ex absurditate consequentium demonstrare & conuincere falsitatem vestrarum hypothesium: præsertim, cùm & ipsa consequentia aliqui ex vobis ex professo defenderint. Quòd autem per calumniam patribus tribui queritur hanc propositionem: Humanitas est vbiq; ad hoc Schmidlinum respondere sinemus.

Ad duodecimum, de naturæ humanæ omnipræsentia, omniscientia & omnipotentia à puncto conceptionis, ex declaratione Bergensi, quæ recitat, illam hanc accepisse secundum rationem hypostaticæ vnionis, ea rectè intellecta & nos admittimus, si videlicet intelligat humanam naturam diuinæ vnitam. Sed ex vnione non sequitur, humanam naturam aut esse aut fuisse omnipotentem, omnisciam, omnipræsentem: neque istis glossis eluitur id, quod scribitur in summa Bergensi, Affirmat. 10. & 11. Christum hanc maiestatem naturæ humanæ, inde ab vnione seu conceptu semper habuisse. Hæc enim verba significant, semper eum etiam infantem fuisse, omnipræsentem, omnipotentem, omniscium secundum naturam humanam: duntaxat autem hoc occultasse & non ostendisse. At contrà Scriptura & Patres, ac ipse Lutherus docent, reuera & realiter Christum laborasse ignorantia secundum intellectum humanum, verè fuisse infirmum, nec simul in vtero, in præsepio, & extra illa.

Quòd autem addit de Maiestate vbiquitaria corporis, coram omnibus sanctis in cælo & in terra se exerente, & in altera

vita de facie ad faciem videnda, hoc tum ei credemus, cùm nobis monstrauerit, quis, vbi, quando viderit, aut videat, aut visurus sit omnipræsentiam, omniscientiam, omnipotentiam animæ & corporis Christi. Nam beati quidem sunt, qui credunt, quæ non vident, sed tamen quæ audiunt à Christo, non à Selneccero.

Fol. 169. In decimatertia assertione, quòd corpus Christi vbique sit, secundũ modum dextræ Dei, id est, Deitatis: incedit strepitũ non faciente pede. Respondet, Christum secundum humanitatem posse esse, & reuera præsentem esse, vbicunque vult. Quæso te Lector, quid didicisti ex hac responsione Selnecceri? Essène corpus Christi vbique, an non? Ecquid errasse tibi videbor, si dixero, Selneccerum belle ἀκκίζεσθαι? Nam interrogemus ipsum, velit ne igitur Christus esse vbique suo corpore: si negat, aut dubitat: cur igitur tanto labore contendit, λόγον vbique sic in suo corpore existere, vt nusquam extra illud existat & operetur quidquam? cur dicit cum suis manipularibus, necessariò esse corpus vbicunque est λόγος, ne separentur naturæ, & soluatur persona Christi? Item, omnia per vniuersum esse plena Christi secundum naturã humanã? Item, secundũ naturam humanã omnibus esse præsentem, & omnia præsentem gubernare? & horũ similia. Sin ait esse vbique, cur igitur absolutam vbiquitatem toties repudiat, & portentum diabolicum nominat? Cur sibi per calumniam obijci vbiquitatem toties queritur? Cur meras calumnias esse dicit; secundum Bergensium dogmata, corpus Christi fuisse simul intra & extra vterum: intra & extra præsepe & fascias, in Aegypto & in Iudæa, &c? Breui memoria mihi esse videris Selneccere. Quid enim? An Deitas non simul erat intra & extra vterum, intra & extra præsepe & fascias, in Aegypto & Iudæa? An ergo alicubi erat Deitas, vbi non erat corpus? Siccine tu λόγον alicubi constituis extra corpus? Siccine Christum diuidis? Túne Ecclesiis Saxonicis hactenus ignotam fuisse omnipræsentiam corporis

Christi

Christi dicis, quam Bergensis liber veterem doctrinam esse, non tantùm Saxonicarum, sed omnium verarum Ecclesiarum, contendit? Certè si ego Schmidelini tui loco essem, dicam tibi grandem impingerem, præsertim si essem Cancellarius.

Mirum ni hîc diuiduntur nationes, vel potius Ecclesiæ Sueuicæ à Saxonicis. Quid enim aliud docuit Brentius, quid aliud Schmidelinus, ad quorum libros, tanquam ad declarationem refert se liber Bergensis, quàm quod hîc Selneccerus, vt sibi & suis ignotum reÿcit?

Ad omnipotentiam quod attinet, quia scimus Christum non posse mentiri, id est, velle contradictoria, Idcircò Selneccerus ad hoc Asylum frustrà se recipit. Habet caro Christi multa dona ὑπερφυσικὰ, quæ naturas non abolent, sed non ἀντιφυσικὰ, quæ naturas tollunt, qualis est in corpore omnipræsentia, siue sit absoluta Schmidelini, siue restricta Selnecceri. Rectè ergo dicitur, Deum non posse facere, vt idem corpus simul sit corpus, & non corpus, finitum & non finitum, quia Deus verax est, &, vt suprà dictum est ex Theodoreto, ea facit quæ vult, vult autem sua naturæ conuenientia. Vt igitur Christus diuinitatem suam nunquam circumscriptam reddet, sic suam humanitatem nunquã faciet infinitam. καὶ τοῦτο ἀληθὲς κἂν διαῤῥαγῶσιν ἀντιλέγοντες οἱ θορυβοποιοί.

Queritur de plaustris conuitiorum. Atqui nostri non personis, sed vestris argumentis iusta conuitia faciunt. Scapham scapham dicunt; dum illa nominant strophas & Sphingis ænigmata, impudentissima & nequissima sophismata, Deo & hominibus illudentia, versutè & fraudulenter excogitata. Si vis alÿs titulis ornari tua argumenta, meliora vt proferas necesse est, quàm hactenus tu, & tui socÿ protulistis. Nam responsiones illis oppositas à nostris, hoc verbo non prosternis, quòd Christus possit facere & faciat suo corpore quidquid vult. Somnia verò tua hoc vno verbo discussa euanescunt, quòd Christus nullo ver-

bo testatus est, se facturum suo corpore, quæ vos fingitis; Multis autem verbis testatus est contrarium.

Negat Deum repugnare sibi, etiamsi aliquid faciat, quod superet conditionem naturæ nostræ. Rectè: attamen repugnaret sibi, si contradictionem implicantia faceret, quod neq; fecit, nec facturus est Deus veritatis fons. Appellat Neostadianos reformatores. Atqui nostri nullam aliorũ reformationẽ sibi sumunt, sed iniquis vestris condemnationibus necessaria veritatis defensione occurrunt. Vos autem patres Bergenses, mundi reformatores vos constituitis, cum reuera sitis Ecclesiarum deformatores, qui suis antilogijs, calumnijs, corruptelis, & sophismatũ præstigijs, mirificũ fidei & pietatis suæ specimen, oculis hominũ obijciũt.

Multa facinora quærit, cur audeant nostri ea perpetrare: quibus vnam vicissim quæstionem opponerem, si pace D. Superintendentis liceret, cur nõ pudeat eum tam multa de hominibus mentiri? Idq; tam apertè? Non Deum & verbum eius, sed vestrorum figmentorum absurditatẽ, & rationum ineptias ridemus: Non Christo metas præscribimus, sed vos extra metas verbi Dei euagantes, sequi recusamus: Non Christi gloriã & veritatẽ, sed vestra vbiquitaria commenta negamus, quibus veritas carnis Christi, & omnes articuli fidei de Christo abolentur, & religio Christiana conuertitur in ludibriũ, tantũ vt Idolum Antichristi stabiliatur: negatis enim circumscriptionẽ corporis, dum circumscriptionẽ ponitis. Horum non tantùm nostra, sed omniũ piorum & rectè iudicantium conscientia, & ipsum Dei verbum, & tota vetus Ecclesia orthodoxa, vos accusat. Non Deum, Selneccere, sed vos conferunt nostri, Papæ dispensanti contra verbum Dei, quam dispensationem vestrã Deus odit & exsecratur. Non doctrinã de Christi potentia & veritate, sed vestrã vbiquitatem carnis conferunt cani in balneo; eámq; tam absolutã, quàm restrictam, in vestris libris monstratã repudiant. Corpus Christi nõ posse à Deo reddi omnipotens, multò minus simul finitum & infinitum, siue

sub-

substantia, siue potentia, scribunt nostri. Quòd autē scribant aut doceant, Deum non posse facere, vt Christus corpus finitū, infinitam habeat potentiā, mendaciū Selnecceri est, quo se ipsum impudentia superat. Verba Pauli de impletione omniū, accipiunt & de beneficijs & de dominatione & operatione præsentis Christi (quid aliud enim hæc est, quàm beneficia?) sed non de vbiquitate carnis & ossium. Ascensionem Christi vos negare, illi non mentiuntur: quia verbis quidē & in specie eam confitemini, sed reipsa negatis, dum visibiliter Christum in cælum ascendisse, inuisibiliter autē ne latum quidem pilum à terra discessisse suo corpore, docetis: Nihil affingunt libro Concordiæ; Nihil enim dictum est à nostris de libri doctrina, nisi quod vel scriptum in eo est, vel è scriptis necessariò sequitur. Cælum vbiquitariū nō dixerunt poni in libro; sed librum complecti & inuoluere illud in corruptela articuli ascensionis: disertè autē & prolixè poni in libris vestris vbiquitarijs, quos tanquā declarationē libri Bergensis allegatis. Pudebit igitur aliquando Selneccerū tot & tantorū mendaciorū, si qua scintilla pietatis, veritatis, honestatis, pudoris, verecūdiæ, in animo ipsius reliqua, aliquando reuiuiscat, cùm suā istam virulentam bilem, ex qua hæc in homines innocentes iam effundit, concoxerit.

Decimo quarto loco repetit veterē suum syllogismum: Dextra Dei est vbiq;. Corpus Christi est ad dextrā Dei. Ergo corpus Christi est vbiq;. In quo equidē non video, cur tantum caussæ suæ præsidium collocet, nisi fortè quia vno termino alijs syllogismis præpolleat. Aequipollet enim isti, Deus est vbiq;. Corpus Christi est vnitum Deo, Ergo, corpus Christi est vbiq;. Cuius consequentiā examinat Augustinus, cùm inquit: Quod in Deo est, non est vbiq; vt Deus. Sed Selneccerus admittit istam conclusionem, modò de vbiquitate absoluta non intelligatur. De qua igitur? Dextra Dei est vobis ipsa Deitas. Hæc autem nunquid absolutè est vbique? Si igitur quacunque patet dextra Dei, ibi præsens existit corpus Christi, Quomodo non absolutè & simpliciter seu

vniuersaliter est vbique? Incarnationem autem, ascensionem & sessionem ad dextram patris, quo ore negas te confundere? Oblitus es tua verba in recitatione 7. tractat. 7. vbi dicis, Ascensionem esse remotionem exinanitionis & infirmitatum: Christum in Scriptura simpliciter dici ascendisse ad patrem, vel ad dextram Dei: Et addis: Dexteram Dei creatricem omnium, quæ sunt, vnitum sibi hominem in propriam sublimitatem per vnionem abduxisse. An non omnes libri vestri clamant, idem esse sedere ad dextram, quod vniri Deitati? Sed ea est vestræ doctrinæ pulcritudo, vt si nuda absque fucis & phaleris verborum producatur in conspectum, in rabiem vos agat eius detecta deformitas: ex quo facilè agnoscitur, eam verè esse nugas prolatas ex inferis. Distractio autem istorum articulorum, qua existimas te hominibus posse imponere, nulla est. Ascensio tibi est remotio exinanitionis & infirmitatum, in quibus etiam localitatem ponitis. Sessio ad dextrã est tibi plenaria vsurpatio potentiæ & gloriæ diuinæ. Quid autem differunt remotio exinanitionis, & plenaria vsurpatio gloriæ diuinæ? Iam incarnationem fateris esse habitationẽ plenitudinis Deitatis corporalem in Christo: & rectè: Sed hanc inhabitationem exponis esse realem communicationem idiomatum, vnionem cum dextra Dei, cum Deitate λόγου. Ideóque vobis Christus corpore suo iam in conceptu inuisibiliter in cælum ascendit, ad dextram consedit, id est, in Deum ascendit, cum Deo vnitus est: In glorificatione verò, duntaxat hoc, quod iam dudum erat factum, præbuit conspiciendum. Egregia certè distinctio, & valdè consona Scripturæ & articulis fidei; Egregia Selnecceri defensio, quæ id ipsum confirmat, quod falsò sibi exprobrari dicit. Falsò itaq; gloriatur, se proprietates naturæ humanæ per omnia retinere: & sibi cõtradicit, cùm illicò subiungit: vbi est Verbum, ibi Christum sua carne non abesse. Aut enim hoc est, absolutam omnibus locis & temporibus vbiquitatem carnis asserere, aut absolutam vbiquitatem Verbi negare.

Vbiqui-

Vbiquitatem, ait, scimus non esse extensionem, diffusionem,
expansionem carnis. Quandoquidem nobis toties molestus es, tua ista expansione, extensione corporis, quasi hanc inficiando, præclarè vbiquitatem, & ex ea consequentia absurda effugeris; vel inuitus cogor ad lectorem, aut etiā te, si putaris monendum, hac de re, aliquid addere. Quid tandem, Selneccere, tibi est vbique esse per extensionem? Credo equidem nihil aliud, nisi corpus aut rem eiusmodi esse, quæ nulla dimensione, nulla mēsura transiri poßit, nulla quantitate aut figura comprehensa vel terminata sit: sic tamen vt partem extra partem habeat sitam. Partem enim intra partem existere, repugnat extensioni, seu expansioni. Hoc autem posito, nulla erit neq; totius, neque partium corporis symmetria, proportio aut figura, aut situs certus & distinctus in toto. Hac enim data, quælibet pars esset finita & terminata, alia alia quantitate & figura, & alia alio loco sita, & alijs partibus continua in corpore. Vbi autem partes omnes sunt finitæ & terminatæ, totum esse infinitum non potest. Pars verò quælibet in infinitum extendi non potest. Sic enim quælibet pars occuparet omnia loca, & nulla earum posset existere extra partes alias, 1. Corinth. 12. Rectè igitur tu & nos vnà tecum repudiamus monstrum expansionis corporeæ substantiæ in infinitum. Sed nimium incautus es, qui non animaduertas, te in aliud æquè abominabile monstrum incidere, si ponas corpus vbique sine expansione. Sine hac enim existere vbique, est non habere sitam partem aliam extra & iuxta aliam, imò ne partem quidem habere, sed totum secundum se totum, esse in se ipso toto & vbiq;: Id quod solius infinitæ, ac indiuiduæ Deitatis proprium est. Ideoq; hæc de infinita essentia, hoc est, de Deo gloriosè; de corpore autem monstrosè & impiè dicuntur. Cum enim impoßibile sit, corpus vllum, ne dum verum humanum corpus existere sine suis partibus; si neque totum, neq; partes extendantur, necesse erit quamlibet, etiam minimam eius particulam existere in omnibus par-

tibus, & omnes partes in qualibet: omnes partes corporis in minimo digito, & hunc in particulis corporis omnibus & singulis. Non enim potes totum corpus constituere vbicunq; est λόγος, hoc est vbique, nisi ibidem & singulas partes facias essentialiter præsentes: nisi velis totum esse vbique sine suis partibus. Vides ergo, Selneccere, siue expansum, siue non expansum corpus, cum Deitate vbique existere dicas (quorum alterum te facere necesse est) in Labyrinthos inextricabiles, in mucrones contradictionũ, in monstra monstrosissima, te necessariò incurrere. Vides verè à te prædicari, vbiquitatem corporis esse Satanicum commentum, diabolicum portentum. Quæ igitur miseria, quæ insania est, quæ non tantùm cerebri, sed mentis præcipuè vertigo, quod vna manu tam acriter repellis, ei te altera tã peruicaciter inhærere. Responde ad hæc nobis quæso: aut si non potes consule fratrem tuum Sueuicũ, aut quem voles ex socijs tuis Bergensibus: quod si nec fraterculus, quid respondeas, edocere poterit, quin ad mentis sanitatẽ redis, siue rideat ille, siue ringatur? Breuis & plana est via, qua ex omnibus his salebris emergas: Si fatearis cũ Scriptura & veteri Catholica Ecclesia & nobiscũ, Christum verum Deum & hominem, carne sua, quolibet tempore vno tantũ in loco, Deitate verò sua semper vbiq; existentẽ, etiam humana sua mẽte, per Deitatis suæ virtutem omnia posse audire, videre, cognoscere, & quæcunq; vult, vtraq; sua voluntate, diuina sua omnipotentia efficere, etiã in ijs, quæ loco quantumuis procul ab ipsius corpore dissita sunt, nõ secus ac si coràm ea tangeret & teneret suis manibus: singulari autem modo præsentissimum esse suis per cælum & terrã sparsis fidelibus, quos spiritus sui participes, corpori suo, velut membra capiti, palmites viti, vnit atq; inserit, vt iustitiam, vitã & salutẽ ex ipso æternam hauriant. Sed hoc modo, dices mihi, corpus Christi non erit præsens in cœna, & non manducabitur: Ne metuas, Selneccere, salua res est. Vera tibi, realis, substantialis, viuifica præsentia, communio & manducatio, non beneficiorum tantùm & Spiritus, sed per Spiritũ etiã carnis, corporis & sanguinis Chri

sti, veri, humani, naturalis, pro nobis traditi & effusi in cruce, relinquitur in cœna, sicut in toto ministerio. Nonne vniri nos & incorporari corpori Christi, mēbra & palmites eius, carnē eius & ossa eius fieri plus est, quā illud corporaliter nobis esse præsens? Cur igitur nō satis esset nobis præsens, cui etiam vnimur, & vt Paulus loquitur, κολλώμεθα? An nō satis præsens erat Christus Stephano, & Stephanus Christo, cū Christus de cælo Stephanum in terra, & Stephanus de terra Christū in cælo spectabat? Corporalis autem præsentia corporis & sanguinis in pane & in vino, & oralis piorum & impiorū manducatio & potatio tibi omittenda est, tanquam idolum à Papa excogitatum, quòd vos in impiæ absurditatis & absurdæ impietatis barathrum istud præcipitat, cum dato vno inconuenienti sequantur infinita.

Sub finem huius assertionis rursus confundit infinitam potentiam Christi hominis (quā nostri melius defendunt, quā Selneccerus) cū infinita potentia carnis, quā sæpè iā confessus est Selneccerus esse finitā, atq; in ipsa etiā exaltatione in carnē finita dona collata esse: Proprietates ergo naturæ humanæ nō retinet, verbo Dei repugnātia carni affingit, dū eius vbiquitatē defendit, siue expansionē, siue extensionē, siue diffusionē, siue omnipræsentiā, siue maiestatē, siue accidens, siue proprietatē communicatam realiter eam vocet, siue quocunq; alio nomine aut colore infuscet.

Multa hic præterit, credo, quia nō potuit cōcoquere, præsertim figmentū de tribus essendi mōdis, de modo essendi maiestatico, de esse personali. &c. Decimamquintam calumniam esse dicit, quòd hominis & humanitatis nomen confundant; Neq; tamen inficiari potest, hominem pro humanitate à se & alijs vsurpari, cum allegant ad probādam vbiquitatem corporis hæc dicta: Ego sum vobiscū vsq; ad consummationē seculi: Ego sum in medio vestri, &c. Si igitur eadē sunt, Cur nō dicatur, æquè humanitas, ac homo esse Deus? Vigilij dictū citans cōfirmat reprehensionē nostrorū: Caro propter Verbū est Deus, sicut Deus propter carnē est homo. Hoc est, propter vnionē, eodē modo homo est Deus, quo Deus est Fol. 171.

homo. Nam hic carnem pro homine sumi, manifestum est; quia opponit eam Vigilius, non Deitati, sed Deo: & exponit eam per nomen hominis in conuersione propositionis: Caro est Deus, & Deus est homo. Hîc caro pro homine sumitur necessariò, non pro humana natura. Humana enim natura non est Deus, sed homo est Deus.

In decima sexta assertione, Selneccerus specimen edit sui candoris & fidei. Ita enim citat verba Neostadianorum, vt omittat id vocabulum, de quo controuersia est. Neostadiani reprehenderunt, quod dicitur à patribus Bergensibus, Filium Dei λόγον omnia opera sua omnipotentiæ per humanam naturam suam exequi. Selneccerus (omnia) omittit, & cum particula, per, confundit in & cum carne. Ac quia probare non potest, quod ab illis positum est, anathemate ferit omnes contrà sentientes. Primùm enim multa operatur λόγος propria diuinæ & omnipotentis naturæ, mittit Spiritum sanctum, regenerat nos, sustentat omnia, intelligit & intuetur, & cum patre prouidet immutabiliter omnia ab æterno in æternum, non per animam aut carnem humanam, sed per diuinitatem suam, hoc est, per seipsum, non per aliquod medium. Quæ enim sola vi omnipotente possunt perfici, creatæ & finitæ naturæ non competunt. Deinde non reijcimus has formas, λόγον & in & cum carne sua efficere propria omnipotentiæ, sed libenter eas recipimus, dum modò non corrumpantur vestris glossis, hoc est, si intelligantur de vnione naturarum indissolubili, & de concursu operationum humanarum Christi, cum diuinis in ijsdem operibus officij: non autem de omnipræsentia & omnipotentia carnis. Tertiam formam, quòd omnes proprias omnipotentiæ operationes per carnem efficiat, non recipimus. Hæc enim palàm carnem Deificat. Et Christus expressè dicit contrarium Matth. 12. Per Spiritum Dei eijcio dæmonia: complectens omnia miracula: Item, Pater in me manens facit opera, &c.

Ex officio

Ex officio viuificationis & gubernationis, & ex honore adorationis, non sequi omnipotentiam vel omnipræsentiam carnis, sæpè declaratum est. Duro telo nostros à se petitos existimat, cum dicit: Tolle humanæ naturæ beneficium, & sustulisti omnem salutem. Verùm est: quia si partes suas in nobis redimendis non faceret humana natura, nunquam suas partes nobis præstaret Deitas. Nisi enim manducemus carnem filij hominis, vitam non habemus in nobis. Sed hinc non sequitur, humanitatem in perficienda salute nostra, omnia operari, quæ operatur Deitas: Coniunctio seu concursus, non identitas operationum diuinarum & humanarum in Christo seruatore nostro sequitur.

Tandem sic suam purgationem concludit: Multa horrenda conuitiatores suos in hac parte euomere, vtpote quod aiunt, Spiritum sanctũ nõ mitti, nisi à diuinitate exclusa humanitate, cum tamen Christus ipse dicat, cum abiero, mittã ad vos Paracletum. Quis huic Demagogo neget opus esse bono Pædagogo, qui castiget eius audaciam? Præsertim si ad ἀντιλογίας *à Neostadianis collectas, ei respondendum esset, quas præterit D. Superintendens, parum attendens, quid docti de silentio hoc vel sensuri, vel locuturi sint. Ac fieri potest, vt Selneccerus laborem tollendi* ἀντιλογίας *superuacaneũ putet, cum hæ quasi gemmæ in ipsius scriptis emineant. Hîc recordor eius, quod apud Aelianum extat de Agathone Tragœdo: hic supra modum delectabatur* ἀντιθέτοις: *Cúmq; quidam diceret, se correcturum eius dramata, exemturúmque illa* ἀντίθετα, *respondit,* ἀλλὰ σύγε γενναῖε λέληθας σεαυτὸν τὸν Ἀγάθωνα ἐκ τοῦ Ἀγάθωνος ἀφανίζων, οὕτως ἐκόμα ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνος. καὶ ᾤετο τὴν αὐτοῦ τραγῳδίαν ταῦτ᾽ εἶναι. *Idem, credo, responderet Selneccerus de remotione antilogiarum interrogatus, ijs nimirum sublatis, Selneccerum ex Selneccero tolli.*

Sed reuertamur ad horrendos vomitus conuitiatorum Selnecceri. Primum ex his esse oportebit Philippum Melanchthonẽ, qui in loco de filio Dei sic scribit: Iohan. 20. Christus dat Spiritum Fol. 172.

sanctum, quod etiam solius diuinæ naturæ proprium est. Atq; idem dicit ibi de creatione, conseruatione, viuificatione, exauditione &c. Dare Spiritum sanctum intelligunt nostri idem, quod est, agere, operari per eum, & illuminare mentes, regenerare corda. Hanc dicunt esse propriam Deitatis operationem, non communem carni. Hoc Selneccero blasphemia est. At Christo non est; qui, sicut de miraculis dicit; Pater in me manens ipse facit opera; sic de efficacia per Spiritum sanctũ; Pater dabit Spiritum sanctum petentibus; Opera nimirum diuinitatis propria, suo more ad patrem referens. Et humana natura ipsa vngitur & regitur Spiritu sancto: Spiritu enim Iesus agebatur in desertum. Non ergo ipsa vngit se vel alios. Spiritus per ipsam, quæ vult, & quæ ipsi competunt, non ipsa per Spiritum operatur. Et quid aliud est hunc Spiritum spirare, & effundere in corda, nisi per eum agere? At quis potest eum spirare, nisi à quo procedit? Si ergo Spiritum spirat in corda natura humana, videris Selneccere, quàm procul absis à Pneumatomachis. Cum abiero, inquit Christus, scilicet mea carne; Non enim Deitate abibat: mittam Paracletum ad vos: non scilicet carnis, sed diuinitatis meæ efficacia, qua per illum operabor in cordibus vestris, plenius, quàm nunc. Erat enim iam tum Spiritus Christi in illis, prius quàm dominus abiret. Donorum autem incrementum, & Symbola visibilia, vsque ad discessum carnis suæ ex hoc mundo distulit, vt illa cælitus mittens, diuinitatem suam ostenderet. Insidiosè etiam dicit, mitti Spiritum à Deitate, exclusa humanitate. In officio enim sanctificationis, etiamsi nõ caro, sed λόγος per Spiritum suum operatur, non tamen ociosa est caro. Intercedit enim pro nobis, vult ardenter & impetrat nobis à patre missionem Spiritus sancti in corda: Accedit & ipsius ministerium in voce & Symbolis externis edendis, cum afflans discipulos dicit: accipite Spiritũ sanctũ, vt in Recitat. 6. tract. 6. dictũ est. Sed quis est tam absurdus, vt, quia corpore halitũ edit, etiam Spiritum sanctum eodem spirare dicat? Nec tamen istorum pudet Selneccerum.

Aiunt, inquit, humanam naturam Christi habere, sicut se habet instrumentum alicuius opificis &c. Aut non intelligis quod dicis, aut intelligere te dissimulas. Non enim hoc scriptum est: sed negata est maior hæc vestri argumenti: Instrumento communicari essentiales proprietates artificis: siue hoc particulariter, siue vniuersaliter negemus, rectè negatur. Alioqui enim nō differret natura artificis à natura instrumenti. Quod autem Selneccerus nostris affingit, calumnia est. Scimus enim naturam humanam non esse instrumentum simile malleo Fabri. Intelligit enim & vult natura humana, suas & artificis, hoc est, λόγου actiones, & multas earum partes sua propria vi, ab artifice illo mota, peragit. Sed satis est nobis hîc ostendisse, ex operatione Deitatis per carnem, tanquam per Organum, nequaquam sequi communicationē realem idiomatum, & vos à reali communicatione depulsos frustrà confugere ad nouum commentum de effectione omniū actionum Deitatis per naturam humanam.

Aiunt, inquit, naturam humanam non posse se ipsam seruare. An ergo tu primus audebis dicere, quòd natura humana seruet aut seruare possit se ipsam? Caue tuis istis plenis prodromorum buccis, à Christo precante secundum naturam humanam; Pater serua me ex hac hora: Glorifica filium tuum &c: Caue à Luthero dicente: naturam humanam non potuisse seipsam seruare: Caue à te ipso, qui dicis in principio Recitationis 6: humanam naturam non potuisse per se, nec in se existere vnquam, sed in persona filij, siue in logo & à logo gestari, sustentari & glorificari, & nisi sic à logo sustentetur, in nihilum redactum iri.

Aiunt, inquit, humanam naturam sic accepisse omnipotentiam, vt non sit omnipotens. Et rectè quidem aiunt, mi Nicolaë: Quia etiam Deitatem sic accepit, vt non sit Deitas. Accipere enim, vt vestra lingua, hoc est, vestris ambiguitatibus vtamur, nihil hic aliud est, quàm vniri Deitati.

Hactenus, Christiane lector, de persona Christi doctrinam Selnecceri examinauimus, quæ talis est, vt, si contradictorijs locus in Ecclesia sit, præclarè & illa consistere possit. Res autem quæ videtur propter sophistarum Labyrinthos, quibus eam inuoluunt, valdè intricata, plana est docilibus, & veritatem seriò inquirentibus. Nam alijs quid facias, qui vel peruicacia impediti, vel superstitione fascinati, vel hominum autoritate abrepti, neque audire neque admittere volunt ea, quæ ab opinione inueterata, & communi hominũ errore confirmata, discrepant. Veritatis autem & perceptioni & progressioni, etsi multa, nihil tamen æquè obstat ac τὸ φιλόνεικον καὶ τὸ ἀμαθὲς, καὶ τὸ ἐμπαθές. περὶ τοῦ φιλονείκου sapientissimè Plato in Phædone, qui pauculis immutatis Selneccerum videtur lenissimè increpare his verbis, κινδυνεύεις ἐν τῷ παρόντι περὶ αὐτοῦ τούτου οὐ θεολόγως ἔχειν, ἀλλ᾽ ὥσπερ οἱ πάνυ ἀπαίδευτοι φιλονείκως· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ὅταν περί του ἀμφισβητῶσιν, ὅπῃ μὲν ἔχῃ περὶ ὧν ἂν ὁ λόγος ᾖ, οὐ φροντίζουσιν; ὅπως δὲ ἃ αὐτοὶ ἔθεντο, ταῦτα δόξει τοῖς παροῦσι, τοῦτο προθυμοῦνται. id est, Periculum est, vt mihi videtur, ne in præsentia de hoc ipso non vt Theologum te geras, sed vt contentiosum & pertinacem, more hominum indoctissimorum, qui, cum aliqua de re disceptatur, nõ ad id respiciunt, quo de agitur, sed in eo toti sunt, vt efficiant auditoribus ea vera videri, quæ ipsi posuerunt. Ac ne Selneccerus existimet se solum notari, ne Lutherum quidem ipsum, summum & sanctum virum, hac culpa omninò liberamus, de quo quoties cogito, toties venit mihi in mentem ὁμοιώσεως illius, qua & Theodoretus & Basilius vsi fuerunt, de hortulanis sumta. Vt enim hi in virgultis teneris flectendis, cum ex incuruis recta facere volunt, non rarò à medio aberrant, nimia in alteram partem distortione: Sic Lutherus, dum nimis atrociter inuehitur in eos, qui nuda signa statuerent, ἔλαθεν ἑαυτὸν εἰς τὸ ἐναντίον κακὸν ὑπὸ τῆς ἄγαν φιλοτιμίας ὑπενεχθεὶς, & imprudenter signa pro rebus ipsis arripuit, quæ secundum Augustinum seruilis est infirmitas. Habet autem ἡ φιλονεικεία duas

pedisse

pedissequas, domina propemodum ipsa deteriores, αὐθάδειαν καὶ κενοδοξίαν, quarū hæc nō tantùm secundū Theologū, μέγα πρὸς ἀρετὴν ἐμπόδιον, verū etiam, vt ego sentio, πρὸς ἀλήθειαν. Ad reliqua duo quod attinet, res dubitationem non habet, neq; enim cæcus de coloribus, quod dicitur, iudicare potest, nec rudis de controuersiis, multò minus is, qui vel amore, vel odio, vel inuidia (ὑφ' ὧν secundum Nazianzenū φιλεῖ κλέπτεσθαι ὡς τὰ πολλὰ ἡ ἀλήθεια) in hanc vel illam partem est propensior. Quemadmodum enim pondera æqualia, æqualia non videntur, cum ex lancibus altera plus æquo depressa dependet, vtq; mel etiam amarum videtur iis, quibus sensus gustandi morbo aliquo deprauatus aut corruptus est: vtq; oculo conturbato res aliæ videntur ac reuera sunt: Sic etiam animus vel ignorantiæ vitio laborans, vel aliis perturbationibus obnoxius, plerunque verum, vt Horatianis verbis vtar, malè examinat.

Iam peruentum est ad Nonam recitationem, in qua Selneccerus doctrinam de cæna Domini repetit, suam quidem, non autem veram, vt ipse loquitur. Fol. 173. Nona recitatio.

Ac initio vt melius omnia procedant, ea remouet, quæ cursum orationis impedire poterant. Conatur ergo ante omnia relegare ex cæna Domini nomen & rationem signi, symboli, typi, figuræ, significationis, hoc est, Rem Sacramenti in locum Sacramenti substituere. Nos verò conatui huic opponimus totam Scripturæ de Sacramentis doctrinam, Christum dicentem, cænam esse sui μνημόσυνον, totam antiquitatem purioris Ecclesiæ, & confessionem atq; Apologiam Augustanam, quæ inculcat, Sacramenta omnia, & in his etiā Eucharistiam, esse signa visibilia inuisibilis gratiæ Dei in Euangelio promissæ credentibus. Audiamus ergo, quid contra hæc Selneccerus.

Cænæ author, inquit, est Christus. Est author omnium Sacramentorum, sed non oralis esus sui corporis.

Instituit eam, inquit, vt Testamentum: Etiam vt symbo-

lum Testamenti. Nouum enim Testamentum vnicum est: cuius omnes electi, siue accesserint, siue non accesserint ad cœnam, fiunt participes. Instituit eam nocte illa, qua traditus est: quando nimirum caro ipsius minimè erat omnipotens & omnipræsens. Instituit eam tempore Paschali: vt scilicet ipsum tempus admoneret Ecclesiam, ipsum veteri Sacramento impleto & abolito, nouum substituisse. Verum agnum, seipsum deinceps proponere voluit: Scilicet mactatum pro nobis in cruce corporaliter, & nobis manducandum Spiritualiter, hoc est, vera in ipsum fide, in promissione Euangelij, & in Sacramentis, promissioni annexis symbolis. Vides Selneccere, quantum istæ circumstantiæ faueant tuæ causæ.

circumstantiae institutionis coenae

Hic noua fiunt omnia, inquit. Si omnia: Ergo etiam signa Sacramentalia: quæ neque noua neque vetera, sunt ipsæ res signatæ.

Typi & figuræ desinunt; futurorum scilicet, sed iam præstitorum beneficiorum substituuntur. Nam & noua aqua, nouus panis & nouum vinum, typi sunt.

Si enim, ait, nihil amplius habet hoc mysterium præter figuram: Quis hoc vnquam dixit? Etiam vetera Sacramenta habuerunt aliquid amplius, nedum noua, in quibus plenior & vberior multò est gratia Christi, quàm in veteribus.

Pergit: Si non hoc est, quod ipse Christus dixit: (Est hoc, mi Selneccere, sed nō eo modo, quo tu dicis) quid necesse habuit iterare, quod præfiguratum erat in agno? Quid ais Selneccere? Túne es tantus Superintendens & Doctor ac Professor Theologiæ in montibus Israel, & hæc ignoras, quæ iam dudum discere debuisti in pædagogio? Voluit Sacramentum rei futuræ abolere, & Sacramentum rei impletæ substituere: ne in expectando seruatore iam misso, fides nostra erraret, sed promisso ageret gratias. Olim in mittendum: Nunc in exhibitum Christum homines iubentur credere.

credere. Quam igitur causam habet mutatio prædicationis Euangelicæ, eandem habet & mutatio signorum. Duplicem calicem Christus dedit in cœna: veterem & nouũ: Sed quid hoc ad oralem potationẽ sanguinis. Veteri enim Sacramento substituit nouum. Hoc ariete putat se deiecisse regulã, quòd omniũ sacramentorum sit eadẽ ratio, quod ad res inuisibiles seu significatas, & earũ perceptionem. Sacramenta vetera cum nouis congruere vult, causis tantùm efficientibus & finalibus: Materialibus autẽ sic differre, vt materia veterum tantùm signa fuerint: nouorũ materia sint signa & res. De formalibus nihil dicit: quo sacrilegio quid possit fingi iniuriosius in Ecclesiam veteris testamenti? Vt autem hoc sacrilegium, & huius argumenti vanitas melius in lucem producatur, breuiter causas Sacramentorum expendamus. Fol. 174.

Efficiens causa est, qui instituit Sacramenta, Christus Deus & homo. Materia circa quam, duplex (sumendo iam nomen Sacramenti pro signo & re signata: licet propriè loquendo hæc differant tanquam relatiuum & correlatiuum) vna terrena, altera cælestis, teste Irenæo, quas partes essentiales nominare solent. Forma itidem duplex (rursus vt prius, sumendo nomen Sacramenti non relatiuè, sed absolutè pro actione sacra.) Ipsa nimirum actio externa legitimè obseruata: Itémque actio Spiritus sancti interna. Actiones enim ipsæ sunt sua forma. Fines autem alij præcipui, vt Christus nobis cum suis donis magis ac magis obsignetur: Alij minus præcipui, vt & ab alijs Christi fidem non professis distinguamur hac quasi tessera, & mutua inter nos caritate deuinciamur. Ex hac causarum consideratione facile etiam pueris apparet, quid Selneccerus Ecclesiæ veteris Testamenti ex Sacramentis suffuretur: Materiam enim cælestem adimit, & formam internam, id est, actionem Spiritus sancti. Apparet etiã, quàm friuolum sit ipsius argumentum: Typus & res significata non sunt idem: Materia veterum sacramentorum tantùm typi fuerunt: nouorum materia sunt signa & res.

Causæ Sacramentorum.

Ergo materia veterum & nouorum sacramentorum plurimum differt. Hic si Sacramentum relatiuè sumatur pro signo gratiæ, vt in confessione Augustana & plerunque apud veteres, falsa erit secunda pars minoris. Nam fundamentum seu materiale, tam nouorum quàm veterum Sacramentorum, est ritus externus, quo verum est sacramenta inter se differre. Res autem Sacramenti est correlatiuum, quod in omnibus Sacramentis idem est, cum omnia sint eiusdem communionis Christi signa. Sin absolutè, hoc est, in prædicamento actionis sumatur Sacramentum, falsa & impia erit prima pars minoris: nempe in Sacramentis veterum fuisse tantùm signa sine rebus. Circumcisio erat sigillum eiusdem iustitiæ fidei, cuius est Baptismus, Roman. 4. Col. 2. Idem Christus & eodem modo communicatus, est omnibus causa vitæ æternæ, ante & post aduentum suum in carnem, 1. Cor. 10. Ioan. 6. Sic & forma actionis externa differt: symbolorum diuersorum perceptio: interna nempe Christi & beneficiorum eius communicatio, per Spiritum ipsius in cordibus, est eadem in toto ministerio.

In omni testamento proprias requirit locutiones. Negabit igitur & baptismum & circucisionem esse aut fuisse testamenta.

Dicit non simpliciter figuras aut imagines nobis dari, sed res ipsas, corpus scilicet & sanguinem. Quis nostrorum dixit, simpliciter dari tantùm figuras? Quis negauit res dari ipsas? Vtraque dari sciunt & credunt, tum signa, tum res. Sed has fidei ab ipso Deo, illa manibus & ori per manus ministrorum Dei.

Sed ne fortè putemus illum oblitum moris sui, desiisse in hac recitatione ἀντιλογεῖν; notes lector quod ait, corporis externum symbolum & antitypum esse panis elementum: Paulò antè dixit figuras desiisse. Vnde igitur prodeunt iam symbola? Sed ecce egregium emplastrum huius vulneris: Veteres, ait, vsurpasse vocabula ἀντιτύπων, συμβόλων contra transsubstantiationem: Quasi verò ex patribus somniarit aliquis de hoc portento, vix ante

quingentos

quingentos annos edito. Sed appellationes illæ non tam μετουσίωσιν euertunt, quàm συνουσίωσιν, cautè à te omissam: His enim appellationibus illi non aliquando, sed perpetuò vsi fuerunt, quoties propriè loqui voluerunt.

Hoc est nouum testamentum, inquit; non vetus testamentum. Sed tamen noua Sacramenta sic sunt nouum testamentum, sicut vetera erant vetus, hoc est, noua noui, vetera veteris testamenti symbola.

Non est typus, ait, hoc est, non signum obscurum futurorum: Sed tamen imago & memoriale clarum exhibitorum bonorum. Non est nuda & repræsentatiua figura. Sacramenta sunt signa repræsentatiua, sed simul etiam exhibitiua rerũ, quas repræsentant. Neq; signa enim neq; verba, quibus Deus sua beneficia nobis promittit, nuda sunt, sed verè dantur credentibus res promissæ vnà cum signis. Non est sanguis agni typici: Attamen est vinum idem significans, quod significabat sanguis agni, seruato tantùm temporis discrimine. Est sanguis meus, scilicet Sacramentaliter: sicut & sanguis victimarum erat sanguis fœderis, seu reconciliationis cum Deo, id est, sanguis Christi.

In his rectè instituti acq..iescunt, nec de veritate verborum Christi, aut omnipotentia eiusdem quæstiones mouent: sed de veritate expositionis Selneccerianæ, & de voluntate Domini; quæ ante nobis nota esse debet, quàm de omnipotentia disputemus.

Satis est, inquit, scire, Christum esse omnipotentem & veracem. Non est satis, mi Nicolae. Necesse est etiam scire Christi mentem. Neq; enim veritas Christi te iuuat, si errorem amplecteris: nec omnipotentia tibi succurrit, voluntatẽ Dei ignoranti.

Quærit, quasi re benè gesta, quæ sit causa disputandi de verbis Christi. Hæc est causa, mi Selneccere, quòd tu obtrudis nobis verbum hominum pro verbo Christi. Hoc vbi fit, profectò grauissima & necessaria causa disputandi est. Non enim, vt tu fingis, neq; verbis, neq; re ipsa negamus manducationẽ corporis, quam

Christus nos docuit, sed oralem vestram, vt inuentum Antichristi, non tantùm verbis, sed etiam re ipsa negamus.

Fol. 175. Non est igitur, quòd adeò exhorrescas nostram malitiam aut incredulitatē. Christo enim credimus, etsi Selneccero & Papæ non credamus. Tuā potius idolorū defensionem exhorresce, et turbas, quas ea concitas, & de his reddēdas olim Deo rationes. Post hoc exordium, quo rationem signi, hoc est, Sacramenti, à Sacramentis & ab oculis hominum remouere conatus est, peruersores Testamenti Christi in duo agmina diuidit, Sacramentarios & Pontificios: omnes nimirum hæreses nostri temporis, nostris Ecclesiis annumerans, præclaro sanè candoris & pudoris exemplo.

Fol. 176. Hic Selneccerus pro suæ iurisdictionis amplitudine, nos ex ciuitate Christiana relegat Capernaumum. Sed operæpretium est audire, quod ob crimen hoc exilio nos mulctet. Dicitis, inquit, durus est hic sermo; vt dicebant Capernaitæ. Quid si dicente Selneccero, Deum velle, aut facere, aut asseuerare contradictoria, respondeat aliquis, Durus est hic sermo: An propterea is erit Capernaita? Non arbitror. Quem ergo sermonem durum appellantes, sunt Capernaitæ? Sermonē Christi, quòd vitam æternā nemo possit habere, nisi mādūcata carne filij hominis. At nobis hic sermo Christi nec durus, nec auditu grauis est; nullam duritiē, nullam obscuritatē, nullam contradictionē in eo agnoscimus, sed in manducatione carnis ipsius in cœna & extra cœnā, secundū ipsius declarationes intellecta, dulcissimā consolationem, & vitā æternā inuenimus, vt quibus ista Christi verba, Spiritus & vita sunt. Vester verò sermo, Selneccere, de corpore latente in pane, & oraliter manducando, nobis durus & abominabilis est. Nihil enim cū sermone Christi habet cōmune, sed ei multis modis repugnat. Non peccabant Capernaitæ, quòd esu orali carnis Christi offendebantur: Nihil enim de hoc illis dixerat Christus: Sed in eo peccabant, quòd manducatione carnis Christi offendebantur, eā intelligentes de orali manducatione, de qua nullū ipsis verbū Christus fecerat. Sic ergo tuū argumentū inuertimus, Selneccere: Qui doctrinā Chri-

Manducare carnem Christi

sti de manducanda ipsius carne per Spiritũ & fidẽ, detorquent ad manducationẽ corporalem & oralẽ, in Capernaitarũ errore versantur. Tu autẽ cum tuis gregalibus hoc facis. Meritò ergo vobis ius illius ciuitatis relinquimus. Nobis enim cũ Capernaitarũ opinione nihil est cõmune. Non doctrina Christi: sed vestra cõmenta Capernaitica nos offendunt meritò. Nã quòd vobis est sermo mollis & amabilis, carnẽ Christi oraliter comedi, qui non tantũ Capernaitarũ, sed etiam Augustini iudicio flagitiosus est, eò non plus laudis meremini, quã idololatræ, quibus nihil dulcius neq; antiquius est suis idolis. Neq; vos à Capernaitis seiungit supernaturalis vestra mãducatio oralis. Nã Christus ab omni manducatione corporali, sua respõsione Capernaitas reuocat, siue visibili et crassa, siue inuisibili & subtili: neq; vllũ deinceps, siue in cœna siue alibi, oralẽ suæ carnis esum docuit. Quin vos ne à crasso quidẽ Capernaismo liberat, Berẽgariana παλινῳδίας approbatio, in qua dicitur, Christi carnẽ fideliũ dentibus atteri. Se igitur prius à Capernaitis expediat Selneccerus, quã alios Capernaitas esse clamitet, imitatus mulierculas inter se litigantes, quæ cũ obiecta refellere nequeunt, cõuitia vndecunq; arrepta regerunt. O Theologũ, quouis alio, quàm hoc nomine dignũ. Vnde ortæ sunt, inquit, immanes istæ et blasphemæ voces Creophagia, Sarcophagia, Thyestææ epulæ & c. A quibuscunq; ortæ sint appellationes, illi sanè minus peccarunt, quã vos, à quibus res ipsæ ortæ sunt et defenduntur. Tollite igitur mõstra opinionũ, et statim euanescent eorum nomina. Hoc dum non facitis, nihil moramur, si nos Capernaitis, vel alijs accenseatis, dum modò Christus nos inter illos non numerat. Non enim nos ab ore Christi ad nostram rationem, sed vos ab ore Christi ad vestra somnia & ad idola Papæ receditis.

Conviciator Selneccerus

Sunt igitur calũniæ rancidæ & putidæ, ad quas à nostris plus millies responsum est, quæ nugatur de varijs interpretationibus, quas Christi verbis affingamus. Quantũ ego audiui, hoc Selneccerus in mãdatis habuit, vt graue aliquod scriptũ opponeret admonitioni Neostadiensi. Hoc autẽ ταυτολογίαις, ἀντιλογίαις, ἀειλογίαις,

mendacijs, conuitijs, ridiculis narrationibus, Epistolis hinc inde compilatis graue est: quæ omnia si eximantur, φελλοῦ κουφότερον appareat, & vix magna professo purpureus latè qui splendeat vnus & alter pannus assutus conspiciatur.

Examinentur, quæso, glossæ Sacramentariorum, & tum apparebit Selnecceri futilis accusatio.

Quidam, inquit, hoc est corpus meum, figuram & repræsentationem corporis exponunt. Non hic cum nostris ipsi lis est, sed cum Tertulliano, Augustino & alijs. Horum interpretationes æquum erat Selneccerum antè refutare, quàm Sacramentarios condemnare.

Aliqui Metaphoram comminiscuntur. Dicat nobis Selneccerus, quid sit edere corpus Christi. Si propriè hoc dictum putat, fruatur sanè suo sensu, & bellum indicat Capernaitis: Sin figuratè, tropum nobis nominet.

Aliqui Metonymiam &c. Si Sacramenta sunt signa secundum Augustinum, & panis est Sacramentum corporis: etiã hunc tropum nobis Selneccerus nominet.

Quidam allegoriam afferunt: Sicut panis est cibus corporis, ita corpus meum est cibus animæ. Hoc scholion aliunde affertur ex sexto capite Ioannis: Sed Verbis Christi non tenebras offundit, imò lucem affert. Cùm enim audimus, panem appellari corpus Christi, id est, Sacramentali phrasi, symbolum vel signum corporis, statim quærimus, qua de causa de pane prædicetur, quòd sit corpus Christi; nempe ad docendum & testificandum, nos corpore & sanguine Christi ali ad vitam æternam, non tantùm sicut panis & vinum alunt vitam corporalem, sed etiam tam certò, quàm panis & vini symbola nobis porriguntur.

Quidam δεικτικῶς explicant; hoc, quod vobiscum ad mensam videtis sedere, est corpus meum. Quid illæ ineptiæ obsoletæ Carolostadij ad nostras Ecclesias? Pudeat te.

Quidam

Quidam corpus Christi præsens esse aiunt, virtute Spiritus sancti. Theologus hic nihil putat esse præsens, nisi quod manibus teneat, & ore comprehendat. Sed de his paulò pòst.

Quidam corpus absens à cœna, accipi fide perhibent. Fatemur nobis esse absens loco; sed præsentissimum vnione nostri cum illo, per habitantem in eo & in nobis Christi Spiritum. Præsentiã enim spiritualem non impedit corporalis absentia, quarum vtramque nos non finximus, sed ex Christi verbo didicimus. Quis iam non videt, istarum loquutionum omnium eandem esse sententiam, excepto illo Carolostadiano τῦτο? Apage igitur istas nænias post tot refutationes.

Alius autem labor tibi incumbit, Selneccere, in his glossis & sententiys conciliandis, quæ in vestris libris reperiuntur: Panis est propriè corpus Christi. Panis est sacramentaliter corpus Christi. Non panis, sed in pane, cum pane, sub pane est corpus. Quod Christus & minister in manu habet, & porrigit, est corpus Christi. Ante & post sumtionem non est præsens Christi corpus, sed pronunciatis verbis super panem, existit in eo corpus. In hoc & omnibus panibus, iam anteà præsens est corpus Christi: Sed prolatis verbis supra panem, corpus cum hoc pane recipitur ore, quod non fit cum aliys panibus. Corpus Christi immobile secundum locum, & iam antea existens in sumente, sumto hoc pane incipit operari in homine vitam aut mortem. In pane corpus est definitiuè. In pane corpus est secundum modum dextræ Dei. Horum concordiam vbi monstraueris Selneccere, nostras tum nobis discordias obyce.

Ex verbis Christi: Accipite, edite, hoc est corpus meum: vult elicere Selneccerus, corpus Christi ore manducari. Sed ipse suis retibus captus hæret. Dicit, verum Christi corpus comedendum nobis dari. Dicimus idem nos: Sed iam respondeat Selneccerus; verbum, edite, quò referat; Ad panẽ ne, an ad corpus. Si ad corpus refert, & propriè accipit, Capernaumo, quemadmodum Fol. 177.

à Schonhouio admonitus est, maturè egrediatur, ne portis occlusis, intra oppidum remanere cogatur. Quid enim edere propriè aliud est, quàm dentibus conscindere, conficere, & in ventriculum traÿcere? Hoc modo si negat edi corpus Christi, vel aliud substituat verbum, vel metaphoricè & impropriè de corpore vsurpari concedat, propriè verò de pane. Expediat se hîc Selneccerus, si potest. De corpore igitur imaginario Ecclesiæ nostræ neq; docuerunt aliquid, neq; docent. Corpus autem in cœna datur nobis, & verum, substantiale, essentiale, crucifixũ pro nobis, spiritualiter præsens, corporaliter absens, quod nunc nõ videmus, quia ipsum in cælo, nos autẽ in terra sumus; Et Symbolicũ, mysticũ, metonymicũ, figuratum, id est, Symbolũ seu mysteriũ corporis, per figuram seu Metonymiã dictũ Christi corpus, & intelligibile, hoc est, visibilis panis, per quem verum corpus Christi intelligitur, mente & fide accipitur, sicut per verbum Euangelÿ: Sed intereà verum corpus non est in Symbolico, neque ori corporali manducandum datur vt Symbolicum: Hoc enim Christus nunquam dixit.

Fatemur panem esse verum corpus pro nobis passum, & vinum verum sanguinem pro nobis fusum; At non realiter, non naturaliter, non substantialiter, non essentialiter (hoc enim dicere vel diaboli reformidet audacia) sed sacramentaliter.

Ignatÿ ergo dictum Theologus iste non intelligit, nec videt sacramentalem esse phrasin, qualis est illa, panis est corpus Christi. Non videt, illos, de quibus Ignatius agit, veritatem carnis Christi negasse, atque ita etiam negasse, Eucharistiam esse carnem, id est, Symbolum veræ carnis: Ideóque potius ipsam cœnam repudiare maluisse, quàm fateri, eam esse veræ carnis in Christo. Atque hos Selneccerus ineptissimè Capernaitas & Sacramentarios appellat. Neq; enim Capernaitæ de veritate carnis dubitare poterant, quam videbant: neque nostrum quisquam vnquam veritatem carnis negauit, sed eam potius argumento

mento à signo ad veritatem rei signatæ, veteribus vsitatißimo, aduersus vos, illam in spectrum, aut phantasma, aut in Spiritum, aut in Deitatem transformantes, confirmant, eiusq; tuendæ caussa, nec rogos extimescunt, nec enses, nec laqueos, nec vllum aliud vel præsentißimum etiam periculum.

Apparet hinc vanitas duorum criminum, quæ nobis impingit. Simplici veritate verborum Christi, ait, nos offendi. Non hac offendimur, Selneccere, sed vestris verborũ Christi corruptelis, cum doctrina Scripturæ de cœna & de corpore Christi pugnantibus. Vituperat nos, quòd de modo præsentiæ & manducationis soliciti simus. Atqui nõ opus est nobis hîc solicitudine, cũ & præsentiæ, & manducationis modũ, quantum satis est, in Scriptura expressum habeamus, vestram verò corporalem præsentiã & oralem manducationem, tanquam cum Scriptura pugnantẽ, prorsus repudiemus, quemcunq; eius modũ fingatis, ac propterea vobis relinquamus illas magistrales quæstiones, An corpus Christi descendat in ventrẽ, & similes. Quòd autem contra istum vestrum præsentiæ & manducationis modũ disputamus, id nobis vestra exprimit importunitas, qui dicitis, Christi corpus ori præsens esse, & ore comedi, quorũ nos vtrũq; fidei tribuimus, & rectè. Nam cælestis res, qualis est corpus Christi, soli fidei præsens, etiam sola fide, nõ ore corporis percipitur. Quorsum igitur hæc? Capernaitas putare, non posse constare modum manducationis, nisi sit physicus, Capernaiticus, & sensibilis. Hîc Selneccerus secum, non nobiscum loquitur. Eò enim omnia nostra argumenta tendunt, vt Capernaiticam & physicam manducationem euertant.

Certum est, inquit, nihil decedere veritati corporis Christi, imò vniuersa tollitur, per vbiquitatem.

Agit, inquit, corpus in nos potentia diuina. Vbi hoc aut fictum, aut pictum, aut scriptum est? Quis igitur credat, carnem & ossa agere in nos potentia diuina. ἔῤῥε κακὴ γλήνη.

Distribuitur, inquit, sine violatione sui: Addendum est; Et sine existentia substantiæ suæ in pane aut in terris.

Ipſe dat nobis corpus ſuum. Rectè: Sed non in os, vt Lutherus olim ipſe ſcripſit: Ac ſi ipſe dat, ſacerdos non habet illud in manu.

Addit, corpus Chriſti ore corporeo non accipi ſenſibiliter & viſibiliter, neque dentibus teri &c. At neque editur ore corporis inuiſibiliter & inſenſibiliter. Vtrumque enim æquè falſum, abſurdum, & verbo Dei aduerſum eſt. Negat dentibus teri corpus: Sed viderit ipſe, quo pacto hic ſecum aut cum Luthero conſentiat, Palinodiam Berengarij honorificè commendante, in qua verba illa, Dentibus atteri corpus, disertè ponuntur. Si ſic volebas tuam cauſſam tueri, Selneccere, nō erat operæpretium, te à Lipſenſi Senatu petere, vt concionandi labore te leuaret, quò ſcriptionibus contra Sacramentarios vacare poſſes. Non enim debes exiſtimare, ſatis eſſe ad victoriam, ſi à tuis aliquot mancipijs, quæ, ſi dixeris, æſtuo, ſudant, acclametur tibi, pulcrè, benè, rectè: ſed cauere, ne, ſi publicæ piorum & eruditorum cenſuræ ſubijciantur tuæ chartæ, idem tibi accidat, quod olim Euangelo cuidam Tarentino, qui cùm ineptiſsimè fidibus caneret, paraſitorum tamen adulationibus inflatus, Delphis cum excellentiſsimis artificibus certare auſus fuit: cum autem citharam agreſtiùs tractaret, atq; ita, vt in ipſo ſtatim prooemio aliquot fides rumperet, non ſolùm propter inſcitiam à ſpectatoribus deriſus, verùm etiam propter impudentiam, mandatu Agonothetarum, flagris cæſus, theatróque eiectus eſt.

Ait, nobis dari in cœna corpus ad dextram Dei euectum. Quid ergo fiet de prima cœna? Nondum tunc erat ad dextram euectum corpus. Ergo nec vbique, nec in pane exiſtebat. Eſt autem eadem manducatio euecti & nondum euecti ad dextram corporis, quam neque exaltatio mutat aut promouet, nec humilitas impedit. Sicut diſcipuli tum exaltandum, ita nos iam exaltatum Chriſtum fide edimus, eiúſque membra efficimur. O quàm velles hic, iam in vtero matris Chriſtum aſcendiſſe in cælum.

lum, & consedisse ad dextram Patris suo corpore, vt obtineres etiam in prima cœna oralem manducationem: Et tamen negas strenuè, te confundere hos articulos fidei.

Corpus nobis datur, inquit, & nos secum vnit. Multum ἀκυρολογίας est in his verbis. Primùm non corpus nos vnit secum, sed Christus per suum Spiritum, vnit nos & incorporat suo corpori, veluti membra capiti: Qui enim adhæret Domino, est vnus Spiritus. Secundò, si sic datur nobis corpus, vt nobis vniatur, nihil hîc rei est orali manducationi. Vnitur enim & in cœna & extra cœnam nobis in terra existentibus, corpus Christi, non in terra, sed in cælo existens, copulante nos cum illo eodem Spiritu, in illo & in nobis habitante. Tertiò, Si corporis manducatio est vnio nostri cum illo, excluditur manducatio impiorum, qui Christo nunquam vniuntur. Qui enim in ipso manet, viuet propter eum.

Dicit, Corpus in nos agere vel ad vitam vel ad iudicium. Fol. 178. Multus es & audax in asseuerationibus & repetitionibus: sed nullus in probatione. Nisi probes è Scriptura, corpus Christi oraliter manducatum operari in hominibus vitam & mortem, non refutas iustam nostrorũ querelam de hoc ipso idolo vestro, quòd vitæ & salutis effectionem tribuitis orali manducationi, quam Scriptura clamat, sola fide in Christum nobis contingere. Porrò ad iudicium quod attinet, caro Christi manducata nulli est mortifera: sed aspernantiũ hunc cibum profanitas illis est mortifera.

Modum præsentiæ ait Deo esse notum. Atqui nobis etiam hunc verbo suo patefactum Deus notum esse vult. Estq́ue is modus Deo facilimus: Quia facilè Spiritui est coniungere membra existentia in terra, cum capite in cælo existente, multò arctius & efficacius, quàm quæ in loco eodem coniunguntur.

Negat eos posse Christianos esse, qui non credant, apud Deum non esse impossibile omne verbum. Hoc si absq́ue omni restrictione seu declaratione intelligit, non erit ei Christianus Apostolus, qui

dicit: Deum non posse negare se ipsum. Sin autem intelligit, esse Deo poßibile omne, quod naturæ ipsius non repugnat, non ferit nos hoc fulmen, qui Dei omnipotentiam melius asserimus, quàm Selneccerus. Sed aliam ille hypothesin intelligit in hac thesi. Qui omnipræsentiam & oralem esum corporis Christi non credit, hic Selneccero non potest esse Christianus. Ergo nec ipse Christus, qui eam non docuit, neq; totus Apostolorũ, & veteris Ecclesiæ cœtus, qui eam ignorauit, erit illi Christianus: Ergo neq; Melanchthon, quem Selneccerus Christianum agnoscit, Schmidelinus autem omnipræsentiam carnis, & corporalem esum non credidisse probat solidè. Nihil igitur hæc aduersus nostros, qui vt Deo suam omnipotentiã asserant, tanta flagrant inuidia, dum probant illã Dei essentialẽ proprietatem in creaturam nullã cadere. Non quæstio est de omnipotentia Dei, sed de voluntate eius & promißione, de vero verborũ Christi sensu, à quo contradictoria excludũtur, ne Deus mendacij arguatur. Non quæritur iã, quid Deus poßit facere; sed an velit facere, quod Selneccero videtur, de eo quæritur.

Fide, inquit, agendum est, non ratione. Sed sine ratione, mi Selneccere, ex verbo Dei petita, fides non consistit. Mirari sanè aliquis posset, vos tam prolixè declamitare de ista maiore vestri argumenti propositione: Credendum esse, quod Christus dixit & promisit, quia αὐτὸς ἔφα; de qua nemo vel dubitat vel disputat: nisi appareret vestra probationis inopia, cùm ad Minorẽ ventũ est. Triumphatis scilicet, vbi nemo vos oppugnat: vbi autẽ pugnandi datur copia, fugitis ex acie. Christum dixisse id, quod vos dicitis, monstrandũ erat. Nam quod ille dixit, verum esse non dubitamus. Quod autẽ vos dicitis, an verum sit, magna & iusta quæstio est. Audacter hic Selneccerus reijcit hanc locutionem: Totus Christus est vbiq;, sed non totum Christi. At probat eam Melanchthon in Coloss. probat eam Damascenus, probant eam omnes scholastici: Et Lombardus eius optimam rationem affert. In sepulcro, inquit, non erat totum, etsi totus; sicut Christus totus est

Deus,

Deus, totus homo, sed non totum: quia non solùm est Deus vel homo, sed & Deus & homo. Totum autē ad naturam refertur, totus autē ad hypostasin, sicut aliud & aliquid ad naturā, alius verò & aliquis ad personam refertur. Citat August. ad Felician. qui dicens, Christum esse vbiq; totum, vbiq; perfectum, pro eodē sumit totum & perfectum: Et Damascenum lib. 3. cap. 7. Totus Christus est Deus perfectus, nō autē totum Deus est. Non enim solùm Deus est, sed & homo: & totus homo perfectus, non autē totum homo: nō solùm enim homo, sed & Deus. Totum enim naturæ est repræsentatiuum: totus autē hypostaseos: sicut Aliud quidē est naturæ, Alius, hypostaseos. Hæc illi. Quæ est igitur arrogantia & petulantia istius Selnecceruli, quæue autoritas, vt postulet his veterum & recentiorum testimonijs vera ratione nitentibus, suam absq; ratione prolatam asseuerationē audiri? Totus Christus est vbiq;, hoc est, indiuulsus, siue, vt August. loquitur, perfectus. Perfectio autē Christi consistit in vnione duarū naturarū, nō in omnipræsentia carnis. Vbicunq; est λόγος, siue intra siue extra corpus suū, est & manet vnitus carni: quia idē est extra & intra eā existens. Ita λόγος vbiq; ἔνσαρκος, nusquam ἄσαρκος est, etiam vbi extra carnē existit, nec propterea fit ἄσαρκος, quia extra carnē existit, cùm idem simul sit in carne. Hoc etiā te fateri cogeret absolutæ vbiquitatis relegatio: nisi eam subinde reuocares postliminio. Ita quidquid facit Christus, totus & indiuisus facit, sed non totum Christi, id est, nō quidquid est in persona Christi, est vbiq;, facit & patitur, q̄dquid facit & patitur Christus: vt Lutherus declarat per similitudinē hominis vulnerati, qui tamen in pede tantùm habeat vulnus. Si ne hoc quidē intelligis Selnecere; admoue aurē, ne audiant studiosi Lipsenses, quod tibi dicā. Totúsne & perfectus siue integer scripsit Selneccerus suas Recitationes? Non credo diuisum fuisse: nisi fortè non fuerit apud sese. Sed scripsítne illas totū Selnecceri, id est, quidquid in Selneccero est? Neq; istud credo: nisi tu naribus etiam & auriculis & pedibus eas conscripseris.

Bernhardum allegat non bona fide. Etsi enim notum est, scripta illius propter tempora recentiora, quibus vixit, non vbiq; esse sincera: tamen quo modo dicat, Christum præsentem habere præ manibus, satis explicat ipse, cum dicit, in Sacramento; & sicut hæreditatem habemus in annulo tradito, sic nos habere gratiam inuisibilem in signo visibili. Vnde manifestum est etiam, quomodo dicat, Christum vnum in multis, eundem in diuersis locis esse, spirituali nimirum præsentia. Sententiam ergo Bernhardi malè interpretando corrumpit. Bernhardus enim inquit: Tria in Sacramento altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus, species est panis & vini (id est, panis & vinum est. Sic enim Augustinus etiam sæpè locutus est, quod barbari Monachi non intelligentes, extruxerunt inde monstrosam illam μετουσίωσιν, à qua συνουσίωσις tantùm præpositione differt.) Quod autem (inquit Bernhardus) sub specie illa credimus (id est, fide accipimus, pane & vino significatum, sicut verbis Euangelij) verum corpus est & sanguis Christi. Hoc si fide ederis & hauseris, virtutem spiritualem senties. Vt videat Lector hanc esse Bernhardi mentem, in Scriptis ipsius non supposititijs, ascribam verba ipsius, Sermonis de cœna: Sacramentum dicitur sacrum signum, siue sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantùm; alia verò propter alia designanda: & ipsa dicuntur signa & sunt. Vt enim de vsualibus sumamus exemplum: datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est; ita vt iam dicere possit: Annulus non valet quidquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua inuestire curauit suos, vt inuisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta; ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc denique ipse baptismus, initium Sacramentorum omnium,

omnium, in qua complantamur similitudini mortis eius. Sicut enim in exterioribus diuersa sunt signa, & vt cœpto immoremur exemplo, varia sunt inuestituræ, secundum ea, de quibus inuestimur; Verbi gratia: Inuestitur Canonicus per librum; Abbas per baculum; Episcopus per baculum & annulum simul, sicut inquam, in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ Sacramentis. Quæ est gratia, vnde per baptismum inuestimur? vtiq; purgatio delictorum. Huius gratiæ Sacramentum prius erat circumcisio. Sed si deletum est peccatum per baptismum, cur adhuc manet cupiditatis fomes? Confidite: quia & in hoc gratia subuenit: Et vt securi sitis, Sacramenti dominici corporis & sanguinis inuestituram habetis, &c. Et in cant. serm. 33. Habeo & ego verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumēti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ palea: velamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitijs Spiritus quantulumcunq; accipiunt condimentum. Et post pauca: Vides ergo distare inter pabula, quantum & inter loca; & sicut cœli exaltantur à terra, ita habitantes in eis, bonis potioribus abundare. Hæc Bernhardus, ex quibus discemus vbiquitatem & oralem manducationem carnis, quando Selneccerus eam nobis hinc elicuerit.

Speculatorem autem Durandum, hac in parte cum toto grege scholasticorum, & speculationibus eorum Missalibus Selneccero relinquimus. Hi enim sunt Patres Selnecceri & fratrum ipsius, Aetas parentum peior auis, tulit Quos nequiores, vtinam non mox daturos, Progeniem vitiosiorem. Minatur enim hoc vbiquitas, quam isti scholasticorum erroribus addiderunt. Sed non serpet gangræna hæc vltra metas à Deo fixas.

De mutatione panis (quam iste Superintendens non intelligit esse sacramentalem) verba citat ex Apologia anno 31. edita. Fol. 179.

Sed dissimulat parum candidè, ea ipsa verba, tanquam fauentia μετουσιώσει, eodem anno sublata esse à Theologis Vuitebergensibus, qui exemplaria prius edita in præfatione editionis suæ improbarunt. Sed vide vim veritatis, quæ interdum etiam maximè aduersantes secum loqui cogit. Dicit panem benedictionis non esse amplius simplicem vulgaremq́; panem, sed corpus Christi, sicut Theodoretus propterea panem nominat symbolum, & Macarius ἀντίτυπον. Si panis ideo nominatur corpus Christi, quia symbolum & antitypon est corporis: ergo non quia latibulum est corporis: & mutatio est symbolica, vt ex pane, qui nihil nisi panis erat, fiat corpus Christi, id est, nō amplius vulgaris panis, sed Sacramentū corporis Christi. Vbi enim didicit Selneccerus hanc significationem verbi, mutari; vt panē in corpus Christi mutari sit idem, quod corpus existere in pane? Etiam aqua baptismi eodem modo, quo vinum cœnæ, mutatur in sanguinē Christi, id est, in sanguinis symbolum. Hæc est apud veteres mutatio Sacramentalis: quod nemo negabit, nisi qui vel eos non legit, vel planè cæcutit, vel insigniter est impudens.

Putat rursus Selneccerus, se è Capernaitarū albo posse eximi, si dicat, corpus Christi non dilaniari dentibus, sed inuisibili et insensili modo integrum deglutiri. Quæcunq; enim edimus ore corporis, vel dentibus frangimus & cōminuimus, vel illæsa in ventriculum traijcimus. Ostendat nobis tertium edendi ore modum. Omnem igitur corporalem & oralem manducationem carnis Christi, siue visibilem siue inuisibilem, tanquam Capernaiticam Patres abominantur.

Fol. 180. Accusatos fuisse olim fatetur ἀνθρωποφαγίας Christianos ab Ethnicis, mysteria non intelligentibus, aut malitiosè calumniantibus. Sed à Selneccero quæro, qua ἀπολογίᾳ veteres vsi fuerint ad crimen illud ἀνθρωποφαγίας diluendum? nónne Spiritualis manducationis assertione calumnias illas refutarunt? Legantur Iustini, Cyrilli & aliorum responsiones.

Hactenus

Hactenus vidimus, quomodo Selneccerus profligârit Capernaitas, verba Christi de orali manducatione intelligentes: quomodo item se ab illis discreuerit, oralem esum defendentem, & nos cum illis coniunxerit, repudiantes id ipsum, quod Christus in Capernaitis damnabat, & in Christi explicatione acquiescentes. Videamus iam, quomodo Papistas expugnet, ac se ab illis expediat.

Transelementationē ait ignotam fuisse veteri Ecclesiæ. Id verum est. Sed mutatio tamen Sacramentalis, id est, elementorum in Sacramenta seu symbola rerum Spiritualium, non fuit illis ignota. Corporalis autem præsentia carnis, & comestio in pane, fuit æquè veteribus ignota, ac mutatio panis pontificia. Vide autem Lector, quàm cautè hîc loquatur Selneccerus, velut super prunas aut oua ingrediens. Panis, ait, est corpus Christi, non mutatione naturali, sed ratione Sacramentali. Cur mutationi substantiali non opponit mutationem Sacramentalem, quam Patres fatentur liberè? Nimirum, quia videbat, si panem ipsum fateretur fieri corpus Christi, se sua existentia corporis in pane iam excidisse, & vel ad Papistas, vel ad nos, velit nolit, sibi transeundum esse. Ideò non mutationem, sed rationem Sacramentalem dixit, in qua tanquam latius patente vocabulo, suam συνουσίωσιν hominibus posset obtrudere. Sed frustrà. Sacramentalis enim siue ratio siue mutatio est non tantùm cœnæ, sed omnibus Sacramentis communis, qua videlicet elementa terrena fiunt signa rerum cælestium, ac proinde harum quoque nominibus appellantur.

Addit huic amphibologiam alteram, dicens: Cùm panis benedictionis nobis distribuitur et datur, simul etiam corpus Christi nobis dari, quandoquidem panis est communicatio corporis Christi. Hoc & nos docemus Selneccere: Sed heus tu; non datur vtrunque panis & corpus eodem modo, aut eodem ore come-

dendum: sicut nec in baptismo eodem modo lauamur aqua & sanguine. Et κοινωνία corporis non nisi per fidem in Christum cuiquam contingit, nequaquam verò per esum oralem: id quod ex Paulina huius communionis descriptione, clarius est luce meridiana.

Ait, à nobis symboli rationem & repræsentationem excogitatam esse, cùm ipse paulò antè fassus sit, panem esse symbolum corporis; idemq; dicant omnes veteres, qui de Sacramentis & de cœna scripserunt: Et Christus ipse μνημόσυνον dicat esse corporis sui, non latibulum: ac passim Scriptura Sacramentis nomen signorum tribuat. Qua igitur fronte à nobis has appellationes & locutiones excogitatas esse dicis?

Pontificios reprehendit, quòd transsubstantiationem finxerint, quasi Selneccerus laude dignus sit, quòd consubstantiationem illius loco substituat, quæ non video cur præferenda sit illi, nisi fortè præpositio σὺν præstat τῇ μετὰ. Melanchthon ait, à Papistis conuersionem substantiæ panis in carnem, à vobis vbiquitatem esse excogitatā, vt corpus includatis pani. Differre autem Flaccianos à Pontificijs tantùm præpositionibus, vel hinc potest intelligi, quòd Papistis multò est æquior, quàm nobis. Nostram enim sententiam dicit contradicere & resistere confidenter verbis Christi. Atqui nos cum Christo dicimus, Panem esse corpus ipsius, & μνημόσυνον corporis: Selneccerus dicit contrà, non panē, sed carnem inuisibilem existentem in pane esse corpus Christi: quod Christus non modò nunquam dixit, sed etiam multis modis in tota de corpore suo & de Sacramentis doctrina refutauit. Pontificijs verò nullam nisi de crustulo sacro mouet litem: de præsentia corporis in pane vel specie panis, cum illis se coniungens. Atque hoc ipsum est, quod querimur, vos idolomaniam Pontificum tueri in populo. Hæc enim non panis mutatione, sed corporali præsentia latentis in pane Christi, nititur. Hoc tamen illius fundamentum vos ita defenditis, vt vos vnà cum

illis

illis euertatis: quod intelligentes ex Pontificijs non planè stupidi, haud magnam pro hac opera vobis habere possunt gratiam.

Tribus rationibus oppugnat transelementationem, quarum prima & tertia magis ipsum, quàm Papistas lædunt. Christus dixit, Hoc est corpus meum: non, hoc conuertitur in corpus meum. Atqui, si nunc est corpus, quod prius non fuit, necesse est panem in corpus esse conuersum: ac fatentibus Patribus, Papistæ mutationem panis obtinent, vel inuito Selneccero. Posita verò mutatione panis in corpus, & Selneccero negante mutationem substantialem, nos obtinemus sacramentalem, id est, symbolicã, qua panis ipse sic fit corpus Christi, vt nihilo minus maneat panis, vt Theodoretus inquit, τὴν φύσιν οὐ μεταβαλών. Copulam & vnionem ait Sacramentalem esse. Ergo Sacramentis omnibus communis est. Et hæc vnio est idem, quod Sacramentalis mutatio, ac tam non requirit coniunctionem localem, quàm conuersionem substantiarum inter signa & res signatas.

Sacramentalem vnionem negat esse corporalem copulam, & dicit tamen vnionem esse panis & corporis reuera præsentis. Si panis & corpus præsens vniuntur, quis tam stupidus est, vt corporalem vnionẽ esse non intelligat? aut si nulla est corporalis copula, vnde tandem corporalis ad panem præsentia?

Ait, vetustatem piam has propositiones inter se contulisse: Deus est homo: Panis est corpus: Et rectè quidem hac collatione contra μετουσίωσιν vtitur: quia Patres volebant ea docere contra Eutychianos, & contra vbiquitarios: sicut vnum Sacramentum constituunt panis & corpus; ac propterea panis esse corpus, et corpus panis dicitur: & tamen distinctæ manent naturæ panis & corporis: sic licet vna persona sint Deitas & humanitas, & propterea Deus homo, & homo Deus sit, tamẽ distinctas manere Deitatis & humanitatis naturas. Hîc tamẽ vel astutè vel imperitè reticet, quid sit vnio Sacramentalis, quam relatiuam & significatiuam esse nouimus in omnibus Sacramentis, non physicam Fol. 181.

aut localem: & quantum differat ab vnione personali, quæ existentiam vnius naturæ in altera requirit.

Secunda ratione, quòd Paulus toties nominat panem, etiam in vsu, et nos vtimur. Sed ea obtinemus, cùm panis sic fiat corpus Christi, vt maneat panis, mutationem esse symbolicam. Eneruat verò hanc esus corporis oralis. Sic enim facile est Papistis dicere: corpus nominari panem, quia fuerit & videatur panis esse.

Tertiam rationem, non minus, quàm primã, haud dubiè suauiter ridebunt docti inter Iesuitas. Cùm enim Selneccerus admittat inuisibile miraculum corporis præsentis in pane: non tantùm sine accidentibus, sed etiam sine proprietatibus eius essentialibus & systaticis: quare non ponant illi accidentia panis sine subiecto? O egregium refutatorem Pontificiorum. Longè aliter Christus refutat eos, dicens: hoc facite in mei memoriam; Hoc poculum est nouum Testamentum; & Paulus, Panis est κοινωνία *corporis, qua sumus vnum corpus in Christo; In vnum Spiritum omnes potamur, & in vnum corpus baptizamur.*

Fol. 182. *Ait autem, quia manent accidentia panis & vini, non posse locum esse transsubstantiationi. Quid dicis Selneccere?* ποῖον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων? *Adeóne præ feruore huius velitationis contra Pontificios, obliuisceris omnipotentiæ diuinæ, cui non minus facile sit accidentia sine subiecto sustentare, quàm subiectum exutũ omnibus accidentibus & proprietatibus suis essentialibus? Quin etiam vlterius prouehitur: saluis accidentibus panis non posse consubstantiationem fieri. Atqui paulò antè dixisti, corpus reuera, hoc est, substãtia sua præsens in eodẽ loco cum pane vniri. Quid autẽ est consubstantiatio, nisi duarũ substantiarum vnio? pugnas ergo tecũ: pugnas cũ Luthero, qui sic scribit in magna confessione: sentio cum Vviclefo, panem manere: rursus sentio cum sophistis, corpus Christi esse ibi; & contra omnẽ rationem & acutam dialecticam, sentio duas distinctas substantias, bene vnam substantiam esse & dici posse. Vanis ergo & inutilibus commentis*

mentis Pontificijs, Selneccerus aut æquè aut magis vana, de corporis in pane existẽtia substituit. Quàm enim verè dicit, nõ fieri mentionem vllius conuersionis, tam etiam verè dicitur, non fieri mentionem vllius ὑπάρξεως corporis in pane: Imò huius multò minus, quàm illius. Nam conuersio Sacramentalis certè institutionẽ Sacramenti cõsequitur, docentibus hoc verbis Christi, qui panem dicit esse corpus suum, nõ autem, corpus in pane delitescere. Nec tantùm dicitur, dato pane dari corpus: sed etiam panem esse illud corpus, quod datur quidem vnà cum pane, sed nõ ore manducandum. Iubet omitti subtilitates inexplicabiles & inextricabiles de modo imperscrutabili & incomprehensibili: Cur ergo legem suam non seruat ipse? Nam vbiquitarium suum modum præsentiæ in pane, vnde expiscatus est? Cur tantum in eo defendendo [illegible]? Nos enim Labyrinthos, quos dicit, nullos habemus. Sed Selneccero Labyrinthi sunt argumenta vera & solida [illegible] ex quibus se nequit expedire. Nã in [illegible] etiam dimensionẽ & circumscriptio[illegible] sit plures & horrendos errores o[illegible] ipse dimẽsionem & circumscriptionem [illegible] essentialem ac perpetuam corporis Christi. Quo ore [illegible] errorem & inconueniens vocas dimensionem & circumscriptionem, & ex ea dicis horrendos errores oriri? Sed condonemus hoc etiam Dn. Superintendentis vertigini, præsertim cùm ipse se excuset, dicens, Dato vno inconueniente, plura succedere, experientia testatur. Ex nostra enim doctrina nihil sequitur inconueniens. Ex orali autem manducatione & vbiquitate, quot coloniæ mirificarum & absurdarum opinionum & quæstionum deductæ sunt?

Citat contra Papistas Gelasium: sed non videt, Gelasium vno ictu Papistas & Selneccerum profligare. Non tantùm enim ait, manere naturam panis & vini, sed etiam per Sacramenta, quæ sumimus (id est, panem & vinum) nos effici consortes

diuina natura. Hoccine autem Selneccero est ore corpus Christi comedere?

Fol. 183. Aequè suffragatur ei regula Augustini: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Verbum hoc exponit Augustinus de promissione gratiæ, nō autem oralis esus carnis Christi. Hanc promissionem dicit accedere, nō ad esum oralem carnis, sed ad elementum, atq; ita ex elemento fieri Sacramentum, non tantùm in cœna, sed in omnibus Sacramentis. Loquitur enim ibi nominatim de baptismo. Non magis ergo in cœna, quàm in alijs Sacramentis, corporalem præsentiam Christi agnoscit Augustinus.

Idolomaniæ Pontificiæ refutationem omittere se dicit. Atqui, Selneccere, in illa refutādá multò melius collocares operam, quàm in hostili insectatione piorum, aduersus illam non sine periculis & sanguine pugnantium. Sed quia hanc non tantùm non potestis solidè refutare, sed etiam stabilitis vestra corporali præsentia, quæ illius fundamentum est, & cum illa stat vel cadit, ideò aduersus fratres mauultis vires vestras experiri.

Adducit etiam regulam: Nihil habere rationem Sacramenti extra vsum à Deo institutū. Vsum autem institutum interpretatur distributionē, sumtionem, & actionem totam, id est, ceremoniam, omittens id, quod præcipuum est, videlicet hunc vsum non esse nisi cū vera fide, & ad fidem confirmandam. Nihil dicā de D. Selneccero. Nō enim decet tyronē veterano & primipilo, nouum hominem Patri, scholasticum Superintendenti maledicere, nec bonā causam agentem, ea relicta ad personarū conuitia euagari: nec ego sum immemor, quandoq; etiam nō pessimos agere aliquid pessimè. De facto autem ipso constanter dicere hoc non dubito; vsum Sacramenti à Deo institutum, interpretari de obseruatione ceremoniæ, aut externa professione, sine vera fide in Christum, amplectente & applicante sibi, quod per ceremoniam significatur, id nihil aliud esse, nisi hanc regulam Philippicam nequissimè, flagitiosissimè, conscientia pessima, & impudentia

dentia plus quàm meretricia corrumpere. Non patitur hoc Melanchthon, qui dicit in loco de Sacramentis & passim: Quia Sacramenta sunt addita promissionibus, ideò sicut promissionem accipi fide necesse est, ita oportet in vsu Sacramentorum accedere fidem, intuentem promissiones. Et de cœna: Nam hic offertur remissio peccatorum, & applicatur credenti: & in hac actione Christus nos sibi tanquam membra adiungit: Non patitur Confessio Augustana, quæ dicit; vtendum esse Sacramentis, ita vt fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramentum exhibentur & ostenduntur: Item, Sacramentum institutum est ad consolandas & erigendas territas mentes, cùm credunt carnem Christi datam pro mundi vita, cibum esse, cùm credunt se coniunctos Christo viuificari: Non patitur Apologia, quæ toties clamat, verum vsum Sacramenti esse, & ad hoc institutum esse, vt sit sigillum & testimonium gratuitæ remissionis peccatorum, & de hac admoneat pauidas conscientias, Ad hunc vsum Christum instituisse cœnam, cùm dicit: Facite in mei memoriam; talem vsum esse cultum noui testamenti; Inutilem esse ceremoniam, nisi hac fides remissionis peccatorum accedat: Non patiuntur veteres, qui vno consensu idem docent, sicut Augustinus: Aqua corpus tangit, & cor abluit faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur. Item, Non morietur, si quis ex eo manducauerit, quod ad virtutem Sacramenti, non quod ad visibile Sacramentum pertinet: qui manducat intus, non foris; qui manducat corde, non qui premit dente. Non patitur tota Scriptura de Sacramentis loquens, vt, Qui mactat bouem, est quasi qui occidat virum, circumcisio tua est præputium, si transgressor legis es &c. Si autem hic solus est verus & institutus Sacramentorum vsus, ruunt vno impetu vestra & Papæ commenta, de impiorum & orali manducatione. Id vos animaduertentes, conamini obscurare vestris fumis Solem meridianum. Sed frustrà: Dispelluntur enim clara luce veritatis.

Aequè inepto sophismate dictum Philippi deprauat, Christus non propter panem, sed propter hominem adest. Sic enim explicat: non vt panis includatur, circumgestetur & adoretur: sed propter hominem, cui Christus dicit, Accipe, ede. Ita sanè: sed addendum tibi fuit, non etiam, vt includatur, inseratur pani, coniungatur eodem loco cum pane, occultetur in pane corpus Christi: sed vt mediante pane fides excitetur in homine vtente, & ei corpus Christi vniatur & communicetur, tanquam caput membro sui corporis, non autem inseratur in os: quo rursus tanquam fulmine prostrata & obtrita iacent, omnes vel de conuersione vel allgiatione corporis ad panem φαντασίας.

Damnat adorationem panis. Atqui de Christo, qui in pane lateat, adorando in pane, quaeritur. Hanc adorationem Pontificiam si neges, posita corporali praesentia Christi in pane, crimen impietatis & cõtumeliae Christi nec apud Papistas, nec apud vllos sanos potes effugere. Si enim praesentia ad panem corporalis ponitur, necessariò honor adorationis adiungitur. Vbicunque enim Christus est praesens suo corpore, ibi adorandus est. Vnde qui Christum corpore ad coenam praesentem esse credit, ille vel clandestinus idololatra est, vel apertus, vel si neuter, Christum adorationis cultu debito priuat.

Fol. 184. *Vidimus, quo pacto refutârit Selneccerus querelam Admonitionis de confirmatione idolomaniae Pontificiae per figmentum corporalis praesentiae Christi in pane, & quantam facturus esset fugam, si cum Iesuitis in pugna stataria ipsi congrediendum esset: Videamus, quomodo suum hoc dogma, quòd in, sub, cum pane existat, & corporaliter, oraliter edatur corpus Christi, conciliet cum verbis Christi, nominantis panem suum corpus.*

Si de re ipsa, inquit, constat, facilè de verbis conueniri potest. Verum hoc est inter non contentiosos, & ea lege, vt verba rebus conueniant, ac retineatur forma sanorum sermonum.

Corde

Corde enim creditur, sed ore fit confessio. Quædam possunt sano intellectu accipi: de his non est contendendum: Quædam verò non possunt, aut saltem non expediunt: ab his abstinendum. Si etiam de humanis rebus rectè monetur, ὁ σοφὸς εὐθυρήμων ἔστω, quantò magis hoc in diuinis tenendum est? Fatetur, propositionem hanc, panis est corpus Christi, esse Sacramentalem: cùm qualis est res, talis de ea sit prædicatio. Hîc Selneccerus pedem conferat. Hoc enim est, quod contendimus; prædicationem hanc esse sacramentalem; & panem esse corpus Christi sacramentaliter, id est, secundum Sacramenti rationem ac modum. Sacramentum autem non sola cœna est, sed etiam baptismus, circumcisio, pascha & alia sacrificia, Sabbathum, arca fœderis &c. Si ergo locutio hæc est sacramentalis, certè locutionibus similibus de alijs Sacramentis in Scriptura, non erit dissimilis, & eodem, quo illæ, modo intelligenda, hoc est, panis erit corpus Christi, sicut alia signa sacramentalia sunt & dicuntur res illis significatæ & repræsentatæ: sicut circumcisio est fœdus credentium cum Deo, id est, signum fœderis: sicut agni mactatio est transitus, id est, signum transitus: sicut sanguis victimarũ est sanguis fœderis cum Deo, id est, sanguis Christi, hoc est, antitypon sanguinis Christi: sicut Augustinus in sentent. Prosp. de consecrat. distinct. 2. inquit sicut cælestis panis, qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm reuera sit Sacramentum corporis Christi; illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, quod mortale in cruce positum est; vocatúrque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio; non rei veritate, sed significante mysterio: sic Sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est. Hæc Augustini verba exponens, pudorem Selneccero incutiat saltem glossa Decretorum, sic dicens: Cælestis panis, id est, cæleste Sacramentum, quod verè repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, sed impropriè: Vnde dicitur, suo modo, seu non rei

veritate, sed significante mysterio, vt sit sensus : vocatur Christi corpus, id est, significat. Idem Augustinus docet Epistola 23. ad Bonifacium : & ipse atque alij veteres passim. Præterea panem Sacramentum esse, & signum & Symbolum corporis, ipse etiam Selneccerus fateri cogitur. Idem ergo est: Sacramentaliter esse corpus, &, Sacramentum esse corporis : significare corpus, &, signum seu Symbolum esse corporis. Sed quia declinare vim veritatis & euidentiam non potest, studet eam eludere. Symbolum est, inquit, non præfiguratiuum, sed exhibitiuum, communicatiuum. Non est præfiguratiuum, id est, non figuratiuum rei futuræ. Sed an propterea non est figuratiuum rei præteritæ & exhibitæ? Certè Christus dicit esse μνημόσυνον, quod est signum commemoratiuum accepti beneficij. Exhibitiuum ergo, communicatiuum est, sed mediante commemoratione fidei, quæ isto Symbolo exercetur & confirmatur, & per quam Christus & omnia eius beneficia nobis cōmunicantur. Vt magis rem inuoluat, addit nouam, accuratā, magistralem definitionē prædicationis Sacramentalis; videlicet, qua visibili & sensibili pane distributo & accepto, distribuitur & accipitur corpus Christi, modo inuisibili & insensibili, non cognito rationi humanæ, sed Christo Deo & homini, autori promittenti & danti corpus & sanguinem suum omnibus vescentibus pane & vino benedictionis in vsu seu actione cœnæ. Quod sit genus in hac definitione, non possum diuinare. Si enim hoc vult esse prædicationem, quomodo illi conueniet differentia diuisiua ad constituendam speciem; qua distribuitur & accipitur corpus Christi? Quid enim est, prædicatione accipi corpus Christi? Sed etiamsi conemur mollire ipsius salebras; vt sit prædicatio, qua significatur accipi corpus &c. tamen ne sic quidem rem explicat. Non enim dicit, cuius, de quo sit prædicatio. Suppleamus hoc etiam, vt sit prædicatio corporis de pane. Adhuc non definietur Sacramentalis, sed de cœna duntaxat prædicatio, hoc est, species pro genere. Sed voluerit

sanè

sanè speciem definire: non tamen infercire debuit, quod neque speciei, neq; generi competit. Nam distribui manibus ministrorum, & accipi ore sumentium intelligit corpus Christi. In nullo autem Sacramento sic distribuuntur & accipiuntur res inuisibiles & signatæ. Neq; vel in cœna, vel in alio Sacramento res inuisibiles promittuntur aut dantur omnibus seruantibus actionem seu ceremoniam externam, sed solis legitimè, hoc est, in vera fide, & ad fidem confirmandam vtentibus. Est ergo prædicatio Sacramentalis loquendi forma, qua nomen aut proprietas rei tribuitur signo, propter eorum similitudinem, qua Deus rei significatæ donationem & exhibitionem, fidelibus per Symbolum externum testatur. Sic eam definit Augustinus ad Bonifacium: Ex similitudine plerumq; Sacramenta ipsarũ rerum nomina accipiunt: quemadmodum secundum quendã loquendi modum, Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & Sacramentũ sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei, fides est. Sic Cyprianus, cùm dicit, significantia & significata iisdem nominibus censeri: Sic Theodoretus: Seruator noster permutauit nomina, & corpori quidem Symboli nomen imposuit, Symbolo verò corporis nomen, vt Sacramentis vtentes non intenti essent in naturam eorum, quæ cernuntur, sed per nominum permutationem, crederent ei, quæ per gratiam facta est, mutationi. Hoc item sensu vsurpat & exponit Scriptura phrases Sacramentales. Circumcisio est fœdus, id est, signum fœderis: Baptismus nos seruat, id est, qui credit & baptizatur, seruabitur: Panis est corpus, id est, memoriale corporis pro nobis traditi. Non enim simpliciter corpus & sanguis, sed corpus traditum & laceratum, & sanguis fusus in cruce, & nostri per ea ad vitam æternã nutritio repræsentatur. Ergo vt panis fractus manibus, corpus est fractum in cruce: sic panis manducatus ore, est corpus Christi manducandum fide.

Assuit huic aliud commentum nouum, inusitatum, insipidum:

prædicationem rei de signo esse inusitatam. Atqui de omnibus Sacramentis, imò de alijs etiam signis, Scripturæ & veteribus est vsitatissima, & μετωνυμικῶς exponitur, cùm EST in ea sumatur pro significat. Melanchthon vocauit inusitatas propositiones illas, Deus est homo, Homo est Deus, vt eas ab alijs discerneret, quæ tamen, intelligendo subiectum de persona Christi, fortè ad prædicationem speciei de indiuiduo, reduci possent. Sacramentales autem inusitatas nominare, neq; illi in mentem venit, neq; in sanum caput facilè cadit. Nos etiam de verbis non libenter litigamus; sed de veritate tamen tuenda, & idololatria vitanda sepè oportet litigari. Ita hic prædicationem sacramentalem negamus esse inusitatam, quia neq; in cœna eam aliter licet exponere, quàm in omnibus alijs Sacramentis, neq; in Sacramentis alijs, vel vestra confessione, locum; habet inusitata & monstrosa interpretatio, quam ei affingitis in cœna. Cur in sola cœna dicis inusitatum, quod in alijs Sacramentis vsitatum & planum est?

Fol. 185. Vtut enim certum est, veteres contulisse has duas propositiones, Deus est homo, &, panis est corpus: tamen æquè certum est, vos istam collationem & sententiam veterum turpiter peruertere, & collationem ipsorum ex diametro cum vestra pugnare; tantum abest, vt vestræ caussæ subseruiat. Illi enim contra hæreticos, veritatem carnis Christi negantes, sic disputabant: Qualis caro repræsentatur Symbolis cœnæ, talem assumsit λόγος. At pane & vino significatur verum corpus, quod crucifixum & mortuum est, cuius sanguis verè effusus est. Ergo verum corpus assumsit λόγος. Et sicut panis & corpus naturam suam retinent, etiamsi panis sit corpus Christi: Ita λόγος etiam & caro naturas suas distinctas retinent, neq; sequitur naturarum confusio aut mutatio propterea, quòd λόγος est caro, seu Deus est homo. Hæc autem Patrum argumenta vos prorsus eneruatis vestris commentis, & hæreses veteres Marcionis & Eutychis reuocatis in Ecclesias. Si enim tale corpus est in pane & repræsentatur pane Eucharistico,

quale vos fingitis; sequitur etiam tale à Filio Dei assumtum fuisse, videlicet omnipræsens, hoc est, Marcionicum & Eutychianũ. Et tamen audet nouem Patres, suæ sententiæ testes nominare, quibus decimum addit Bucerum, quem non minus, quàm illos constat vbiquitatis & oralis esus esse professum aduersarium. Nam duas res, terrenam & cælestem in Sacramentis verè & realiter nobis exhiberi, & nos confitemur. Sed quæ inscitia est, inde colligere, quòd vtraque eodem modo, quòd vtraque ore sumenda exhibeatur? Alter corporis, alter animæ cibus est: alter igitur corporis, alter animæ ore sumitur, quod nullum est nisi fides. Si vtraque res in Sacramento, sicut vtraq; natura in Christo, integra & impermixta manet: Ergo vtrunque, panis & corpus, suam naturam, suas proprietates essentiales etiam in cœna retinet, vtrunque suo loco manet, panis in terra, corpus nunc in cœlo, sicut in prima cœna, panis in manu Christi & discipulorum, corpus accumbens mensæ; panis ore, corpus fide, vt res omnium Sacramentorum, accipitur. Sed ferit Selneccerum sua ipsius conscientia, vt cogatur fateri, magnam esse dissimilitudinem inter personalem & sacramentalem vnionem & prædicationem: Et tamen secum pugnans, vult retineri in vtraque propositione significationem propriam verbi, EST. Atqui si propria vtrobiq; est omnium particularum significatio, eádem forma licebit vtramque exponere, cùm Scriptura eas exponat dissimilimè: quòd videlicet λόγος sit caro, quia carnem assumserit, hoc est, Deus sit homo, & homo Deus, quia humanitas personæ diuinæ, & Deitas personæ humanæ sit pars substantialis: Panis autem sit corpus, non quia alterum ab altero assumtum, aut alterum alterius pars sit, sed quia panis sit memoriale corporis pro nobis traditi. Est igitur Deus homo, rei veritate & substantialiter: panis autem est corpus, non rei veritate (dicit Augustinus contra Selneccerum) sed significante mysterio, id est, Sacramentaliter seu significatiuè. Ratio est, quia vnio

personalis est substantialis; vnio autem sacramentalis est relatio, id est, analogia signi & signati, & signati per signum obsignatio seu testificatio, ac proinde vtriusq; in vsu legitimo coniuncta quidem, sed tamen distincta perceptio. Ad hanc vnionem nihil minus requiritur, quàm præsentia & esus corporalis carnis in pane. Nam eádem vnione etiã aqua & sanguis Christi vniuntur in baptismo, qua vinum & sanguis, panis & caro in cœna: Idem fit in alijs Sacramentis. Non igitur negare, sed fingere prædicationem Sacramentalem inusitatam, Selneccere, superstitio est, & contradictionis ineptissima implicatio: Et quæ nugaris de duplici prædicatione inusitata, personali & Sacramẽtali, de inusitata etiã in communicatione idiomatum, etiam in baptismo & omnibus Sacramentis, multò facilius repudiantur; quàm abs te sunt conficta, & nouis vestris quotidie nascentibus monstris audacter adiecta. Communicatio idiomatũ Tropus nominatur à Damasceno; Sacramentalis locutio figurata, à tota vetustate &c. Et quis furor est, vt corporalem præsentiam Christi in pane propugnes, similem idololatriã, & doctrinæ corruptelam in omnibus Sacramentis comminisci? Tres Anticyræ tibi non sufficerent: & tamen gloriaris, te lucem magnam intulisse doctrinæ Sacramentorũ: sed refutat tuam impudentiã validè Melanchthon, ac docet, locutionem sacramentalẽ non inusitatã, sed figuratam esse, cùm scribit in Corinthios; Panem corpus, & vinum sanguinẽ Christi esse & dici, sicut fasces sunt & dicuntur Imperium: quod in Rhetoricis Metonymiã vocat, signi pro signato: & in dialecticis, cùm dicit: Est, aliâs ὑπαρκτικῶς sumi, aliâs vt nexũ, significantẽ prædicatũ dici de subiecto, siue vocabula sint priuatiua, siue typica, vt vinea est Ecclesia, hic est, poni pro significat. Huc etiã refert, fasces sunt imperiũ, panis est corpus. Et alio loco: hæc statua est signũ Dei, Ergo est numen, aut numen ad eam colendũ est. Neganda est cõsequentia: quia signũ non est res significata: nec Deus ad vllã rem alligandus est, ad quã se non alligauit suo verbo. Hæc regula euertit plu-

rima

rima idola omnium temporum: Hæc ille; quibus etiã Antichristi idolum euertitur, si quis oculos ad videndum habeat. Haud dubiè, si viueret Melanchthon, tibi tam bello ipsius interpreti, ambas demulceret auriculas.

Hîc iam euanescit argumentum Selnecceri à diuisione: Non est prædicatio regularis; neque figurata: Ergo inusitata. Nam esse figuratam ipse cogitur hic fateri, cùm ore obliquo dicit, Figuratam siue impropriam prædicationem de corpore absente intellectam esse non posse. Ergo de corpore præsente esse poterit figurata: Et Selneccerus facilè concesserit, vel propriam, vel figuratam dici, modò retineat suum idolum. Sed siue præsens siue absens sit corpus, non nisi figuratè prædicatur & Sacramentaliter de pane, non ὑπαρκτικῶς, sed μυστικῶς: atque ita Selneccerus neque τὸ ῥητὸν verborum Christi, neque ex prædicatione corporis de pane, suum in pane fictum corpus tueri potest. Fol. 186.

Repetit hic sua argumentorum fulmina: seruandum esse Testamentum Christi, sicut iussit, & sine additione, quia Christo non desint verba. Qua igitur audacia tu in Sacramento & sigillo testamenti, aliud testamentum comminisceris, quàm sigillo obsignatur, & in tota Scriptura describitur, cùm Nouum testamentum non nisi vnum sit? Cur vis ore ipsius corpus edere, quod nunquam iussit? Cur dictas ei verba, quòd non panis, sed in pane corpus sit? Cur loquens Sacramentaliter de Sacramento, Christus tibi obscurus est? Cur ipsius interpretationem suorum verborum repudias, quòd panis sit memoriale corporis? Falsa sunt ergo quæ toties ad nauseam vsq; ingeris & cumulas de tua simplicitate verborum, de nostra interpretationũ fictione & discrepantia. Christi enim & totius Ecclesiæ veteris interpretationem retinemus.

Dicit, Paulum omne figmentum cùm transsubstantiationis Pontificiæ (consubstantiationi metuit) tum Capernaiticæ seu Sacramentariæ symbolizationis & figuræ prosternere, cùm Fol. 187.

inquit: panem esse communicationẽ corporis. Imò validißimè & apertißimè confirmat, panem esse symbolum, & esum vestrum oralem carnis refutat. Communio enim Christi non est esus oralis, sed Spiritualis coniunctio fidelium cum suo capite Christo. Hæc communio non est panis propriè loquendo, etiamsi te vertas in plures species, quàm Proteus. Rectè igitur inquit, secundum Paulum, non fieri conuersionem substantiæ panis: Sed neque fit coniunctio corporis cum pane, quam ille omittit, iterum suæ consubstantiationi metuens. Attamen verè sumitur corpus cum pane: concedimus: Sed non ore sumi, sicut panem. Sed quæso te Lector, attende, quomodo concludat suam περὶ τῦ ῥητῦ *contentionem. Ait, Lutherum, teste Philippo, Synecdochen posuisse, qua intelligatur verè sumi corpus Christi, idque tantùm in vsu instituto: & panem dici* κοινωνίαν *corporis, quia pane seu per panem, vt Chrysostomus loquitur, nobis communicatur. Cùm Lutherus concesserit Synecdochen, non potuit retinere* τὸ ῥητὸν, *sicut videri voluit, sed coactus fuit concedere, propositionem esse figuratam, ac proinde quærendam in Scriptura ipsius* διάνοιαν. *Cùm verba Christi & Pauli tantùm doceant, verè sumi corpus sumto pane: nulla ex illis potest elici oralis sumtio. Nam verè sumitur corpus, etiamsi non sumatur ore. Cùm in vsu tantùm instituto corpus sumatur, nulla est impiorum, ac proinde nulla nisi per fidem sumtio. Vsus enim institutus à Christo nullus est sine fide, vt Scriptura tota clamat de omnibus Sacramentis, & confeßio atq; Apologia Augustana, & Philippus paßim docent. Cùm panis sit medium, per quod Christus se nobis communicat, non est alia in cœna communio quærenda, quàm in toto ministerio, quod huius cõmunionis organum est ideo, quia est organum Spiritus sancti ad excitandam fidem, qua sola efficimur Christi participes. Hoc vulnus postquam ipse sibi inflixit, conatur ei mederi, assuens, Hanc Synecdochen non esse figuram de corpore absente à cœna. At quoties audiuisti*

nisti & legisti, nisi surdus & cæcus es, corpus non abesse à cœna, etsi non sit in pane? Etsi figura est, iam non est τὸ ῥητόν: ac proinde etiam te probationem corporalis præsentiæ quærere necesse est: & vanitas apparet vestri clamoris, quo homines obtunditis, vos tenere verba, verba, verba Christi. Plus etiam audet: negat hanc synecdochen esse locutionem impropriam. Quin ergo scholastici Lipsenses aut vestras Mosellani tabulas, & vestros libellos Rhetorices, in quibus inter tropos numeratur synecdoche, corrigitis: aut nouum istum Magistrum vestrum in Pædagogium ad correctionem abducitis? Quis hæc ferat sanus? Synecdochicum est, & tamen non figuratum, non improprium est. Similis huic oratio est quam addit, locutionem esse in omnibus linguis vsitatam: Cur igitur tam prolixè contendit esse inusitatam? Sed quæ est ista locutio Selnecceri Synecdochica propria & inusitata vsitata? qua id quo datur aliud, nomen eius, quod datur & accipitur, assumit. O quàm libenter addidisses exempla: sicut vinum in cantharo; auena in sacco, & nummi in loculis dantur, & nomina eorum, quæ dantur, ijs tribuuntur, in quibus dantur; nisi frater tuus ista secum abstulisset. Cum dicis, En tibi vinum: En tibi pecuniam; Cantharum ne aut loculos aut manum, an verò id potius dicis vinum aut pecuniam esse, quod est in cantharo, in loculis, in manu? At quis te docuit, sic esse corpus in pane, sicut nummi in loculis, vinum in cantharo? Vel qua authoritate dicis Christo: Non panis, sed id, quod latet in pane, & in pane porrigitur oraliter edendum, est corpus tuum: Non tanquam vehiculo, non tanquam operculo, Selneccere, sed tanquam symbolis exhibentur per Sacramenta res significatæ credentibus; sicut exhibentur verbo seu per verbum Euangelij. Augustinus ad Bonifacium docet, vsitatum esse Scripturæ, Sacramentis tribuere nomina rerum cælestium, non tanquam continentibus nomen contenti, sed tanquam signis nomen rei significatæ.

Hactenus persuadere nobis conatus est Selneccerius suum ῥητὸν synecdochicum, & synecdochen propriam. Nunc suas particulas, in, cum, sub, tanquam succenturiatas aduocat: non tamen absque περιπολήξει et præfatione veniæ; non inclusionem, non consubstantiationem, non latentē occultationem illis particulis significari, sed præsentiam, distributionem, sumtionem veri corporis. Negauit vbiquitatem corporis absolutam: præsentiam ibi tantùm statuit, quò Christus suum corpus alligauit verbo, id est, in pane tantùm. Quomodo igitur differunt inclusio in pane, ab existentia tali corporis in pane, vt in aliis corporibus circa aut iuxta panem positis non existat corpus, & cum pane ex manu ministri moueatur in os sumentis? Vtinam non abiecisses vbiquitatem absolutam, quæ te nunc liberaret ab inclusione. Quomodo differt vnio duarum substantiarum in eodem loco à consubstantiatione? Quomodo denique differt præsentia, in, cum, sub pane insensilis & inuisibilis, à latitatione & occultatione? Excute saccum tuarum distinctionum: nouis enim hîc rursus est opus, iisque acutis & subtilibus. Nos de rebus agimus, nō de vocibus, Selneccere. Illas tanquā à vobis confictas repudiamus, quibuscunque tandem nominibus eas cohonestetis. Si quis te res alienas auferre diceret inuito domino; furem autem te esse negaret, ecquid ideo nō haberes iustam caussam eū conueniendi actione iniuriarum? Patres sanè non veriti sunt sic loqui, corpus & sanguinem Christi operiri, tegi pane & vino; sicut & panem mutari in corpus dixere: sed longè alio sensu, quàm vos aut Papistæ. Latere, occulari est illis significari tanquam mysterio. Mutari in corpus est illis fieri symbolum corporis. Sic etiam dari nobis Christum in vel sub vel cum pane non dubitarunt dicere; non tanquam in latibulo aut continente, aut vehiculo, sed tanquam in mysterio, signo, symbolo. Sicut Augustinus explicat: In Sacramentis non quod sunt attenditur, sed quod significant. Hæc breuis responsio totam declamationem Selnecceri de particulis in, cum,

in, cum, sub, in fumum redigit. Non enim istarum particularum vsum probare debebat, sed sensum quo ipse has vsurpat, quod cũ non faciat, inanem laborem sumit. Audiamus tamen ipsius probationes. In confessione Augustana, nostra, inquit, dicitur, quòd corpus & sanguis adsint sub speciebus panis & vini. Quantum audio, in qua expuncta sunt ista verba: sub speciebus panis & vini; nõ amplius est vestra confessio. Sit igitur nostra. Tu de tua videris, in qua nisi species panis & vini pro pane & vino accipias, et adesse sub pane, vt iã dixi, pro repræsentari mysticè; non video quid tibi ad ius missificandi desit, præter tonsuram & chrisma. Viderunt confessionis authores, hæc verba intelligi vulgò de Metusiosi, ideóq; illa expunxerunt, quæ nunc Patres Bergẽses, longè illis sapientiores, tanquã proram & puppim religionis Christianæ, reponunt. Idem dicendum est de verbis, quæ ex Apologia citat. Non enim est verum, tantùm Spiritus fore participationẽ, si corpus non sit in pane. Dum enim corpus nobis cõmunicatur per Spiritum, qua fronte dici potest, solum Spiritum, & non etiã corpus nobis communicari? Vocem corporaliter rectè dicit non intelligi in Apologia de modo corporali. Cyrilli enim allegatio & declaratio cogit eam non de modo communicationis, sed de obiecto seu re communicata accipere, vt sit sensus, nos nõ tantùm dilectione & Spiritu, sed etiam corporetenus, id est, quod ad corpus seu carnem attinet, cum Christo communionẽ habere, ipsius mẽbra et palmites fieri. Hæc ad oralẽ esum, aut existentiam corporis in pane detorquere, nimis bruta est vel inscitia vel audacia. Nec Cyrillus manducationẽ, sed communionẽ corporalem nominat. Hanc solã vetus Ecclesia Romana & Græca agnouit, vt ex patrum scriptis constat. Illã verò corporalem & oralem manducationem, quam noua Ecclesia Romana decreuit, Romanensibus & Bergensibus relinquimus. Sed animaduertenda hîc etiam est Selnecceri constantia & ingenuitas. Negat se corporalem vllum modũ agnoscere, & tamen addit, naturalem aut Physicum. Atq; ille de solo modo

corporali pugnat, nisi existentia in pane, in manu, in ore non sit modus corporalis præsentiæ & manducationis: Et neq; physicum neq; hyperphysicum neq; antiphysicum modum corporalem hactenus probare potuit. Quorsum igitur istæ strophæ?

Rectè Theodoretus inquit; Christum non dixisse, hoc est diuinitas mea, sed hoc est corpus meum. Hoc autem Theodoretus non sic exponit, in, cum, sub hoc pane substantialiter præsens est meum corpus, sed addit, quod pro suo candore omittit Selneccerus: Dixit, hoc est corpus meum, cum accepisset symbolum corporis, quod corporis sui appellatione honorauit: & alia in hanc sententiam plurima, quæ qui aspiciunt, nobis tacentibus vident, quâ fide & quâ fronte isti homines Patrum nomina & dicta allegent. Hinc apparet, Dicta Patrum, quæ profert de In, cum, sub, violenter deprauari. Volunt enim Christi carnem & sanguinem dari & accipi in vel sub pane & vino, tanquam in vel sub signo, symbolo, sacramento, mysterio, id est, Christum per panem & vinum significare quid nobis offerat & communicet, sicut per baptismum & per prædicationem Euangelij. Hoc ostendunt quædam ex his ipsis quæ allegat: vt cum Augustinus dicit, Christum nobis suum corpus cõmendasse in rebus, quæ ad vnum aliquod rediguntur ex multis. Quis non videt commendare hic idem esse, quod significare & repræsentare? Sicut enim ex multis granis vnus fit panis, sic omnes fideles fiunt vnum corpus cum Christo. Commendat igitur nobis Christus hanc in suum corpus incorporationem per signa, & in signis, vel sub signis, sicut per verba, siue in aut sub verbis. Sic euidẽter declarat Chrysostomus, se loqui mysticè, cum ait, Quod è latere Christi fluxit esse in calice. Non autem fluit sanguis è Christi latere, neq; à corpore ipsius separatur. Sic Tertullianus, cũ ait, sanguinẽ esse consecratũ in vino, quid aliud dicit, nisi vinum esse consecratum vt sit symbolũ sanguinis? Non enim idẽ sunt, consecrare in vino, & corporaliter occultare in vino: Cyprianus ait, vino ostendi sanguinẽ Christi, quod idem est, quod significari, repræsentari: Ideoq; sanguinem

videri in poculo, cum in eo eſt vinum. Sanguis enim neq; præſente neq; non præſente vino videtur: ergo videre ſanguinem eſt videre ſymbolum ſanguinis. Theophylactus dicit, non tantùm in pane corpus Chriſti, ſed etiam per panẽ remiſſionẽ peccatorũ & regni Dei poſſeſſionem offerri: ſumens pro eodem has formas loquendi, in pane & per panem offerri, vt nimirũ per Sacramenta omnia, & per verbum vel in verbo nobis offertur Chriſtus & eius beneficia fide accipienda. Idem eſt Hilario & Bernhardo ſub myſterio ſumere, ſub ſpecie panis credere. Idẽ oſtendunt alia dicta, vt Auguſtini, Et ibi vos eſtis in menſa, & in calice nobiſcũ vos eſtis. Itẽ, Chriſtus quotidie immolatur in Sacramento: Itẽ. Quod in Sacramẽto viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate Spiritualiter mãducatur & bibitur. Itẽ, Ideo iſta dicũtur Sacramenta, quòd aliud in eis videtur, aliud intelligitur. De cõſ. diſt. 2. Hæc nõ poſſunt de corporali exiſtẽtia in vel ſub vel cũ pane exponi. Particulã etiam, cum, Selnecceri ſenſu ab Eccleſia vſurpatũ eſſe, nõ eſt verum. Chryſoſtomus enim, quẽ citat, intelligit eã, vt & nos, de tempore, quo videlicet ſimul accipiantur res cum ſignis in legitimo vſu Sacramẽti: Selneccerus verò accipit, cum, de loco, quòd videlicet corpus ſit in pane, aut in eodem loco cum pane, & ingrediatur ora ſumentium vnà cum pane. Hæc ſomnia vetuſtati ignota fuerunt. Fol. 189.

Ad confirmandam etiam vocem oraliter, Leonis dictum citat, Sic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis ambigatis. Hic non dicit Leo, ore verum corpus ſumendum, ſed de corporis veritate non ambigendum eſſe, & per conſequens, vbiquitatem & oralem manducationem explodendam, vt quæ veritatem corporis tollunt. Addit Leo. Hoc enim ore ſumitur (quod ad Sacramentum attinet) quod fide creditur, id eſt, quantum ad rem Sacramenti attinet, fide accipitur. Cur autem non etiam illa dicta Auguſtini, Chryſoſtomi, & aliorum produxit, in quibus corpus Chriſti viſibiliter ſumi in Sacramento aiunt; manibus contrectari; dentibus premi; particulas ex eo

in terram decidere: Nimirum quia metuebat, ne pueri viderent, has esse locutiones sacramentales, de symbolis intelligendas, quibus antiquitas simpliciter & liberè vsa est, non suspicans fore aliquando tempora, cùm ista de signis tam apertè dicta, seruiliter
Fol. 190. ad res ipsas transferrētur. Non ergo de sermone tantùm improprio, sed de falsa doctrina, nobis cum Selneccero controuersia est, quæ locutionibus partim recens excogitatis, partim deprauatis, partim ambiguis & insidiosis, partim monstrosis Ecclesiæ obtruditur: quas etiamsi aut vitemus, aut non admittamus, non propterea Deum & veritatem abnegamus, vt authoritate Pontificia pronunciat Selneccerus.

Postquam hoc modo sua illa In, cum, sub, corporaliter, oraliter, in sedem Pontificalem extulit: tandem etiam voci, Spiritualiter, in extremitate scabelli pedum locum aliquem concedit. Ait, non aduersum sibi esse vsurpari vocem Spiritualiter: ea tamen lege, vt per eam intelligatur præsentiæ modus incomprehensibilis, diuinus, imperuestigabilis, insensibilis, arcanus, Sacramentalis, supernaturalis. Cur non addit etiam Maiestatis & dextræ Dei? At quis tandem est iste modus, tam multis & splendidis ornatus titulis? Realis existentia corporis in pane, & oralis esus. Sed hoc modo expeditum compendium daretur, de rebus inuisibilibus fingendi & prædicandi quidlibet, & omnes absurdas contradictorias & impias opiniones excusandi. Eodem etiam modo μετουσίωσιν suam defendunt Papistæ. At patres longè aliter describunt præsentiam & esum Spiritualem, quo adest Christus fidelibus per Spiritus sui inhabitationem & efficaciam, pascens & recreans eos applicatione sui sacrificij, & eos sibi adiungens velut membra, & conformans vita & gloria æterna. Non enim à Spirituali essentia corporis Christi, sed à communione cum vero eius corpore per ipsius Spiritum, nominatur præsentia ista Spiritualis. Videat igitur quo iure nos condemnet, idem cum veteri

Ecclesia

Ecclesia dicentes & credentes: Videat etiam qua conscientia tam contemtim de fide in cælis Christum comprehendente loquatur.

Iubet Apostolus superna quærere, vbi Christus est, in dextra Dei sedens: iubet superna sapere, non quæ sunt super terram: Docuerunt Apostoli credere in Iesum Christum, qui ascendit in cælos, sedétque ibi ad dextram patris omnipotentis, & inde venturus est iudicatum viuos & mortuos: in Christum verò corporaliter existentem in pane, nusquam Scriptura docet nos credere. Sed hi Theologi, quemadmodum Pindarici κραγέται κολοιοὶ τὰ ταπεινὰ νέμονται, & magis de Christi cum pane, quàm de sua cum Christo communione soliciti sunt. Non visibili, inquit, locali & corporali modo præsens est corpus: At neque etiam præsens est modo corporali inuisibili & illocali: nullus enim est talis modus corporalis. Nihil ergo aduersus nos dicit Chrysostomus de fide habenda Deo. Non enim sensu aut ratione nostra metimur spiritualem sanctorum cum Christo communionem: sed credimus Christo eam promittenti, etiamsi non credamus Selneccero, pugnantia cum Christi verbis dicenti: non de absentia corporis Christi à cœna: sed de absentia à pane siue loco panis loquimur: non de canalibus, quos ille fingit, nesciens quid dicat, sed de vnico illo canali & vinculo, quod nostra corpora cum Christi corpore, tanquam membra cum capite, palmites cum vite arctissimè connectit, nempe de eodē Spiritu, in nobis & in Christo habitante, quem quicunque non habet, neq; Christi est, neq; Christum in se manentem habet.

Conclusio autem huius loci valde bella est. Ait se & suos Fol. 191.
manipulares abhorrere ab vsu vocis spiritualiter, inter se, qui videlicet intelligant, corpus Christi spiritualiter ore corporeo accipi. Ergo quod inter se fateri ipsos cogit conscientia, ab eius confessione coram alijs abhorrent: videlicet, rectè & secundum Scripturam dici spiritualiter præsens esse in cœna, & spiritualiter

præsens esse in cœna, & spiritualiter manducari corpus Christi, cibum spiritualem, ore spirituali, ad vitam spiritualem, cœlestē, æternum, omnibus electis æquè necessarium & communem. Non miror, Selneccere, vestrum istum horrorem. Intelligerent enim & Idiotæ vestras fraudes & contradictiones, si cibum spiritualem & spiritualiter manducandum prædicetis, eundem illum, quem corporaliter oraliter manducari vultis. Quæ enim cognatio ori corporis cum Spiritu? Quod os habent impij, quo cibum istum manducare possint? Mira hæc & noua definitio spiritualis manducationis, idem videlicet quod ore corporis accipere, manducare, bibere. Eadem ratione definiet Selneccerus lauari spiritualiter Christi sanguine, esse, corpus aspergi sanguine per manum ministri, & cum Nicodemo, spiritualiter nasci, esse, redire in vterum matris, atque ex illo prodire denuo. Adhúc ne bellum indicit Selneccerus Capernaitis? Has autem absurditates nunquid pulcrè effugerit, si dicat, lotionem illam, in qua corpora baptizatorum perfundantur sanguine Christi, & reditum illum in vterum & ex vtero nihilominus esse spiritualem, diuinum, cœlestem, quia sit insensilis, inuisibilis, illocalis, supernaturalis, incomprehensibilis? Quod monstrum hoc modo non excusabitur? Quis non rideat dicentem, quòd iter pedestre facere, sit nauigio per aquam vehi? Eadem est amentia, dicere, quòd spiritualiter seu Spiritu manducare (idem enim hæc significant) sit ore corporis edere. Nam Augustino idem est spiritualiter, inuisibiliter, fide, corde, & in veritate edere: idem & illa his opposita, corporaliter, visibiliter, ore, in Sacramento, Sacramentaliter, Sacramentotenus edere. Vtinam discant aliquando isti homines, μυστικῶς, vt Theologus loquitur, τὰ μυστικὰ φθέγγεσθαι, καὶ ἁγίως τὰ ἅγια. Spiritualiter accipere, non est membris vel sensibus corporis accipere, sed Spiritu, fide, mente, corde, per Spiritus sancti in nobis operationem, vt docet Paulus, dicens: Nos vno poculo in vnum Spiritum potari: Qui adhæret Domino,

esse

esse vnum Spiritum: Christum per fidem habitare in nobis. Hunc modum cogimini nobiscum fateri, in Scriptura tradi. Cur igitur vobis sumus hæretici, quòd non illum etiam recipimus, quem vos è Scriptura nondum probastis?

Repudiata & reducta, & rursus repudiata vbiquitate, tandem videri vult, vni fundamento manducationem oralem superstruere, videlicet verbis Christi de cœna. Sed videamus an huic firmius insistat quàm vbiquitati.

Clamitant, inquit, Antagonistæ, Christum de cælo à nobis detrahi. Imò verò tu Brentium & Schmidelinum tuum audi, qui tibi disertè dicunt, illud necessariò consequi, nisi statuatur corpus esse vbique perpetuò, vt neque ad panem accedat, neque ab eo discedat vnquam. Quam igitur nobis impingis, tua est blasphemia, qui vbiquitatem absolutam negans, nihilominus præsentiam corporalem in pane statuis.

Flagellat rursus vbiquitatem, cuius tamen præsidio tam non potest carere, quàm semel ducta rixosa vxore maritus: quæque illum tantò magis insequitur, quantò magis eam fugit. Non vult esse Tropicus neque vbiquista: non ergo mirum quòd est ἄτοπος, non inueniens vbi consistat. Vbiquitatis figmentum non agnoscit, non probat, non recipit; θάρσυνος ὁ γὰρ ἔχει, παρεόνθ' οἱ χαλκέα δεινόν. Iam vbiquitas Schmidelino absente exulat absoluta: quam igitur vel ligatam, vel relatiuam, vel condemnatam habet Selneccerus? Non audet eam nominare, ne noua hæresis nouam secum appellationem trahat, ac pro vbiquista, Multiquista vocetur. Sed non erat cur nimis metueret. Cauet enim hoc liber Concordiæ: Cauent & Selnecceri Recitationes, quæ, licet seditiosum ciuem, non tamen sinunt excidere ciuitate vbiquitaria.

Opponit velut Aiacis clypeum vbiquitati præfationem libri, in qua videmus quidem Theologos præseferre vnici fun-

damenti positionem: sed clamat liber, & videt mundus, istam esse protestationem contrariam facto. Siue autē coniungatis, siue disiungatis τὸ ῥητὸν & vbiquitatem, neutrum fundamentum consistit, ac proinde nec vestrum ædificium.

Fol. 192. Profert ex præfatione, verbis insistere, esse rationem tutissimam, & erudiendis simplicioribus accommodatissimam, cum Laici disputationes ceteras non assequantur. Quò igitur spectant vestri tumultus, & tribunitij clamores in suggestis? An declamitatis, vt olim Antonius, vini exhalandi caussa? Sed quàm ridiculum hoc est, apud vos mensam Domini vno pede fultam esse Laicis, duobus Selneccero & eruditioribus. Haud multò æquius, quàm in Papatu Laicis, ne quid effunderetur ex calice, vna species concedebatur, sacrificulis vtraque. Sed vterque pes fragilis & ἀσύστατος. Si enim est ibi corpus propter verba, non est propter vbiquitatem: & si propter vbiquitatem, non iam propter verba demum ibi esse incipit, seu, vt dicitis, vi institutionis aut consecrationis.

Ceterùm de vnico fundamento non est quod antè glorietur, quàm Schmidelini & Brentij doctrinam publicè improbet ac refutet. Scripserunt illi sæpè, sine vbiquitate præsentiam corporalem neque consistere, neque credi posse. Item: præsens esse in pane corpus iam antea ex vi vnionis hypostaticæ; Recitationem verò verborum super panem duntaxat efficere, vt corpus in hoc & in omni pane existens, in hoc pane manducetur oraliter, id quod in alio pane non fiat. Atque in eo statuunt discrimen inter hunc & communem panem. Hæc est præclara illa lux & dexteritas, quæ ex Sueuia in Saxoniam & vicinas regiones illata est: quam Selneccerus ipse inuidiæ fumo, non ita vt prius, mentem offuscante improbat: sed serius fortasse quàm debuit: aut potius, vt nonnulli arbitrantur, maturius quàm à Schmidelino imperatum est

Non

Non sumus, inquit, Pontificij: Sed in hoc dogmate illis non præstatis. Non sumus Caluinistæ. Qua de caussa? Quia modum spiritualitatis & fidei ascendentis in cælum excogitarunt. Os impurum. An spiritualis manducatio, an fides Christum in cælo esse suo corpore statuens, & quæ sursum sunt, quærens, tibi est inuentum aut commentum humanum? Modum verò corporalitatis vos excogitastis. Quid prætereà? Circumspiciunt in cælo, vbi sit Christus. At hæ tuæ sunt quisquiliæ, quibus petis homines, cum meliora arma non habeas. Non sumus, inquit, Vbiquistæ. Quomodo igitur estis Corporalistæ? Quomodo cum Concordiæ libro? Quomodo cum Lutheri polemicis, quomodo cum libris Vbiquitarijs tibi conuenit, ad quos liber Concordistarum Bergensium se refert? Nunquam fuit Apollinis verius oraculum, quàm quod prædico ego nunc tibi Selneccere. Nunquam euades ex laqueis, quibus te irretiuit Schmidelinus, vbiquitatis absolutæ, hoc est, præsentiæ corporis in omnibus locis, dum statuis præsentiam in multis locis simul & vbicunque præsens est λόγος. Istis tuis armis ferit, vincit, prosternit, conficit te ac triumphat de te frater tuus Cadmeus, téq; & omnes tuas condemnationes non facit vnius titiuilitij.

Sed quomodo se expedit Selneccerus à Papistis & Vbiquitarijs? Absque verbo, dicit, se non quærere corpus Christi in cœna, & nisi verbum adsit, panem non esse Christi corpus. Hîc primò sumit quod falsum est. In verbo enim Christi nullum apicem habet, quo probet corporalem præsentiam. Deinde secum ipse confligit, addens, non per recitationem verborum Christi corpus primùm fieri præsens. Ergo concedit ante recitationem fuisse præsens. Prius vt effugeret Vbiquitarios, negabat panem esse corpus, & ibi quærendum esse corpus, antequam accesserit verbum: Nunc vt effugiat Papistas, negat tum demum fieri præsens, cum accesserit verbum, id est, cùm recitata fuerint verba super panem. Quid est fugere præter casam, & vitantem cha-

rybdim incidere in Scyllam, si hoc non est? Sic stulti dum vitant vitia in contraria currunt: & falsum, neq; vero neq; falso congruit, sed destruit seipsum. Si ante verba adhibita corpus ibi non est, adhibitis autem verbis ibi est, necessariò recitatis verbis ibi esse cœpit: ac proinde Selneccerus volens nolens redit ad Papistas. Si autem ibi est, nec tamen ibi esse cœpit verbis recitatis, necessariò semper ibi fuit, siue Selneccerus ibi quærat siue non, ac proinde reuoluitur in paludem vbiquitariam quantus quantus est. Sic fugiens Papistas fit Vbiquitarius: fugiens Vbiquitarios fit Papista. Miser es, Selneccere, quocunque te vertas: captus es non tantùm à nobis, sed etiam à Papistis & Vbiquistis, ac denique à te ipso, nec te expedies tuis inficiationibus ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus.

Vin' autem scire, quomodo ex his laqueis euadas, quibus te induisti: Fatere nobiscum, nec venire corpus Christi vnquam in panem, aut locum panis, nec in eo existere: Sed manens in cælo, nobis per fidem & Spiritum Christi communicari: atque huius communicationis Symbolum esse panem hunc fractum & manducatum. Aliam euadendi viam non inuenies in æternum.

Fol. 193. Ad probandum quòd verbis recitatis corpus Christi sit in pane, citat Chrysostomum dicentem, quòd ipse Christus id, quod proponitur, faciat corpus & sanguinem suum. Sed quid magis aduersatur Selneccero? Nam secundum Chrysostomum Christus non facit vt in pane corpus, Sed vt ipse panis propositus in mensa sit corpus Domini. Qui vel hoc vnum videt & considerat, iam videt quod ad mentem & verba Christi rectè intelligenda satis est. Panis enim non alia ratione potest corpus Christi esse, nisi quia corporis Sacramentum seu Symbolum est. Atque hoc Sacramentum valet ac ratum est perpetuò legitimè vtentibus, propter verbum & insti-

tutionem

tutionem Christi, non minus quàm durat & rata est propagatio illa specierum naturalis, propter illam benedictionem à Deo semel dictam: crescite & multiplicamini. Nisi enim Christus verbo suo fecisset panem Sacramentum sui corporis, non posset nos huius panis sumtio, tanquam visibile verbum & pignus de communicatione corporis Christi confirmare. Hinc autem non sequitur, quod aliqui valde absurda collatione volunt extruere, sicut ex illa promissione in creatione facta crescunt & multiplicantur non credentes: Sic ex vi istius promissionis, Hoc est corpus meum, quando in celebratione cœnæ pronunciatur, corpus Christi ore fidelium & infidelium sumi. Illa enim promissio incrementi & multiplicationis nullam habet additam conditionem fidei: At promissio communionis Christi ad solos credẽtes huic promissioni pertinet, tam in Sacramentis, quàm in verbo Euangelij. Cum ergo de firmitate huius promissionis dicitur, prius videndum est, quod nam sit illud verbum Christi, quod perpetuò ratum est: ne verbum hominum accipiatur pro verbo Christi. Nunquam autem Christus dixit: Quoties verba mea super panem pronunciaueritis, fiet ex eo, vel existet ex eo substantia mei corporis ore manducandi. Sed sicut illa verba, Baptismus nos saluos facit, exponuntur per ista, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Sic istorum, Panis iste est corpus meum, hæc est sententia, Qui crediderit & manducauerit panem hunc, erit κοινωνὸς mei corporis. Sunt enim illa verba, Hoc est corpus meum, promissio Sacramentalis, id est, promissio gratiæ signo addita visibili, semper rata legitimè vtentibus Sacramento. Eodem modo Ambrosius quoq; & Nyssenus docent, panem nominari corpus, non quia in pane existat corpus, sed quia panis fiat mysterium, id est, mysticũ Symbolum corporis Christi: idq; per cõsecrationem, id est, per institutionem & ordinationem Christi, cuius solius est gratia

suæ signa seu Sacramenta instituere, quæ rata sunt credentibus propter ipsius verbum, ordinationem, voluntatem, promissionē, & efficaciam, qua potest non quidem simul aliquid & nihil, sed omnia ex nihilo facere: ac proinde multò magis potest nobis corpus suum facere cibum spiritualem vitæ æternæ: & panem huius cibi ac pastus spiritualis certum & efficax Sacramentum. Vult quidem hîc Selneccerus suam consecrationem discernere à Pontificia, sed perquàm subtili & obscuro discrimine. Fingit enim non minus quàm Papistæ, Christum promisisse, quod nunquam promisit: Videlicet, existentiam & esum corporalem corporis sui in pane, & hanc promissionem alligat verbis Christi pronunciatis super panem, etiam sine bono motu vtentis, id est, sine fide, ex opere operato: qui error Pharisaicus sæpè & grauiter taxatur in Apologia Augustana. Iterum ergo hîc verbis à se remouet, quod reipsa tuetur. Non igitur est Caluini, non est Bezæ horrenda vox, sed nequissima Selnecceri calumnia, quòd corpus Christi à cœna tam procul absit, quàm cælum à terra. Est enim & manducatur in cœna: Sed à pane aut loco panis, aut loco terreno in quo celebratur cœna, corporaliter siue sua substantia, dicunt illi, & dicimus nos, corpus Christi tam procul abesse, quàm cælum, in quo corpus Christi, à terra, in qua panis existit. Hanc enim substantialem præsentiam corporis in pane, neque requirit spiritualis præsentia in cœna, & substantialis communicatio carnis Christi per Spiritum sanctum, fidelibus promissa: neque Christus vnquam promisit. Sed Selneccerus illam nimis impudenter, apertissimáq; cum iniuria affingit verbis Christi, qui panem dixit esse suum corpus, non autem in pane corpus.

Non igitur, Selneccere, satis est dixisse, modus ipsius est, nostrum est credere verbis eius, sicut Abraham credidit, Deum posse facere, quidquid promisit. Nam & nos credimus, Christum facere quidquid promisit: Sed hîc ne decipiamur, & opinantes nos

nos credere verbo Christi, credamus verbo Selnecceri; necesse est nos prius scire, & exploratum certò habere, quid iubeant nos credere verba Christi. Antequam ergo ostenderit Selneccerus, Christum hoc dixisse, quod ipse dicit, modestius debebat allegare exemplum Abrahami, & audire, quid præter cætera, ad hoc Neustadiani dixerint: Non sine impietate postulant Patres Bergenses, vt absurdas ipsorum glossas, & verbo Dei multis modis aduersas, ea fide & reuerentia amplectamur, qua Abrahamus expressam vocem diuinã, et iubent nos rei impoßibilitatem & veritatem omnipotentiæ Dei committere. Pulcra verò Theologia, pulcra fidei regula, quæ deprauatis ac detortis verbis diuinis, cõtradictiones implicat pro libidine, Et postea committit eas conciliandas omnipotentiæ Dei tam audacter, ac si operam eius ad hoc negotium homines conductam haberent.

Quæ adiungit, nihil aliud continent, quàm tritas illas declamationes de omnipotentia & veritate. Quasi verò inter Christianos de alterutra dubitaretur. Non quæritur hoc loco, quid Christus poßit, sed quid velit facere. Nos, quia omnipotentem & veracem eum esse scimus, ideò, quod cum voluntate & verbo eius pugnat, expresse reÿcimus. Voluit autem suum corpus ex his terris abducere in cælestem gloriam, atq; ibidem illud continere, dum redeat ad iudicandum viuos & mortuos: nosq; cum suo corpore non in terris iam, sed in cælo existẽte per Spiritum suum, tanquam membra cum capite coniungere, & cœnam suam mysticam huius coniunctionis nostri cum ipso esse μνημόσυνον ac pignus visibile, non autem corpus suum incircumscriptum, insensile existere in pane, in ore, in corpore nostro. Cum hac Christi voluntate, quicquid non congruit, repudiamus, siue ex Selnecceri Theologia desumtum sit, siue aliorum quorumcunq;. Non physicis rationibus, vt fingit Selneccerus, sed verbis Christi nitimur, & sic ea consideramus & conferimus, ne deprauemus ea, & inter se committamus. Nec enim potest nec debet mens pia acquiescere,

Fol. 194.

donec certò Christi mentem teneat: Alioqui nunquam pacatur conscientia, vtcunque vos eam sopire studeatis sophismatibus & authoritate humana.

Hactenus Selneccerus contendit, se vnicum fundamentum habere suæ præsentiæ corporalis & manducationis oralis, nempe τὸ ῥητὸν verborum Christi, qua contentione hoc est assecutus, vt nullum omnino fundamētum retineat. Primùm enim fabulæ sunt, quæ de vno fundamento narrat. Cum enim vrgetur, ad vbiquitatem confugit. Sunt autem in bona causa eadem fundamenta probationum & solutionum. Et contendit Christum diuidi, nisi corpus adsit, vbicunque λόγος est, hoc si verū esset, haud dubiè sequeretur etiam in pane corpus esse. Aduersatur etiam ei Lutherus, qui quatuor fundamenta ponit, vt est in libro Concordiæ. Secundò neutrum istorum fundamentorum, neque vbiquitas, quam Selneccerus ipse damnat, neque τὸ ῥητὸν consistit. Postquam enim diu declamitatum est, Quicquid Christus promittit hoc facit: Corpus suum substantialiter fore in pane promisit, Ergo ita facit. Respondentibus pueris, Nego minorem, totum fundamentum & ædificium Selnecceri corruit, Non enim eadem est oratio, hoc est corpus meum, Et in hoc est corpus meum substantialiter.

Decima recitatio. Fol. 195.

Decima recitatio quasi Colophonem imponit absurditatibus Selnecceri. In ea enim stultißima disputatione probare conatur, etiam impios corpus Christi & sanguinem ore accipere, Cum ne potuerit quidem probare, pios ore comedere Christum. Ac profectò, si Theologi isti cogitarent, an & quomodo Christus in ipsis sit, non tantis contentionibus eum in pane & in impijs requirerent. Probat autem Selneccerus absurdam suam hypothesin argumentis vel pueris refutatu facilimis, qui phrases Sacramentales intelligunt, & Sacramenta duabus rebus constare sciunt, terrena nimirum & cælesti, Atque hanc fide tantùm à pijs accipi porunt, illam ore sumi à pijs simul & impijs. Initio autem more oratorum

oratorum semina argumentorum sparsit: Deinde argumenta & patrum testimonia subiungit.

Viam sibi munire volens, allegat Pauli dictum: qui edit indignè de hoc pane, reus fit corporis Christi, Hoc illi volunt esse fundamentum manducationis impiorum. Sed Apostolus indignè manducantes non corpus domini (etsi Sacramentaliter hoc modo loqui poterat) sed panem hunc, reos fieri dicit corporis Christi. At neque panem dominicum edere, neque reum fieri corporis Christi, neq; edere sibi ipsi iudicium, idem est, quòd ore comedere Christi corpus. Argumentum ergo retorquemus aduersus Selneccerum. Quisquis edit Christum, non iudicium, sed iustitiam & vitam sibi edit, teste Christo Ioan. 6. Et Augustino: Sacramentum corporis & sanguinis Christi de mensa dominica sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: Res verò ipsa, cuius Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit. Panem verò edens indignè, edit sibi iudicium, Ergo non edit Christum. Addit interpretem Chrysostomum: Non secus qui id indignè sumserit, sceleri erit adstrictus, quàm si sanguinem Dei fuderit: Ita sanè est. Quia reatus fusi sanguinis in cruce, manet super omnes qui hunc sanguinem non bibunt, & augetur culpa, si etiam sibi in Euangelio, & in Sacramento oblatum contemnunt, & aspernantur, ita, vt etiam Sacramentum eius profanent & ludificentur, Quæ contumelia necessariò & manifestè in ipsum sanguinem & in ipsum corpus Domini redundat. Sic Hebræorum 10. dicuntur hypocritæ filium Dei conculcare, & sanguinem fœderis, quo sanctificati fuerunt, profanum ducere, & Spiritum sanctum afficere contumelia. Quis autem sanus inde oralem esum & haustum carnis & sanguinis collegerit? Ita & hîc non sequitur: abutens Sacramento reus fit corporis. Ergo oraliter edit corpus. Et ipse Chrysostomus apertissimè declarat, se loqui non de ipsius corporis, sed de symboli indigna sumtione, cum dicit, in-

Augustini dictũ

dignè sumentes frustrà ac temere Christi sanguinem fundere, sicut faciebant illi, qui fundebant eum, non ad suam salutem in cruce: quod non potest aliter, nisi de symbolo accipi, quod sumunt impij, cum sanguis Christi non amplius effundi possit ex ipsius corpore. Idem docet Ambrosii dictum: reum esse qui indignè manducat panem non manducati, sed in cruce occisi corporis Christi, quem interfecerunt totius generis humani peccata. Huius ergo parricidij reatus tollitur in manducantibus Christum pro ipsis occisum: Manet in non manducantibus. Sic etiam baptismum indignè sumens, fit reus sanguinis. Omitto iam, quòd indignè edere, intelligit tantùm conuiuas indignos, hoc est, infideles, non obseruans aliquem modum & gradum indignitatis, sæpè etiam in dignis, id est, fidelibus hærere propter defectum reuerentiæ & meditationis eorũ, quæ cogitari debent in vsu cœnæ, Est enim hoc non arduum certamen. Illud autem animaduertendum est, quomodo dignos conuiuas describat Selneccerus, qui accedunt, inquit, vera fide. At quomodo definit suam veram fidem? Qua, inquit, secundum verba Christi, ipsum corpus & ipse sanguis Christi adesse, distribui, & sumi certò statuitur. Hæc est vera fides Selneccero. At nos credimus & ex verbo Dei didicimus, veram fidem eam esse, quæ Christum cum omnibus beneficijs ipsius sibi applicat. Apologia Augustana non fidem corporalis præsentiæ & esus oralis, sed fidem requirit eam, quæ remissionem peccatorum, & promissionem noui testamenti, hoc visibili signo monstratam accipit. Selnecceri ergo non vera, sed falsa fides est, & Idolum ab hominibus confictum, cum verbo Dei pugnans, quod tremorem quidem, id est, horrorem & cruciatum conscientiæ parit, sed nullam veram consolationem affert, quam in cœna domini credimus.

Fol. 196 Hinc iam audacter pronunciat, impios fieri reos corporis Christi, qui illud indignè manducent ore: quasi etiam hostibus Christi, canibus & porcis promitterentur res significatæ Sacramentis,

mentis, & inuisibilis gratia: aut quasi contumelia Sacramenti non in rem ipsam, & contumelia diplomatis non in donum & personam donatoris redundet: aut quasi nõ eandem conculcationem sanguinis Christi etiam extra cœnam committant impij, quam abusu cœnæ augent & atrociorem faciunt. Præmittit autem argumentis suis distinctionem conuenientem ὑποθέσει præsenti. Discriminat impios in Ecclesia & hypocritas à Turcis & Iudæis. Sed quæso te Selneccere, vnde didicisti subtilem istam & magistralem tuam distinctionem? Nam nos eam in Bibliis & apud Augustinum non inuenimus. Mirum ni eam ex libello Doctoris Pauli Eberi de cœna Domini hauseris, sed caue tibi à tuis sodalibus, ne eodem, quo ille, modo, ab ipsis excipiare. Quid si autẽ aliquis ad cœnam accedat hypocrita, foris Christianus, intus non modò Turca, aut Iudæus, aut Ethnicus, sed his etiam deterior, tam oralem, quàm Spiritualem esum Christi, imò Sacramenta omnia, & totum Christianismum ridens, quales, metuendum est, ne sint nimis multi, præsertim Prælatus quidam, qui in suo concilio œcumenico nuper adeò, non solùm plerosq; veteres & recentes hæreticos, Iudæos, Machometanos & Ethnicos, sed ipsum etiam diabolum, ad exagitandam veritatis doctrinam introduxit, ac totam religionem scripto futili, impio & Lucianico, hostibus Euangelij Christi deridendam propinauit? Quid si aliquis palàm impius & blasphemus? Cur ille plus accipiet, quàm alius Ethnicus per ludibrium communicans cum Christianis, hisne instituit Christus suam cœnam magis, quàm professis Ethnicis & Epicureis? Aut plúsne in Verbo & Sacramentis suis his, quàm illis promisit? Quantò rectius & magis piè Apologia Augustana loquitur, multoties inculcans, impios & hypocritas communicare cum vera Ecclesia, non nisi in signis externis & visibilibus.

Concilium [illegible] menicum.

Sed experiamur acumen argumenti primi. Christus pronunciat verba institutionis directa tam ad Iudam quàm ad reliquos discipulos, id est, iubet vtrosq; edere & bibere, Ergo Iudas etiam

comedit corpus & bibit sanguinẽ Christi. Respondeo. Panem impij non iubentur edere, sed prohibentur. Probet enim se ipsum homo, inquit Apostolus, & sic de pane illo edat. Itaq; possunt quidem impij hunc edere, sed non debent, corpus iubentur edere tam in Euangelio quàm in Sacramento, sed nec edunt nec possunt edere, carentes ore fidei. Itaq; accipiunt quidem externa symbola, sed rem ipsam nunquam, sicut concionem Euangelij audiunt, sed promissa in eo non accipiunt. Vides Lector, quàm cautè Selneccerus Enthymemate proposito omiserit maiorem syllogismi, Quod impij iubentur edere, hoc edunt; est enim falsa vniuersaliter sumta, vt postulat argumenti forma. Nam edere corpus Christi iubentur, sed non edunt: quàm item cautè minorem non explicarit, impij iubentur edere, quid? panem ne? Non: quia illi tantùm iubentur, qui ad memoriam Domini edunt. Corpus ne? Ita sanè, sed hinc non sequitur conclusio, quòd edant corpus, quia non edunt, quod iubentur edere, sed illud potius edunt, quod prohibentur edere, nempe symbolum, quod illis tantùm est concessum à Christo & institutum, qui rem vnà accipiunt. Sin autem sic velit argumentum formari, Panis est corpus Christi. Impij edunt panem, Ergo edunt corpus. Negant pueri in pædagogio consequentiam, quæ non valet ex maiori figurata & minori propria, quia fiunt quatuor termini: Aut si forma argumenti debeat constare, sequitur tantùm, quòd edant Sacramentaliter, quo scilicet modo panis est corpus.

Fol. 197. Alterum argumentum hoc est, (Non stultè enim vitat Selneccerus argumentorum suorum formationem, ne istorum deformitas rideatur à pueris, ideò nos illum laborem oportet sumere.) Pro quibus traditum est corpus, hi manducant, pro impiis est traditum, ergo manducant. Respondeo, pro quibus traditum est, scilicet quod ad applicationem traditionis, Nam hæc ipsa est manducatio: Pro impijs traditum non est, nisi quatenus est sufficiens λύτρον pro totius mundi peccatis, & omnes

omnes inuitantur ad eius applicationem, quam quia respuunt, oblatas in mensa Domini cælestes epulas non edunt. Non minus pro Iudæis & Turcis, quàm pro Iudaicis & Turcicis Christianis, traditum est corpus Christi, & tamen paulò antè negasti, illos manducare corpus Christi. Quomodo igitur consistit maior tua: pro quibus traditum est corpus, illi accedentes ad cœnam edunt corpus? Nisi vertiginosus esses, quis tibi veniam daret?

Tertium: Iudas interfuit cœnæ, & assedit inter reliquos discipulos. Ergo edit & ipse corpus Christi verum. Si sic ratiocineris: Selneccerus aßidet inter consiliarios Illustrißimi Electoris: Ergo æquè ac illorum quisquā intelligit negotia gubernationis; An non lepidū caput te prædicarent omnes Aulici, & dignū, quod asciscatur in aulā, vt exhilaret eam facetijs? Probabile est, Iudā interfuisse cœnæ: Non tamē omninò certum: Sed existimamus eum interfuisse; quanquam non multum in eo positum est. Quare enim occultas maiorem tuam: Quicunq; cum discipulis Christi fidelibus cœnam sumit, Christi corpus edit? Vidisti ne in ea peti principium? Cur igitur vtebaris hoc argumento? Quia nimirum non habebas meliora. Nos illam negamus cū Augustino, dicente: Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius, etsi tantæ rei Sacramentū ad iudiciū suæ perditionis accipit: Itē, non edunt corpus Christi veraciter impij, quòd nō sunt de corpore Christi. Et nominatim de Iuda: Edebat panē Domini, cum cæteri Apostoli edebant panē Dominū. Etiam Simon Magus baptizabatur, sed nō Spiritu & sanguine Christi, verùm eius dūtaxat symbolo, quod est aqua.

Quartum hoc est. Paulus testatur, reum fieri corporis & sanguinis indignè edentem & bibentem, cùm quia se non probat: tum quia non discernit corpus Domini, quod cum pane sumitur. Qui autē sic rei fiunt, edunt corpus Christi. Ergo impij edunt et bibunt corpus et sanguinē Christi. Rursus negamus Maiorem. Apostolus enim non dicit, corpus & sanguinem Christi mandu-

cari & bibi indignè, sed panem & poculum Domini; atque hoc ipso peccare in corpus & sanguinem Christi, quòd profanant illius Sacramentum: Atq; ita non edunt, sed non discernunt corpus Christi, id est, vt Apostolus ad Hebræos loquitur, cõmune ducunt, & non honore debito, sed contumelia afficiunt, oblatum contemnentes. Sin excipias: At corpus Domini cum pane sumitur: Principium petis. Nondum enim probasti, omnes sumentes panem, simul sumere corpus. Nos verò ostendimus hoc non fieri, nisi in vsu legitimo, qui est coniunctus cum fide. Ideò dixi stultè disputari de impijs, cum neq; pij Christum edant oraliter. Post hoc robur argumentorũ productum, patres etiam aduocat subsidio. Præfatur, primum quodq; verissimum, posterius adulterum esse. Cur ergo tam arroganter eleuatis & abijcitis patrum testimonia, quæ vbiquitatẽ corporis, & corporalem præsentiam et mãducationem in pane, expreßißimè improbant? Cur ibi recentia commenta ante annos circiter quingentos à Monachis & pontificibus obtrusa Ecclesiæ, sunt vobis veriora, quàm totius Orthodoxæ vetustatis cum Scriptura sacra congruens doctrina? Quæ proteruia est, illa excerpere ex veteribus & prædicare, quæ speratis vos posse apud imperitos corrumpere; illa verò abijcere, quæ clariora sunt, quàm vt poßint eludi, & fraudem vestram in aliorum allegatione ac deprauatione patefaciunt?

Augustinus loquitur Sacramentaliter, cum dicit, Iudam accepisse bonum corpus, id est, bonum Sacramentum corporis; id quod sequentia manifestè ostendunt. Cum addit, illum accepisse bonum corpus Christi, sicut Simon Magus accepit bonum baptismum: Is enim baptismum visibilem non inuisibilem: significantem non significatum: Sacramentum seu symbolum, non autem rem ipsam accepit. Similiter ergo & Iudas.

Addit ipse ex Augustino alteram declarationem, malos non accipiendo nihil, sed malè accipiendo dominicum Sacramentum, in se locum præbere non Christo,

sed diabo-

ſed diabolo. Vnde manifeſtiſsimum eſt, Auguſtinum, cum ait, Iudam accepiſſe corpus Chriſti, intelligere Sacramentum corporis.

Sic & reliqua, quæ ex Auguſtino affert, Selneccerum ipſum refellunt. Fieri enim poteſt, inquit Auguſtinus, vt homo habeat integrum Sacramentum, habens peruerſam fidem: Sed quantum ad integritatem & ſanctitatem Sacramenti attinet, non quantum ad ipſum, hoc eſt, quantum ad ordinationem & inſtitutionem diuinam, ſeu quantum ad Deum offerentem & volentem ab omnibus accipi res ſignatas vna cum ſignis, non autem, quod ad obedientiam & perceptionem. Sed non ſequitur, In menſa Domini vterque cibus viſibilis & inuiſibilis proponitur edendus; Ergo impij edunt vtrumque. Quin ideò ſigna abijciunt malè & ad iudicium, quia res ſignificatas abijciunt. Eandem ſententiam confirmat Auguſtinus etiam exemplo Symboli. Euangelium idem, ſanctum & integrum audiunt & profitentur pij & impij, quod ad verba, ſententiam, doctrinam, autoritatem & veritatem diuinam attinet: Sed non vtrique accipiunt res promiſſas & ſignificatas illis verbis Euangelij & Symboli integris & incorruptis. Verbum enim auribus, ſed res non niſi fide, qua illi carent, poſſunt accipi. Eodem ſenſu dicit Auguſtinus, malos habere integra Sacramenta, id eſt, quod ad diuinam oblationem, res & ſigna: quod ad ſuam receptionem, ſigna ſine rebus. Fol. 198.

Sic etiam declarat, quomodo Iudas corpus Domini pretium noſtrum acceperit, Cum dicit, eum partem de pane ſancto, Sacramentum, Euchariſtiam accepiſſe. Nam corpus ipſum Chriſti, non per partes diſtribuitur, nec eſt Sacramentum corporis, nec eſt Euchariſtia pro corpore tradito in victimam & in cibum. Et tamen neq; ſocietatem, neque partem dicit fuiſſe Petro cum Iuda, ſcilicet in re ſignificata, in gratia inuiſibili: Erat enim ſocietas & pars vtriq; in ſigno viſibili.

Eadem est Chrysostomi, Cypriani, Basilij & omnium veterum sententia, cùm dicunt impijs etiam dari corpus Domini. Tam enim perspicuè se declararunt ipsi, vt dubitationi locum non reliquerint.

Etiam Bernhardus, qui tamen est ex recentioribus, ante annos circiter quadringentos & quinquaginta, cum iam esset à Papa Nicolao II. decreta transsubstantiatio, exponit, quomodo dicat Iudam accepisse corpus Domini, quia scilicet de vno pane consecrato acceperit.

Theodoretum, qui vobis est Sacramentarius, & à te, cum libet, contumeliosè reijcitur, puduisset te allegare, si quid pudoris in te esset reliquum. Quid intelligat cum dicit, Christum Iudæ impertiuisse suum corpus, ipse docet, cum inquit: Dial. 1. Visibilia Symbola Dominus appellatione corporis & sanguinis sui honorauit, non mutans naturam, sed gratiam naturæ adiungens. Et Dial. secundo & tertio, cum panem & vinum appellat mystica Symbola, Iconas, typos, antitypa corporis & sanguinis Christi.

Oecumenij locutio Sacramentalis tam est aperta, vt omnem impudentiæ prætextum adimat Selneccero. Sacratißimum Christi corpus manibus impuris accipi, & exsecrabili ori impiorum admoueri. Corpus enim ipsum Christi neq; puris, neq; impuris manibus accipi aut gestari, neq; ori admoueri potest. Nam Selneccerus negat illud existere in locis immundis. Liber Bergensis ex concordia Vvitembergensi negat esse durabilem mansionē corporis in pane: Architectus libri iracundißimè reclamat, cum obijcitur ei insertio corporis Christi in ora sumentium; & vbiquitas non fert motum corporis de loco in locum. Non possunt igitur huius generis dicta accipi nisi de Symbolis, pane & vino.

Nostri sic refellunt manducationem impiorum: Omnis qui manducat Christum, viuit propter eum, Ioh. 6. Impij non viuunt ex Christo. Ergo non manducant eum. Selneccerus audet negare maiorem expreßè, prolatam à Christo & Augustino: asseuerat sine

ne vlla probatione, aliquos manducare Christum, quod ad substantiam, qui virtutis viuificantis non fiant participes. Cui iam potius credamus? Selneccero ne an Christo & Augustino? Confugiet ad suam distinctionem rursus: Viuit per Christum omnis manducans eum, scilicet spiritualiter per fidem: nō autem omnis manducans corporaliter ore. Sed hanc distinctionem dicimus esse sophisticam & fictitiam, donec Selneccerus eam probet. Manducatus Christus semper viuificat: iudicat, non manducatus, sed repudiatus, tam in Sacramentis quàm in Euangelio. Idem Chrysostomus docet, Sacramentum vocans cibum spiritualem, sicut Euangelium, propter res spirituales eo significatas, & virtutem Spiritus per illud operantem in cordibus.

Rectè itaq; Selneccerus plures probationes manducationis impiorum omittit, & rectius etiam has omisisset, pro ea, qua sunt elegantia. Vsum verò istius impiæ manducationis, alium quidem proferri hactenus non audiui, nisi vt per eam explorentur Sacramentarij, qui si interrogati negent corpus Christi ore impiorum edi, iam de ipsis sit lata sententia: cui tamen explorationi, quia dici piè potest, etiam impios edere corpus Christi Sacramentaliter, iam recens accessit altera, vt nimirum, qui neget corpus Christi simul in omnibus aut multis locis existere, certò habeatur pro Sacramentario.

Ad concionem Ioha. 6. cap. quod attinet, non illa quidem Sacramenti institutionem continet, continet tamen doctrinam de re Sacramentali, qua rectè intellecta, fideles norunt, quid in Sacramento cœnæ quærere debeant, & Christus per similitudinē panis ipsis promittat. Atq; ideò veteres, vt notum est, huius capitis verba, adhibuerunt ad declarandam institutionem cœnæ, vt, quo sensu verba Christi intelligenda essent, omnes discerent. Ignoscet igitur nobis Selneccerus, si Christi ipsius vocem de modo manducandi carnem eius, aliorum interpretationi, quorumcunq; sanè prætulerimus, maximè tamen eorū, quos ab orali Fol. 200.

manducatione, ne aſcenſio quidem Chriſti in cælos auocare poteſt, quam ipſe opponebat Capernaitis, corporalem eſum carnis fingentibus.

Dicit, integro anno ante cœnæ inſtitutionem in Synagoga in Capernaum non Hieroſolymis habitam eſſe illam concionem. Sed Chriſtus idem corpus & eodem modo manducandum, ante & poſt inſtitutam cœnam in Capernaum & Hieroſolymis habuit; Ergo Symbolum externum promißioni in Capernaum expoſitæ de corporis manducatione Hieroſolymis additum, neque corpus, neque manducationem corporis Chriſti mutauit. Eadem eſt Chriſti communio ab initio, vſq; ad finem mundi, quæ temporibus & locis, verborum & Symbolorum mutatione non mutatur. In Chaldæa fœdus hoc fecit Deus cum Abrahamo, Eum fore benedictum à Deo, & in ſemine eius benedicendas eſſe omnes gentes. Poſt annos circiter 24. aut plures, circumciſionẽ ei mandabat in terra Chanaan, eámque dicebat eſſe illud ipſum fœdus, quod ante annos 24. cum ipſo inierat. Nec tamen Symbolum fœderi additum mutabat, ſed confirmabat illud idem fœdus. Sic manducationem ſuæ carnis, quam docuit in Capernaum, Chriſtus non mutat, ſed repetit & confirmat, adiuncto viſibili Symbolo poſt annum Hieroſolymis.

Addit, concionem illam eſſe didacticam. Et concio de cœna eſt didactica, docens eandem communicationem carnis Chriſti & diſtributionem, quæ Iohan. 6. docetur: Sed addens diſtributionem Symbolorum, quæ non eſt Iohan. 6. & tam agens de fide, & requirens fidem, quàm concio illa Iohan. 6. Quia Chriſtus iubet hunc panem edi ad ſui recordationem, fidei ſcilicet & gratiarum actionis: Et ſic ſumentibus panem vult eſſe ſui corporis κοινωνίαν. Et ſicut fidem ex cœna ſuffuratur nobis: Sic ſubſtantiam Chriſti nequiter ſuffuratur ex capite 6 Iohannis. Non enim tantùm beneficiorum, ſed etiam ipſius carnis ſuæ manducationem & κοινωνίαν promittit & requirit Chriſtus, Iohan. 6.

æquè

aquè ac in cœna, nec alterum istorum sine altero, Christus sine beneficiis, & beneficia sine Christo cuiquam communicari possunt. Et considera, Christiane lector, quanta sit vel inscitia, vel impudentia istius Theologi, qui ante cœnam institutam sola efficacia, deinceps verò demum etiam substantia Christi pastos & nutritos esse credentes ad vitam æternam, contendit. Atqui Christus dicit, qui carnem, carnem eius non manducat, vitam in se non habiturum: Qui non manserit in ipso, tanquam palmes in vite, membrum in capite, eiiciendum esse foras: Et Paulus, Christum habitare in cordibus fidelium: Et Christum Iesum esse eundem heri & hodie, & vsque in secula. Quid ergo fiet fidelibus, qui ante cœnam institutam sunt mortui? Quid illis, qui ad cœnam accedere non possunt? An Christus in illis non habitabit in æternum? aut in illis aliter, hoc est, tantùm Spiritu habitabit, quàm in iis, qui accesserint ad cœnam, vtpote in quibus sit etiam substantia sui corporis? Vides, quàm verè de suis monstrosis fabulis allegarit Selneccerus regulam Logicorum, dato vno inconuenienti, sequuntur infinita.

Concurrit autem hic cum absurditate superstitio & idolum oralis esus, cui commento tribuuntur illa, quæ Scriptura tribuit partim soli fidei, vt incorporationem in Christum, suscitationem carnis nostræ ad vitam & gloriam æternam; partim visibili Sacramento seu signo gratiæ, vt confirmationem & exercitium fidei, memoriã & celebrationem mortis Christi, testificationem nostræ fidei & obedientiæ, separationem ab impiis. Hæc omnia signum visibile & sensibus expositum requirunt, quo Deus nobis testatur res inuisibiles.

Fractio igitur & sumtio separata panis & vini, est admonitio de fractione corporis Christi & fusione sanguinis in cruce facta. Et non corpus inuisibile, sed visibilem panem hunc iubemur edere ad mortem Domini annunciandam. Non enim corpus corporis, sed panis corporis μνημόσυνον est. Sic & fidei nostræ

ac pietatis erga Christum testimonium necesse est esse visibile toti mundo. Non est inuisibilis esus carnis.

Multum laboris insumit Selneccerus, in eo argumentis ac testimoniis probando, quod caret controuersia, nempe capite 6 Iohan. non agi de cœna. Hoc enim vltrò damus: Sed hinc non sequitur, ibi non agi de re illa, qua Christus ritum cœnæ significat & nobis testatur, ac proinde illam concionem ad rem signatam cœnæ explicandam adhiberi oportere: Sic multa Scripturæ loca agunt de ablutione, hoc est, de remissione & expurgatione peccatorum per sanguinem & Spiritum Christi: quæ etsi non agunt de baptismo, tamen loquuntur de re obsignata baptismo, tanquam visibili signo & pignore, ac propterea ad explicandam rem signatam baptismo, rectè accommodantur. Hoc animaduerso, quòd de ceremonia cœnæ seu ceremoniali manducatione, Iohan. 6. nihil dicatur, euanescit argumentum Selnecceri: Manducatio Iohan. 6. est piorum propria: In cœna est piis & impiis communis: Ergo sunt diuersæ manducationes. Hoc enim & nos asserimus. Sed inde non sequitur: Ergo in cœna est oralis manducatio carnis. Nam hoc modo plus concluditur, quàm sequitur, cum non omnis manducatio, quæ fit in cœna, sed visibilis duntaxat manducatio Sacramenti, sit piis & impiis communis, & quod ad hanc attinet, differunt caput sextum Iohannis & institutio cœnæ: Inuisibilis verò manducatio ipsius Christi eadem sit vtrobique. Ritus enim Sacramentorum sunt signa, nihil aliud, sed idem illud ipsum significantia & promittentia, quod promittit Euangelium omnibus & solis credentibus, vt inculcat passim diligentissimè Apologia Augustana. Distinxit igitur sed non auulsit vetus & recens Ecclesia, & ipse Selneccerus suis argumentis, sextum caput Iohannis à cœna.

Tandem

Tandem addit egregiam doctrinam de finibus præcipuis, quam legens, non possum non deplorare miseram Ecclesiarum earum conditionem, quæ eiusmodi doctoribus seruiunt. Fol. 201.

Primus ei finis est, oralis manducatio carnis Christi, qui finis ei cum Iuda communis est. Hanc ipsam oralem manducationem suprà contendit esse substantiam cœnæ: Iam idem facit finem sui ipsius. Vbi autem communio Christi Paulina? Vbi confirmatio fidei? Alterum facit recordationem, sed nónne hæc & fidem & gratitudinem complectitur? Sed isti Theologi tam sunt occupati in ornanda sua orali manducatione carnis Christi, vt nec ipsis vacet explicare, nec populus multò magis sciat, quorsum hunc panem & hoc vinum sumat, quàm in Papatu, vbi accidentia habentur pro operculo crudæ carnis & sanguinis Christi, ne ab illis abhorreatur. Considera iam lector, an iniuria querantur nostri, doctrinam de vsu Sacramenti ab his Theologis corrumpi & obscurari.

Post has suas pugnas Selneccerus sibi canit ἐπινίκιον: *Ex his omnibus, inquit, manifestum esse confidimus, nos de sacra cœna repetiuisse Apostolicam, Christianam, Catholicam & veram doctrinam, secundum Scripturas. Fecisti probè, Honesta oratio est, & ad percellendos animos auditorum simplicium accommodata; qua frequentissimè vtuntur etiam Romanenses: Sed eodem iure, quo Selneccerus. Vbi enim rerum testimonia falsitatem demonstrant, nemo nisi stupidus aut leuis, verborum lenocinijs ad amplexandum illam adducitur.* Fol. 202.

Claudit suam de cœna disputationem responsionibus ad obiectiones aliquot, vt Selneccerus loquitur, rationis & philosophiæ humanæ, contra veram doctrinam, id est, Idolum Christi, quod Selneccerus defendit. Prima obiectio hæc est: Corpus physicum & humanum non potest simul esse in diuersis locis: Christi corpus est verum & naturale corpus humanum. Ergo

non potest simul esse in diuersis locis, & per consequens, corpus Christi non exhibetur nobis in cœna, sed tantùm signa.

Respondet primò Selneccerus ad totum argumentum: Ex Physicis regulis de mysterijs iudicandum non esse: quasi verò hoc ex Physicis esset allatum: Nisi fortè Selneccero Physicus tantùm, & non etiam Theologus, aut non secundum Theologiam locutus sit ille, qui dicebat; Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet. Antè quàm progrediamur, optarim Dominum Superintendentem explicasse, quid ipsi sit respondere ad totum argumentum: Ad formam ne vel ad materiam. Si enim vel alterum horum, vel vtrumque reprehendit, cur non indicauit? Si autem hoc vult; quòd maior vera sit de alijs corporibus, non autem de corpore Christi, partim petit principium, partim vt huic effugio locum faciat, argumentum nostrum obscurat. Sic enim nos concludimus. Verè humanum corpus docet Scriptura sacra non esse simul in pluribus locis. Corpus autem Christi verè humanum est; Ergo non tantùm secundum Philosophiam, sed etiam secundum Scripturam, non est simul in pluribus locis: Vel potius sic: Corpus quod non est nisi vno loco, eodem tempore, non est in pane & in cælo &c. Scriptura docet, corpus Christi, æquè ac alia corpora, vno tempore non nisi vno loco existere: Ergo non est in pane &c. Quid hic Selneccerus ad totum argumentum? Non enim ex Physicis regulis, sed ex verbo Dei, de mysterijs diuinis iudicamus. Hæc prima est hoc loco nostra de Selneccero querela, quòd argumentum nostrum deprauat, & recitat peruersè & mutilatè. Altera est de calumnia conclusionis, nam, vt patet, nequaquam concludimus, tantùm signa, & non etiam corpus & sanguinẽ Christi nobis dari in cœna: Sed concludimus tantùm, corpus Christi non esse in pane. Vt enim in cœna nobis verè & substantialiter, ac realiter communicetur, & vt Cyrillus præclarè docet, & ex eo Apologia Augustana, Christus non tantùm secundum Spiritum, sed etiam secundum

carnem communicetur nobis, sit vitis nostra, & caput nostrum, verè à nobis edatur ad vitam æternam, tam non opus est ipsius, quàm nostrum corpus in omnibus aut pluribus locis simul existere. Differunt hæc duo quantum cælum & terra; communicari nobis verè in cœna, & existere in pane, & in eo vel cum eo manducari oraliter.

Deinde respondet per distinctionem, quasi homonymia sit in medio, videlicet corpore Physico: Quanquam non video, quid hæc responsio differat à priore, nisi fortè voluerit eam repetere, vt videatur argumentum laborare pluribus vitijs, cum tamen ne vnum quidem ostendat. Corpus igitur humanum ait, non esse in multis simul locis, quatenus suam naturam & proprietatem retinet, & non mutatur à Deo. Quid audio: An ergo proprietatem & naturam suam corpus Christi non retinet? An hæc mutatur à Deo? Hoc enim & dicere cogeris, si homonymia hîc debeat locus esse, & verum dicis, quantumuis hactenus fortiter negaris, tibi ipsi sine pudore palàm repugnans. Sed hoc inde tibi accidit, quia falsa & sophistica est tua ista distinctio. Deus enim nunquã mutat rem finitam in infinitam & incircumscriptam; Creaturam in Creatorem: multò minus mutat corpus in non corpus, sic vt simul maneat corpus, locale sit simul, & non locale. Vera est ergo maior tam de naturalibus, quàm de supernaturalibus rebus: nec tantùm Physica, sed etiam Theologica veritate.

Minorem, nempe, quòd corpus Christi sit verè humanum, naturale & περίγραπτον, ait veram esse in omnem æternitatem, ac proinde non esse simul in diuersis locis aut in cœna. Sed addit correctionem: Veram esse Physicè loquendo. Atqui etiam quàm maximè Theologicè loquendo vera est. Nam corpus Christi perpetuò manere περίγραπτον, ex sacris literis discimus. De hoc, inquit, quæstio aut controuersia nulla est. De quo est igitur? Quàm diu tandem vestra sophistica & impudentia abutetur hominum patientia? Si minor in omnem æternitatem Fol. 203.

vera est, nunquam vera simul erit eius contradictoria; Quibuscunque tandem modis Selneccerus corpus hoc consideret. Non enim tale nobis agnoscendum & credendum est corpus Christi, quale Selneccero libet considerare aut fingere, sed quale revera illud esse testatur vox diuina. Considerationis autem suæ vanitatem ipse prodit, cum in responsione hac duo opponit; Corpus verum esse vno loco, quàm diu Deus ipsum non mutat: Christi autem corpus longè aliter se habere, & longè aliam eius, quàm aliorum corporum esse rationem. Ergo hæc alia ratio corporis Christi est idem, quod eius mutatio, & quidem in natura & proprietatibus naturalibus seu essentialibus, id est, naturam & veritatem corporis tollit. Cum autem hæc mutatio naturæ corporis nimis manifestè repugnet Scripturæ, verbis quidem à se remouet eam Selneccerus, re ipsa verò statuit: Nulla enim consideratione & modo nisi fictitio, corpus simul habet & non habet suam dimensionẽ & localitatẽ.

Quæ autem dicit de absurdis & blasphemijs consequuturis, si ἀπεριγραφία, illocalitas corporis non simul cum circumscriptione & localitate ponatur, nugæ sunt, quæ fideles verba Scripturæ considerantes nihil mouent. Nam prærogatiuæ corporis Christi, quas habet, nequaquam tollunt dimensiones eius, magnitudinem, figurã, seriem partiũ & localitatẽ, non etiã negabitur conceptio, natiuitas, vnio, resurrectio, &c. Nã hæc omnia dimensionẽ & localitatẽ confirmant potius quã tollunt: Contrà verò vbiquitaria illocalitas, et incircũscripta cõsideratio corporis hæc omnia euertit, et eorũ veritatem in ludibria Marcionica transformat.

Enumerat Selneccerus multas prærogatiuas corporis Christi, quas omnes ait negandas fore, nisi ponatur corpus Christi sine sua dimensione & localitate; existens simul in diuersis locis, siue multis, siue omnibus. Quandoquidem Selneccerus & ipsius socij toties ista inculcant, tam audacter asseuerant, & tantopere in illis sibi placent, tanquam causæ suæ singulari firmamento,

quæso

quæso te Lector, ne graueris de his aliquantisper mecum cogitare. Tria in hoc argumento desideramus: geminam exemplorum dissimilitudinem, & in quibusdam etiam narrationis certitudinem. Prima dissimilitudo longè maxima est, quæ argumentum istud prorsus futile, ineptum & absurdum reddit. Volunt enim isti, corpus Christi simul esse circumscriptũ & non circumscriptum, locale & non locale, sensile non sensile, figuram, seriem, situm & proportionẽ partium suarũ habens, secundũ modũ naturalem, et non habens, secundũ modũ supernaturalẽ. At illarum prærogatiuarum, quas producũt ad hoc dogma confirmandum, nulla simul fuit secundũ modũ naturalẽ, & secundum modũ supernaturalẽ nõ fuit in corpore Christi. Christus enim præter naturæ ordinem conceptus in vtero, non simul fuit non conceptus, Comprehensus secundum carnem in vtero, et non comprehensus: Non simul nascendo prodijt ex vtero, & non prodijt, quocunque modo prodierit: Non simul vnita est caro eius Deitati, et nõ vnita: Non simul egressus est è sepulcro, & non egressus est: Non simul ingressus est in conclaue clausum, & non ingressus est: Non simul euectus sursum in cælum, & non euectus est, seu, vt iuratus frater Selnecceri scribit, ascendens in cælum non latum pilum à terra discessit: Idem dico de omnibus exemplis, quæ producere possunt. Non igitur valet consequentia. Corpori Christi competunt multa supernaturalia: Ergo etiam competit ei simul esse circumscriptum & non circumscriptum, locale & non locale, dimensum & non dimensum, figura & serie partium præditum & carens &c. Ratio est, quia illa omnia competunt ei sine vlla contradictionis implicatione: In hoc autem contradictio manifesta est. Altera dissimilitudo non minus euertit consequutionem, etiamsi contradictione seposita, faterentur corpus Christi sic esse vbiq;, aut in multis simul locis incircumscriptum, vt illo tempore, quo tale existit, non simul maneat vno loco circumscriptũ, locale, sensile, &c. Sunt enim omnes

illæ prærogatiuæ eiusmodi, vt in creaturam cadere possint, & pleraq; etiam alijs creaturis competant, præter corpus Christi: Vbiquitatem verò & illocalitatem non modò non confirment, sed etiam refutent. Nam corpus humanum Deus formare potest vel ex nihilo, vel ex terra, vel ex osse, vel ex viri & mulieris, secundum naturam, vel ex solius mulieris semine præter naturam, æquè facilè. Sed inde non sequitur, Dei naturam hoc ferre, vt essentiam præsertim corpoream, infinitam, omnipræsentem faciat, hoc est, aliam Deitatem præter se. Neq; negabitur conceptio, si corpus conceptum dicatur tantùm in vtero, & non simul extra illum fuisse & esse potuisse. Negabitur autem conceptio vera, si fingatur simul intra & extra vterum extitisse. Atque etiã si detur, Christi corpus penetratione diametrorũ, id est, sine corporum cessione transijsse per vterum clausum, per lapidem sepulcri, per ianuam conclauis, nihil hoc ad existentiam in pluribus locis faciet: quia illud etiam naturæ creatæ & finitæ Spirituum competit, quæ propterea non est omnipræsens: Hoc verò soli increatæ & infinitæ Deitati. Ascensio autem in cælos etiam corporibus sanctorum competit, multò magis corpori Christi sine vbiquitate & illocalitate. Neq; negabitur, vt Selneccerus ait, natiuitas, resurrectio, ingressus, ascensus, si dicatur corpus Christi prius, quàm nasceretur, non fuisse extra vterum aut sepulcrum, aut intra conclaue prius quàm ingrederetur, aut in cælo, prius quàm ascenderet, mansisse intra vterum vel sepulcrum, corpus inuisibile, postquam egressum fuit visibile, neq; extra conclaue, postquam fuit in conclaui, neq; in terra, postquam in cælum ascendit. Negantur autem hæc omnia, nec verè sunt facta, sed apparẽter, vt finxit Marcion, si statuitur: aut in dubiũ vocãtur, si possibilis esse creditur existẽtia corporis in omni, aut aliquo loco, insensilis, dum in vno loco existit sensile. Sic etiam vniri hypostaticè inhabitanti Deitati, potest natura humana, finita infinitæ: Neq; tollitur vnio, si natura diuina sit simul extra & intra carnem

carnem assumtam: Tollitur autem, si transformetur in exæquationem naturarum, aut operationem diuinæ naturæ per humanam. Non ergo quia istæ prærogatiuæ competunt carni Christi, etiam vbiquitas ei competet: Proptereà quòd illæ non tollunt, hæc autem tollit veritatem naturæ humanæ: Illæ creaturæ, hæc soli creatori conuenit.

Tertiò, ne exempla quidem omnia, quæ afferunt, Scripturæ testimonijs probari possunt. Nam de ingressu Christi ad discipulos, cùm fores essent clausæ, prius dictum est. Non in eo miraculum demonstrat historia, quòd per tabulas & ferramenta non cedentia, Dominus suum corpus traduxerit, sed in eo, quòd, cum fores essent clausæ, tamen sit ingressus, & subitò in conclaui comparuerit, cum nemo neq; aperuisset, neq; aperiri vidisset ostium. Miraculosè igitur ingressum esse constat: Quomodo autem et quà ingressus sit, non exprimitur: Ideoq; curiosum & inane est inquirere. Idem de penetratione cælorum dicendum est, de quibus ne quidem, qualia sint corpora, affirmare possumus. Aequè facilè ei fuit illos aperire, vt corpori ipsius præberent transitum, atq; eos aperuit, vt visum corporalem Stephani non arcerent ab aspectu Domini, super cælos visibiles à dextra Dei stantis. Idem de corporibus sanctorum sentiendum, qui resurrexerunt cum Christo, & iam degunt cum ipso in vita cælesti. De egressu è sepulcro eadem responsio est. Facilè fuit Christo etiam clauso sepulcro egredi, cedente lapide vel terra & saxis sepulcri. Sed ne id quidem postulat historia, quæ narrat, lapidem fuisse reuolutum à sepulcro per angelum in terræ motu, iam ante mulierum aduentum. Frustrà ergo contenditur, ante ne an post reuolutum lapidem Dominus resurrexerit: partim quia incertum est, partim, quia ex neutro, corporum duorum in eodem loco existentia, multò autem minus vnius corporis in diuersis locis existentia potest colligi. Quod autem de natiuitate ex clauso matris vtero iactitant vno consensu doctorum hactenus esse creditum, id de scholasticis Pontificijs in-

telligendum est, non autem de veteribus, ex quibus non omnes illud miraculum agnoscunt, quod isti in partu factum prædicant: sed multi iudicant, aperto vtero, aliorum infantum more, Dominum in lucem editum esse. Non enim vteri apertio, sed cum viro commixtio virginitatem tollit. Tertullianus de carne Christi: Sed apud nos nihil dubium, nihil retortum in ancipitem defensionem: Lux, lux, & tenebræ, tenebræ: Est, est, & non, non Quod amplius hoc, hoc à malo. Peperit, quæ peperit. Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit, non nupsit. Ipsa patefacti corporis lege: in quo nihil interfuit de vi masculi admissi an emissi, id est, illud sexus resignauit. Hæc denique vulua est, propter quam & de alijs scriptum est; Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Quis verè sanctus, quàm Dei filius? Quis propriè vuluam adaperuit, quàm qui clausam patefecit? Cæterum omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Vtique magis non virgo dicenda est, quàm virgo, saltu quodam mater ante quàm nupta. Et quid vltrà de hoc retractandum est? Cum hac ratione p Aostolus non ex virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronunciat, agnouit adapertæ vuluæ nuptialē passionem. De hoc loco Tertulliani Beatus Rhenanus in præfatione sua in eum librum, hæc annotauit: In hoc libro sunt, quæ euarient à placitis recentiorum Theologorum, vt quod dicitur, Mariam patefacti corporis lege peperisse, cum omnes hodiè Theologorum Centuriæ, Christum clauso virginis vtero prodyisse velint. Nota est Theologorum similitudo de Sole per vitrum transparente. Idque miraculo factum esse asserunt, non agilitatis beneficio, quæ gloriosis, vt ipsi vocant, corporibus competat. Quod decretum suum Ezechielis vaticinio stabiliunt: Tametsi Tertulliano Diuus Ambrosius quoq; subscribit. Sed hæc sunt boni consulenda, præsertim in tam vetusto scriptore, quo vix alium Christianus orbis antiquiorem habet: qui

non diuinare potuit, quid subtiles isti Theologi, tot post ipsum seculis essent definituri. Plus martyrum Christo vitam suam alacriter impendentium habuit ea ætas, quàm disputatorum. Argutias Philosophiæ debemus & nimio ocio.

Origenes in Lucam cap. 2. Hom. 14. Omne masculinum, quod aperit vuluam, sacratum quidpiam sonat. Quemcunque de vtero effusum marem dixeris, non sic aperuit vuluam matris suæ, vt Dominus Iesus. Quia omnium mulierum, non partus infantis, sed viri coitus vuluam reserat. Matris verò Domini eo tempore vulua reserata est, quo & partus editus, quia sanctum vterum, & omni dignatione venerationis venerandum, ante natiuitatem Christi, masculus omninò non tetigit.

Epiphanius lib. 3. Tom. 2. hæresi. 78. contra Antidicomarianitas. Hic qui verè aperuit vterum matris: Omnes enim quot quot geniti sunt primogeniti, vt etiam castius dicam, non potuerunt hoc implere. Verùm solus vnigenitus, qui virgineũ vterũ aperuit. In hoc enim solo perfectum est, & in alio nullo.

Concilium Ephesinum in Epistola ad Nestorium. Natus autem & homo factus, id est, carnem de virgine sancta suscipiens, eamque propriam faciens, natiuitatem nostram ex vulua sustinuit, homo de muliere procedens, nec quod erat, abijciens.

Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis. Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius, nouem mensibus in vtero, vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blanditijs delinitur, &c.

Ambrosius in Luc. ca. 2. de loco Leu. 12. Verbis legis promittebatur virginis partus, & verè sanctus, quia immaculatus. Et paulò post cõcludit: Ergo solus aperuit sibi vuluã. Nec mirũ. Qui enim dixerat ad Prophetas, Priusquã te formarẽ in vtero, noui te, et in vtero matris sãctificaui te. Qui enim vuluã sanctificauit alienã, vt nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Augustinus de fide contra Manichæum,

cap.22. Maria non incongruè propter partum dicitur Mulier; virgo verò, quòd virilem nescierit conuentionem, neq; pariendo virginitas eius corrupta est.

Theophylactus in Luc. cap. 2. Quod autem dicit, Omne adaperiens vuluam, propriè ad Christum solum pertinet. Ipse enim aperuit vuluam Virginis, cū alijs vir aperiat vuluam. Et quanquam scholastici omnes de vtero non aperto consentiant, tamen, vt res habet, fatetur Bonauentura, virginitatem non in vteri clausione, sed in viri abstinentia consistere. lib. 1. dist. 42. 27. Esse virginem & parere, non sunt opposita; similiter nec virginem esse & concipere: Sed iudicantur opposita, propter naturæ impotentiam. Sed ista sunt opposita, coijsse & esse virginem.

Quin etiam D. Lutherus, cuius isti homines omnia verba volunt esse oracula, satis testatus est, se opinionem illam vulgatam de vtero clauso, non habere pro articulo fidei, aut sententia, Scripturæ testimonio nitente, & necessaria creditu, cum in Postilla Ecclesiastica super verba, Verbum caro factum est; sic scribit: Manichæus docebat, Christum non habuisse naturalem & veram carnem, sed fuisse spectrum seu phantasma, quod per Mariam matrem suam transierit, ita vt sanguinem & carnem eius non comprehenderit, sicut Sol per vitrum lucet, non assumens naturam vitri. Propterea Euangelista vsus est voce Emphatica, Factum esse carnem, id est, hominem, vt sunt alij homines, habentem carnem & sanguinem, corpus & animam. Et ibidem super Euangelium Luc. 2. in natalitijs Domini. Disputant aliqui, quomodo factus sit iste partus: tanquam ediderit infantem in precatione, in summa lætitia, non sentiens, sine omni dolore: Quorum religionem non reijcio, fortè propter simpliciores sic inuentam. Nos autem debemus nos intra Euangelium continere, dicens, quòd eum peperit; Et intra articulum fidei, cùm dicimus: Natum ex Maria virgine. Nulla est hîc deceptio, sed, sicut verba sonant, verus partus.

Iam

Iam verò satis notum est, quid sit parere, & quomodo id fiat. Accidit ei idem, quod alijs fœminis, ipsa intelligente, & membris ipsius agentibus, quod conuenit in partu, vt ipsa vera & naturalis illius mater, & ipse naturalis illius esset filius. Itaque corpus illius naturalem suam operationem non omisit, quæ ad partum requiritur, excepto, quòd absq; peccato, absque turpitudine, absque dolore & absque corruptione peperit, quemadmodum etiam sine peccato concepit. Maledictio Euæ ad ipsam non pertinuit, qua dicitur; Cum dolore paries filios tuos. Hoc demto, accidit ei per omnia, quod mulieri parienti accidit. Gratia enim non destruit nec impedit naturam, neque eius opera: Imò meliorem facit & promouet eam: quemadmodum etiam naturali ratione, lacte ex vberibus eum aluit, haud dubiè non alienum lac, neque alia parte corporis, quàm vberibus, ei præbens, quæ tamen supernaturaliter à Deo lacte repleta fuerunt, sine corruptione & immundicia; Vt canimus de ipsa; vbere de cælo pleno. Hæc propterea dico, vt fidei nostræ certitudinem habeamus, & Christum sinamus esse naturalem hominem, per omnia nostri similem, nec eum separemus in natura, nisi vbi de peccato & gratia agitur. Natura in ipso & in matre eius fuit pura, in membris, & in omnibus actionibus membrorum. Neque vllum vnquam fœminæ corpus aut membrum absque peccato, ad naturalem suam operationem peruenit, præterquàm in hac sola virgine. Hîc Deus semel naturam & eius opera in honorem restituit. Non possumus Christum tam profundè in naturam & carnem trahere, quin tantò magis hoc nobis sit consolatorium. Quapropter, quidquid non aduersum est gratiæ, nihil ipsius & matris ipsius naturæ detrahendum est. Textus hîc est clarus, qui dicit: Peperit eum: Et, vobis natus est, inquiunt Angeli. Hæc Lutherus. Ex his testimonijs manifestum est, falsissimum esse, quod gloriantur Selneccerus & ipsius manipulares de perpetuo & vniuersali consensu, & nimis impudenter nos ab illis accusari hæreseos & atro-

cis blasphemiæ, quòd non inter articulos fidei reponamus opinionem, nullo Scripturæ fundamento suffultam, & à tot viris Orthodoxis veteribus & recentibus improbatam, vel in dubium vocatam. Sufficerent nobis ad huius assertionis infirmationem, voces Propheticæ & Apostolicæ: Virgo concipiet & pariet filium, Iesa. 7. Peperit filium suum primogenitum, Luc. 2. Natum ex muliere, Galat. 4. Mosis dictum, Omnis masculus aperiens vterum, sanctus Domino vocabitur, à Luca allegatum de Christo: Denique articulus fidei; Natus ex Maria virgine: Sed quia importunitas aduersariorum, pugnantium tam hostiliter de eo, quod neque probari ex verbo Dei potest, neq; si posset, quidquam illorum caussam iuuaret, coëgit me productis his testimonijs, & vanitatem eorum & imposturam, qua decipiunt imperitos, & in nobis damnandis temeritatem, ne D. Luthero quidem parcentem, demonstrare. Ignoscet mihi cordatus lector, ipsum in quæstione curiosa magis, quàm vtili, pluribus detinenti, & inde æstimabit, qualis ista sit caussa, quæ talibus argumentis defenditur à Selneccero & ipsius socijs.

Fol. 203. *Pergit Selneccerus: Hæc omnia, inquit, superant omnem rationem Physicam, & omnes aliorum corporum conditiones: Sed non essentiales, mi Nicolaë, sine quibus corpus esse non potest. Sic enim eas superant prærogatiuæ corporis Christi, vt naturam corporis non aboleant: id quod per vbiquitatem fieret.*

Fol. 204. *Facilem esse quæstionis solutionem, inquit, si asseratur aliam esse rationem corporis Christi, quàm aliorum. At qui minimè facilè erit, salua Scriptura & analogia fidei obtinere, aliam esse naturam corporis & carnis Christi, quatenus corpus & caro est. Fuit enim similis nobis per omnia, excepto peccato, & nos erimus ei similes natura carnis, Etsi non vnione, donis, officio & honore. Ambrosius corpus ingressum in consortium Trinitatis per communicationem idiomatum intelligit: quod idem est cum eo, quod Selneccerus fatetur per vnionem cum λόγῳ.*

Nihil

Nihil igitur agit suis quatuor capitibus ambiguitatum, quæ recenset.

I. Corpus Christi omnia Physica transcendit. At suam ipsius φύσιν, hoc est, naturam & proprietates essentiales corporis veri non sic transcendit, vt eam exuerit: multò minus eam habet, & non habet pariter. Habet omnia sibi præsentia: At non loco, id est, non sic, vt cum omnibus sit in eodem loco, quo illa sunt, quemadmodum diuinitas adest omnibus & singulis rebus: sed virtute sibi vnitæ Deitatis, quæ efficit, vt quæcunque, vbicunque, & quandocunque vult Christus, etiam sensu & intellectu suo humano, audiat, videat, cognoscat, non secus ac si palparet ea manibus, neque iuuante, neque impediente hanc cognitionē, locorū propinquitate aut longinquitate: & tamen locorum corporis Christi & aliarū rerum distantia & distinctione manente. Diuinitas enim non separatur loco à rebus: quia illocalis est, & omnia loca replet. Corpus autem Christi locale est, & suum locum occupat, distinctum & separatum à locis aliorum corporum. Sicut ergo Christo secundum carnem omnia sunt præsentia per virtutem diuinam, quæ in carne ipsius habitat, siue, quod ad locum, præsentia, siue absentia sint: sic etiam vicissim Christi corpus omnibus præsens est; etiamsi loco ab illis procul dissitum sit. Sic Stephanus erat præsens Christo, & Christus Stephano, etsi corpus Christi in cælo, Stephani in terra existebat: Sic Paulus Domino erat præsens, & Dominus Paulo, cum alterum alter videret atque audiret: Non sublata neque obstante corporum vtriusque distantia locali. Tam enim non existebat corpus Christi in terra, quàm corpus Stephani vel Pauli non existebat in cælo. Si ergo Selneccerus vult, corpus Christi sic esse præsens Paulo & Stephano & omnibus sanctis in terra, sicut ipsi præsentes sunt Christo in cælis. Si vult sic esse Christum corpore suo præsentem omnibus rebus, sicut omnes res præsentes sunt Christo: cum quo luctatur nisi cum suis laruis? Quare innocentes afficit contumelijs?

Talem enim omnipræsentiam nemo Christianus vnquam negauerit. Sed secundum hanc omnipræsentiam, non edetur corpus Christi oraliter, non existet in eodem loco, quo panis Eucharisticus, ac tam non sumetur manibus & ore corporis, quàm Stephanus Domini corpus videns quidem oculis, non tamen poterat manibus suis complecti vel attingere: Multò minus existet in omnibus locis. Sic etiam Christus, quatenus homo est, omnibus dominatur: non tantùm, quia ius habet statuendi de omnibus, quod vult, sed etiam, quia diuina sua omnipotentia efficit, quidquid vult, etiam voluntate sua humana.

Addit Selneccerus: extra & supra omnes cælos euectum est. Non ergo simul mansit intra & infra cælos istos visibiles, supra quos euectum est. Sed perperam assuit ideò non esse locale, quia extra cælum non sit locus Physicus: Est enim ibì locus cælestis, teste Domino Iohan. 14.

II. Christus non visibili, sensili, locali modo, sed tamen alio, est præsens suo corpore, quo promisit se affuturum Ecclesiæ suæ in cœna. Ita sanè: At non promisit, se corporaliter fore præsentem in pane: Corporaliter enim est corpus in cælo: Spiritualiter nobis præsens est in terra: Spiritualis autem præsentia, non est præsentia, qualis competit Spiritui illocali, omnipræsenti, qualis nullus est, nisi Deus, hoc est, mutatio corporis in Spiritum: Sed quæ est per Spiritum, nos cum Christi corpore vnientem, eiq; conformantem, non obstante huic vnioni aut præsentiæ, locorum distantia. Hæc præsentia est promissa Ecclesiæ. Præsentiæ verò corporalis in pane promissionem Selneccerus ex verbo Dei depromat, aut si nequit, cedat veritati, discat aquilarum more alta petere, non humi repere, & regem gloriæ non in elementis his caducis quærere, sed in cælesti maiestate, in qua residens ille non ore, non ventre, sed fide & mente percipitur. Ineptè argumentatur, si negetur, corpore suo versari in terris Christum, inde sequi, nullo modo eum posse nobis sua humana natura

præsen-

præſentem eſſe: poteſt enim eſſe & eſt præſens modo, quo promiſit, nempe ſpirituali. Nam corporaliter ſe nunc affuturum nobis, nunquam promiſit. Non igitur in his terris quærendus, multò minus in pane, in manibus, in ore &c.

III. Chriſtus, quia omnipotens, poteſt eſſe ſuo corpore vbicunque vult &c. Ad hanc obiectionem de omnipotentia ſæpè reſponſum eſt: Deum non eſſe omnipotentem ad facienda contradictoria. De præſentia corporis ad panem, vel vnum iota in literis ſacris expreſſum oſtendat Selneccerus, & vicerit. Neque enim noſtri negant, præſens eſſe & manducari in cœna: Sed pani & ori negant præſens eſſe, vt fidei præſentiſsimum eſſe affirmant, non ignorantes Chriſtum propter hominem adeſſe, non propter panem, & cum homine coniungi velle, non cum pane; idque non aliter, niſi per fidem fieri. Fol. 205.

IV. Inanis repetitio eſt: Chriſtum adeſſe, vbi promiſit ſe fore: dum non monſtrat promiſsionem præſentiæ in pane &c.

Κοκκυσμοὶ *qui adduntur, tam nos mouent, quàm conuitia. Neque enim Dei omnipotentiam negat, qui eam Theologorum ſomnijs inſeruire negat: nec veritatem Dei tollit, qui hominum mendacia euertit: nec falſitatis Deum arguit, qui contradictoria ei, vt fonti veritatis, non tribuit: nec rationem verbo Dei præfert, qui ratione ad hoc vtitur, vt hominum ſophiſmata, aſtutè implicata, à verbo Dei diſcernat: neque Chriſti potentiam phyſicis regulis ſubijcit, qui cum Chriſto, Chriſti corpus* ὁρατὸν καὶ ἁπτὸν *eſſe dicit, atque ita, vt Chriſtianus,* αἰχμαλωτίζει πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ.

Porrò Iuſtini illud, vt præclarè dictum exoſculamur: δεῖ τοὺς τῆς ἐκκλησίας τροφίμους μὴ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις διευθύνειν τὰ θεῖα, ἀλλὰ πρὸς τὸ βούλημα τῆς διδασκαλίας τοῦ πνεύματος ποιεῖσθαι τὴν ἔκθεσιν.

Ignoſcant igitur nobis Bergenſes patres, ſi non ad Selnecceri & ceterorum voluntatem, ſed ad voluntatem doctrinæ Spiritus noſtram doctrinam accommodemus. Apud Theodoretum Or-

ſ

thodoxus inquit ad Eranistem: Nos igitur sensum eorum, quæ dicuntur, scrutantes, intelligimus, quæ animæ propria sint, quæ corporis: ac respondet Eranistes: Atq; hoc fit rectè & ordine: mente enim præditos nos fecit Deus. Cui Orthodoxus: vtamur ergo, inquit, ratione, etiam cum verba facimus de creatore & seruatore nostro, discamúsq;, quæ Deitati ipsius, quæ humanitati conueniant. Vides Selneccere, rationis vsum non adimi nobis etiam in sacris explicandis, sic tamen, vt, quemadmodum Iustinus modò monuit, diuina non ad rationis regulam dirigantur; Sed huius beneficio ita enarrentur, vt à voluntate doctrinæ Spiritus non discrepent. Sunt autem valdè pugnaces disputationes Selnecceri; In maioribus præmissis argumentorum multum occupatus est, & in illis inculcandis, repetẽdis, confirmandis, ac defendendis adeò desudat, ac si hostis ad portas esset, cum illas nemo oppugnet, sed pleraq; vltrò concedamus, & melius etiam, quàm ille, tueamur. Minores autem falsißimas sine probatione assumit, & per eas, quasi per regionem pacatam transit.

Ad alterum argumentum de ascensione Christi ad cælos ita respondet, vt videatur non imi subsellij vir inter Logicos. Sed non satis est temerè iactare paralogismorum nomina, nisi etiam in argumentis oppositis monstrentur. Nihil autem nos neque diuisum componimus, neq; compositum diuidimus. Nam libenter coniungimus hæc: Ascendit in cælos, &, sedet ad dextram Dei. Atq; hoc nihil derogat nostro argumento. Sedere enim carnem nostram ad dextram Dei, non est, carnem vbique esse, sed dominari omnibus creaturis, etsi maneat quolibet tempore in vno loco.

Sed vide quæso Selnecceri argutias. Aduerbium, inde, inquit, ad propius principaliter, non ad remotius refertur, hoc est, Christus non de cælo, sed à dextra Dei venturus est. Sed ferijt ipsum sua conscientia. Idcircò ore semiclauso & contorto, locutus est: Non tam ad cælos, quàm ad dextram; principaliter

ter ad propius, id est, ad dextram refertur particula, inde.
Gratiæ rursus agendæ sunt Domino Superintendenti, quòd sinit tamen nos particulam, inde, etiam de cælo accipere, siue principaliter siue minus principaliter. Modò enim ex cælo descendat, sufficit hoc nobis ad obtinendum, quòd non sit in regione hac inferiori ante descensum; Non enim apparenter, sed verè descendet, mutans locum substantia sui corporis. Iacet & multipræsentia: Quia nec in aliqua, nec in omnia loca descendit Dominus suo corpore ante diem iudicij, nec visibiliter nec inuisibiliter. Sed ne erret, existimans sibi soli nos debere hoc beneficium, sciat nos etiam non largiente, sed vel inuito ipso hoc obtenturos, quòd Christus suo corpore non modò propriè & principaliter, sed etiam solùm de cælo & non aliunde rediturus sit ad iudicium. 1. Nam reditus ille siue secundus aduentus Domini vocatur in Scriptura descensus. 1. Thess. 4. Ergo erit transitus ex loco superiori in inferiorem, id est, ex cælo in aërem siue nubes, sicut ipse dicit, videbunt filium hominis venientem in nubibus. 2. Talis erit reditus, qualis abitus: talis descensus, qualis ascensus fuit, nempe visibilis & localis. Ascendit localiter & verè substantia sui corporis in cælum: Ergo etiam localiter & verè descendet; attestantibus Angelis Act. 1. Veniet sicut vidistis eum ascendere. 3. Apostolus disertè exponit reditum illum, his verbis, 1. Thess. 4. Ipse Dominus descendet de cælo. 4. Inde veniet, quò nos adducturus est secum: Ducet autem nos secum in domicilium suum cæleste. Iohan. 14. Postquàm abiero, & parauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis mecum. 1. Thess. 4. Rapiemur in nubes in occursum Domino, in aëra, Et sic semper cum Domino erimus. 5. Non aliunde veniet nisi quò ascendit; nec aliò potest referri particula, inde, in Symbolo. Ergo non aliunde venturus est, nisi de cælo, quia nusquam aliò ascendit suo corpore.

Selneccerus autem probare videri vult, vocem, inde, referri ad dextram Dei, hoc argumento. Inde referri debet ad proximè præcedens. Dextra Dei propiùs præcedit, quàm cælum: Ergo ad dextram, non ad cælum referri principaliter debet. Ex maiore particulari, Selneccere, dicitur in Pædagogio, in prima figura syllogismorum nihil sequitur. Vox, inde, refert semper quod sensu, non semper quod verborum collatione proximum est. Inde venturus est, significat motum de loco. Locus autem proximè ante vocem, inde, nominatus est cælum, in quod dicitur Dominus ascendisse. Inde igitur dicitur rediturus, seu rursus descensurus. Dextra verò non locum, in quem & quo venit, sed gloriam significat, quam in illo loco habet. Si quis dicat: Princeps venit in illam vrbem: Ibi ciues obstrinxit sibi iureiurando, & ab illis summo honore exceptus & affectus est: Inde est ad nos reuersus, vel, inde transijt in vrbem aliam: Quis hîc, præter Selneccerum, non intelligit, inde, referri non ad honorem, sed ad vrbem, & principem dici rediȷsse vel profectum esse non ex honore vel dominio, sed ex vrbe illa, in qua honore affectus fuit, & cuius dominium occupauit, quod etiam absens retinet? Porrò non tam dextram, quàm cælum propriè referri per istud, inde, etiam hoc argumento patet. Ex gloria & maiestate sua Christus non abibit & descendet: sed descendet cum illa & in illa: veniet enim in nubibus, sedens à dextris virtutis, maiestatis & gloriæ patris: nec minus sedebit ad dextram patris tunc in nubibus, quàm nunc in cælo. Sed, inde, refertur ad illud, à quo & ex quo veniet & descendet. Ergo non ad dextram, sed ad cælum, propriè refertur, id est, non à dextra propriè, sed è cælo, in quo ad dextram patris sedet, Christus suo corpore venturus est. Hinc patet, quàm sit putida Selnecceri cauillatio, qua locum cælestem eludere conatur, ex quo Dominum expectamus. Videamus etiam eius in hoc loco ἀντιλογίας. Dextra Dei, ad quam Christus exaltatus est, illis idem est, quod λόγος

seu

ſeu ipſa Deitas Chriſti: Et exaltari ad eam, eſt illis idem, quod vniri carnem huic dextræ patris. Quomodo igitur iam dicit Selneccerus, corpus Chriſti venturum ab hac dextra, à qua nunquam ſeparatur? aut quis erit ſenſus articuli de reditu? Item, eſt illis hæreticus, ſi quis dicat, dextram Dei interdum accipi pro loco gloriæ diuinæ: Et verum eſt, dextram plus, quàm locum glorioſum complecti. At cum dicit Selneccerus, Chriſtum venturum à dextra Dei, ad quam aſcendit (quo modo non ſine authoritate licet loqui) quis non videt nomine dextræ aut ſignificari, aut comprehendi locum, in quo diuinam ſuam gloriam Chriſtus palàm oſtendit? Et ſenſum neceſſariò hunc eſſe; venturum inde, id eſt, è cælo, in quo ad dextram ſedet?

Cæterum ex verbis iſtis Selnecceri facilè apparet, libenter eum dicturum, cum ſuis fraterculis, ſi auderet, Aſcendere in cælum, idem eſſe, quod hic manentem fieri inviſibilem: & deſcendere de cælo, idem, quod iam antea inuiſibiliter, ſed tamen ſubſtantialiter hic exiſtentem, fieri rurſus viſibilem. Sed arcent eum ab hac gloſſa angeli dicentes: veniet ſicut vidiſtis aſcendentem, nimirum, verè & localiter: Et præcludit ipſe ſibi hanc viam, repudians vbiquitatem abſolutam; Et ibi tantùm aſſerens exiſtere corpus Chriſti, quo illud verbo ſuo allegarit, vt in pane Euchariſtico. Quo enim verbo probabit, Chriſti corpus exiſtere inuiſibile in nubibus, ante quàm viſibile in eas deſcendat? Et tamen ad hanc ſententiam, quàm verborum ſpecie à ſe remouet, non obſcurè etiam in ſequentibus, detorquet articulum fidei de reditu Chriſti è cælo. Hæc tertia eſt in hoc loco Selnecceri antilogia.

Quòd ſi dixerit ſe hoc non voluiſſe, interrogent igitur ipſum ſui auditores, quid ipſi ſit, venire à dextra Dei, & quomodo differat ab eo, quod eſt, venire de cælo. Si differunt, quomodo venit à dextra? Si non differunt, quomodo diſcernentur articuli de Aſcenſione in cælum, &, ſeßione ad dextram? Si enim idem

sunt, venire de cælo, & venire à dextra, Idem quoque erunt horum opposita; Ascendere in cælum, & considere ad dextram: quæ tamen ille negat se confundere. Non ergo soluit Selneccerus hoc argumentum: Sic ascendit Christus in cælum, vt illinc rediturus sit, idque demum ad Iudicium: Ergo intereà nec in pane, nec alibi in terris est præsens suo corpore.

Fol. 206. *Alterum: dicitur Act. 1. Nubes suscepit illum ab oculis eorum; Hoc, inquit, referendum est ad historiam ascensionis, quæ præterijt. Bone Nicolae, salue. Præterijt ascensio. Rectè: sed effectu eius quid fiet? Num & ille præterijt? Num euanuit localis Christi in cælis mansio? Præterijt ascensio, Ergo amplius vera non est? O mirificum Theologum. Hac nubecula, inquit, non adimit nobis Christum: Verum est; sed tuam omnipræsentiam & multipræsentiam tam densis tenebris inuoluit, vt à nemine mortalium in Scriptura possit conspici.*

Scriptura, inquit, declarat ascensionem his loquendi formulis; Ascendit ad patrem. Rectè: in locum scilicet, vbi pater suam gloriam palam ostendit, & filio communem facit. Alioqui enim non fuisset opus abitu ad patrem; cum ipse in patre, & pater in ipso sit.

Item: Ingressus est in gloriam patris, id est, diuinam gloriam visibilem adijt, quam nunc habet in cælo, et habebit in nubibus, cum de cælo descenderit.

Item: Ascendit supra omnes cælos: Id est, in cælum illud, Christi & beatorum domicilium, quod nobis nunc non est conspicuum; quia est extra & supra omnes istos cælos aspectabiles.

Item: per id quod sequitur: sedet ad dexteram patris. Suprà negabas te confundere articulos ascensionis in cælum, & sessionis ad dextram, hic rursus declaras ascensionem per sessionem. Maturius velim vertigini medeare, ne grauius inde malum oriatur.

Veruntamen,

Veruntamen, inquit, hæc sessio significat diuinam excellentiam & maiestatem, &c. non inclusionem localem. Modestè Selneccere: Nec ascensio est inclusio, sed liberrima versatio & mansio Christi in cælo. Hanc non sustulit, sed ornauit sessio ad dextram, id est, gloria quam Christus habet, in cælo manens suo corpore, circumscriptus & visibilis, &c.

Christum tamē dicit omnibus eminentiorem esse in throno paterna gloriæ: Quis hoc negat? quis negat caput præstare membris? Ipse est Rex cælorum, nos ciues; Vtrique tamen localiter & visibiliter erimus ibi in æternum, Ioannis. 14.

Iterum adducit Buceri locum, quo ipso commentum eius labefactatur. Si enim cæli sublimitate definiuntur, non igitur in terris, neque in inferno erunt. Sed quia Dominus Superintendens D. Buceri dictis toties se oblectat, & præsertim hoc tanquam præclarum laudat; legat ea, quæ scripsit in Epistol. ad Ephes. cap. 4. non minus præclarè: Antichristi persuadent simplicioribus, nos hîc habere & percipere Christum modo aliquo huius seculi, vel inclusum vel coniunctum cum pane & vino, aut sub harum rerum accidentibus, ita vt ibi debeat adorari & coli. Doceantur igitur dociles (in quibus optarim esse Selneccerum) præsentiam Christi in Eucharistia nullam haberi, nisi in legitimo eius vsu, & quæ fide sola cum apprehenditur, tum tenetur. Cæteri relinquantur vt cæci duces cæcorum. Hæc ille. Bucerus.

Eodem modo & reliqua quæ addit de exaltatione Christi, magis ipsius sententiam infringunt, quàm nostram labefactant. Si enim exaltatus est, non patietur se denuò detrahi ad humilitatem, & quidem eam humilitatem, qua vix vlla potest fingi, ipsius maiestate indignior, vt impurissimis canum & porcorum rostris comedatur.

Quare, inquit, articulus de ascensione Christi nequaquam euertit propriam sentētiam verborum cœnæ. Conceditur hoc tibi

liberaliter. Non enim illam euertit; sed vestra commenta funditus euertit, teste Christo Ioan. 6.

Articulus de ascensione confirmat τὸ ῥητὸν, *inquit, Imò, mi Selneccere, confirmat* τὴν διάνοιαν, *quàm exponit Christus; Facite in mei memoriam.* Donec veniat,

Christus, inquit, ascendit relicto mundo, id est, deposita exinanitione: Imò etiam relicta terra, & loco inferiore euectus in sublimem.

Concessit in vitam gloriosam ex ratione viuendi huius seculi: Imò etiam ex loco huius seculi, in locum alterius seculi. Nam (si fortè oblitus es) iam audiuisti, Bucerum in ratione huius seculi numerare etiam coniunctionem corporis cum pane.

Hoc enim modo, inquit, nempe, ratione præsentiæ huius seculi, reliquit mundum: Imò non tantùm hoc modo; sed etiam mutatione loci, vt nunc sit sursum & non hîc; vt tu ipse fassus es. Et conditionem & locum mutauit: atqui vtriusq; mutatio naturam neq; mutauit, neq; aboleuit.

Modum hunc ei, inquit, committimus; Nos autem eum solum modum agnoscimus, quem ipse modum exposuit, nec alium vllum, præsertim cum verbo ipsius pugnantem, ipsi affingimus.

Fol. 207. *Tertio loco hoc argumentũ recitat: Contradictoria Deus nec vult, nec facit. Idẽ corpus Christi simul esse circumscriptũ vno loco, & incircumscriptum in omnibus vel multis locis, sunt contradictoria. Ergo Deus hæc non simul efficit. Respondet per negationẽ minoris. Antequam autem ad eam accedat, simulat responsionẽ ad Maiorẽ, Et fingit, multa videri cõtradictoria esse, quæ tamen, cum talia non sint, simul vera existunt, vt deinde suam quoque contradictionem in illorum quasi acerno occultare, & obtrudere possit. Vult videri maiorem distinguere, vt vera sit de contradictorijs, quæ dicuntur eodem respectu. Atqui primùm hæc distinctio insulsa & superuacanea est, cùm ea, quæ respectu diuersorum dicuntur,*

dicuntur, nequaquã sint contradictoria: vt: Dauid non est pater, sed filius respectu Isai, & pater est non filius respectu Salomonis. Secundò; neq; hanc responsionem ipse ad minorem accommodat, in qua dicit, non respectu diuerso, sed modo diuerso corpus Christi esse & non esse locale ac circumscriptum. Notum est autem distinctas esse conditiones Elenchi, respectum eiusdem & modum eundem. Tertiò. Neq; potest eam accommodare minori. Non enim diuersorum, sed eorundem locorum respectu dicitur corpus Christi in illis existere & non existere: nec vlla diuersitas rerum, ad quas corpus Christi relationem habeat, à Selneccero monstratur vel monstrari potest. Nugæ igitur & præstigiæ sunt, quæ Selneccerus garrit de diuersitate respectus seu relationis.

Ad conciliandam igitur contradictionem obiectam, ait, non esse contradictoria, quæ Deus facit cum regulis naturæ pugnantia. Quis hoc intellexisset, nisi docuisset Selneccerus? Sed illud præterea ad hanc quæstionem pertinens fortè oblitus est, monstrare videlicet nobis opera Dei cum ordine naturæ pugnantia simul & non pugnantia. Scimus Deum multa contra ordinem naturæ facere. Sed cum ab illo ordine discedit, non simul in eo manet; Et cum in eo manet, non tum simul discedit. Cum ex nihilo Deus fecit omnia, an simul fecit ex aliquo? An simul fecit & non fecit? Nam ordine naturæ, non posse aliquid ex nihilo fieri, secundum Aristotelem: & tamen posse virtute diuina, secundum Scripturam; non repugnant, cum dicatur idem possibile & non possibile respectu diuersarum causarum. Nam si Deo etiam dicatur hoc impossibile: tum demum euadit contradictio, cuius pars altera falsa est. Scimus ad preces Iosuæ Solis cursum fuisse cohibitum. Num Solis natura ideò euersa? aut mouebatur ne simul Sol eo tempore, quo quiescebat? aut pariebat ne Elisabetha liberos eo tempore, quo sterilis erat? Corpus ambulabat super aquas, num igitur etiam simul erat in profundo aquæ? Sine virili semine nascitur Christus homo: sed non

ſimul ex virili ſemine. Virgo fit mater; num ergo ſimul fit non mater? Virginitas fit inuiolata; Num ergo ſimul violata? Corpus graue fertur ſurſum: Sed non ſimul manet immotum, aut fertur deorſum, vel in omnia loca, vt vos fingitis. Ingreditur per ianuas; ſed non ſimul nō ingreditur. Fit ἄφαντον; ſed non ſimul cernitur ab iiſdem. Corpora reſurgent: Sed non ſimul non reſurgent. Quid igitur hæc ad Selnecceri cauſam faciant, non video. Nihil enim horum naturas rerum ſimul mutat & conſeruat. Nequaquam ergo his exemplis eſt ſimile, ſi humanum corpus, quod organicum eſt, ac certis lineamentis ac figuris totius & partium conſtat, ſimul exiſtere intra & extra ſuos terminos, contineri & non contineri ſuis finibus fingatur. Si enim his proprietatibus exuatur, non iam humanum corpus amplius ſit, ſed aliud quidpiam, quodcunque Deo viſum fuerit. Sic Deus cum faceret, vt præter & contra ordinem naturæ flammæ non vrerent corpora vſtilia, non ſimul ſinebat ſecundum ordinem naturæ, eadem corpora vri. Sic etiam non facit, nec poteſt facere, vt triangulum ſimul habeat tres angulos & non habeat, id eſt, ſit triangulum & non ſit. Atque hæc non poſſe non eſt ἀδυναμία in Deo, ſed potius excellentia & immenſitas δυνάμεως, quæ non ſinit Deum à veritate, rectitudine & natura ſua diſcedere. Quid enim? Num blaſphemiæ arguent Hieronymum, qui ſcribit, Deum, cum omnia poſſit, non poſſe tamen reſtituere virginem poſt ruinam? Si tam inconſideratè de omnipotentia Dei loqui volumus, non feneſtram hæreticis, ſed decumanam portam aperiamus neceſſe eſt. Praxeas cum defenderet, Deum patrem ſibi ipſi eſſe filium: obiiceretur autem à piis, Id non poſſe fieri; tanquam ad firmiſſimum præſidium, confugit ad omnipotentiam Dei. At illi Tertullianus olim, idem quod nos iam Selneccero, piè & prudenter reſpondit: Planè Deo nihil eſt difficile, ſed ſi ita abruptè in noſtris præſumtionibus, vtamur hac ſententia,

tentia, possumus de Deo quiduis confingere. Videat ergo Selneccerus, ne omnipotentiam contra expressam Dei voluntatem, tanquam Gorgonis Clypeum prætendendo, Praxeæ similior euadat, quàm Orthodoxo.

Concludit suam præfationem solutionis; Contradictionem non esse quærendam in ijs, quæ in verbo Dei pugnare videntur cum naturalibus regulis: Sed in ijs demum futuram esse contradictionem, si qua in ipso Dei verbo inter se pugnantia ostendi possent. Hîc iterum suo se gladio iugulat. Talem enim contradictionem, quæ in ipsa Scriptura sit, vestris dogmatibus vos affingere Scripturæ, & Ecclesiæ credendam obtrudere, iam diu satis luculentè à nostris est ostensum. Verum quidem & hoc est, veritatem diuinam, siue in natura, siue in oraculis patefactam, nunquam secum pugnare, nisi hominum falsis interpretationibus deprauetur. At vobis à nostris, non regulæ physicæ, sed vocis diuinæ expressa testimonia, ac tota cælestis doctrinæ analogia opponuntur. Non enim ex Physica, quæ Christum ignorat, sed ex verbo Dei discimus; Christi corpus etiam vnitum Deitati, etiam glorificatum, & ad Maiestatem dextræ Dei exaltatum, esse vno tempore, non nisi vno in loco, sensile, circumscriptum, certa totius & partium magnitudine, figura, proportione & serie. Cum hac doctrina non Physica, sed maximè Theologica & Christiana, pugnant ex diametro vestra commenta, de corpore, per vnionem & exaltationem, non tantùm illocali & incircumscripto reddito, sed etiam, quod omnia monstra superat, simul circumscripto & incircumscripto existente. Hæc in Scriptura nusquam extare, sed vestras esse glossas asseueramus, & dictorum Scripturæ corruptelas, cum verbis & sensu & analogia Scripturæ pugnantes. Non igitur tantùm Scripturam cum Philosophia, sed etiam

Scripturam inter se vos committere nostri queruntur, & secundum tuam ipsius confessionem, Deum mendacem & sibi repugnantem facitis.

Fol.208. Post hæc præludia negat minorem, videlicet esse contradictionem, cum dicitur, corpus Christi idem simul esse περίγραπτον & ἀπερίγραπτον. Rationem affert: quia non eodem, sed alio modo sit περίγραπτον, alio ἀπερίγραπτον. Hæc responsio nihil aliud est, quàm nugatio & principij petitio. Esse enim in his duabus propositionibus contradictionem, facilè probatur ex definitione seu quatuor conditionibus ἀντιφάσεως, quæ non ex Philosophorum placitis, sed ex ipsa rationis luce, naturæ à Deo insita, collecta, & tam in diuinis, quàm in humanis rebus obseruatu necessariæ sunt. Prima est, vt affirmetur & negetur idem de eodem sine ambiguitate subiecti & prædicati. Hîc autem de vno & eodem vero corpore humano Christi affirmatur & negatur existentia eius in vno loco tantùm, seu circumscriptio: Hæc enim idem significant. Secunda: vt dicatur & negetur secundum idem, & eiusdem respectu: Vt hîc affirmatur & negatur de corpore, quòd sit simul in diuersis locis, secundum totam suam substantiam, & secundum omnes eius partes: & respectu eorundem locorum. Si enim circumscribitur vno loco, in reliquis non existit. Si in reliquis existit, vno non circumscribitur, seu continetur: Respectu item eorundē terminorum suorum, intra quos cōtineri & non contineri dicitur. Tertia, vt eodē modo esse & nō inesse aliquid alteri dicatur: Vt hîc actualiter circumscriptum & non circumscriptum, corporaliter præsens & non præsens corpus esse statuitur. Quarta, vt intelligantur propositiones de eodem tempore, vt hîc simul & semel circumscriptum & incircumscriptum corpus Christi à Selneccero ponitur.

Sed hîc excipit, conditionem tertiam in hoc modo deesse: Corpus enim Christi esse circumscriptū vno tantùm loco, secundū naturales veri corporis proprietates, circūscriptiuè & visibiliter,

& non

& non circumscriptum, per potentiam Dei, modo cælesti, miraculoso, spirituali, nobis incognito. Multiplex in istis modis fraus latitat, quam si non fraudem, sed ingenuam, veram & solidam obiectionis nostræ solutionem esse, Selneccerus contenderit, postulare auditores eius ab ipso vellem, vt inter hanc & fraudem sophisticam discrimen & nobis demonstret.

I. Modus contradictionem tollens, necesse est vt prædicati discrimen faciat, non autem ipsi prædicato æquipolleat. Vt si dicam: Petrus est iustus, imputata iustitia: Et non est iustus inhærente iniustitia: nulla est contradictio. At si dicam; Petrus est iustus, modo iustitiæ: & est iniustus, modo iniusto vel iniustitiæ, manet contradictio. Hi verò modi, quibus Selneccerus ait corpus esse & non esse circumscriptum, nulla sunt prædicati distinctio, sed ipsius prædicati de subiecto eodem affirmatio, & negatio. Corpus vult esse circumscriptum circumscriptiuè & visibiliter: Incircumscriptum incircumscriptiuè & inuisibiliter, quod idem est, ac si dicas, locale esse quatenus locale, & illocale, quatenus illocale est. Hîc ipsa localitas & circumscriptio, quæ affirmatur & negatur, sumitur tanquam sui ipsius distinctio seu species. Nihil autem potest distingui per se ipsum. Alioqui enim omnes contradictiones conciliari & eludi possent. Prorsus igitur similis est ista elusio, à Fabro vbiquitatis excogitata, exemplis quæ à nostris allata sunt, vtcunque ringatur Selneccerus: Perinde enim est, ac si dicas, Sol in meridiè lucet, secundum modum lucendi, Et non lucet, secundum modum non lucendi, Quæ Selneccerus scribit & docet vera sunt, modo veritatis, Et falsa sunt modo falsitatis: Selneccerus in inquirenda veritate diligens est, diligenter, Et, negligens, negligenter. Si quispiam contenderet has simul esse veras: Selneccerus est Theologus, modo Theologico: Est autem Sophista, modo sophistico: haud dubiè D. Superintendens isti conciliationi contradictionis non acquiesceret: negaret enim modum sophisticum sibi conuenire. Cur ergo tam imperiosè

postulat, vt Christus & vniuersa eius Ecclesia acquiescat ipsius conciliationibus ἀντιφάσεων, vno pilo non melioribus, nisi is pilus tam tenuis & subtilis sit, vt ego eum nulla oculorum acie possim perspicere.

II. Secunda fraus. Occultat Selneccerus hanc antithesin modorum suorum, eos efferens nominibus à prædicato differentibus voce, sed non significatione, hoc est, æquipollentibus, vt ne videatur idem eodem modo de eodem affirmare & negare. Opponit inter se has propositiones: Corpus Christi in cælo est circumscriptiuè & visibiliter, secundum proprietates naturales veri corporis, Et, est in diuersis locis, per diuinam potentiam, modo cælesti, miraculoso, spirituali, incognito. Hîc si integra fiat membrorum distinctionis antithesis, qualem requirit contradictionis euitatio, dicendum erit: Corpus Christi non est in diuersis locis (hoc enim est esse in cælo tantùm) circumscriptiuè, visibiliter, secundum proprietates naturales veri corporis: Et, est in diuersis simul locis, incircumscriptiuè, inuisibiliter, contra proprietates naturales, vel secundum proprietates non naturales, aut accidentia non naturalia; sed quæ contra naturam corporis sunt. Sic autem discussis Selnecceri nebulis, quis non videt, Esse in vno tantùm loco, idem esse, quod esse circumscriptum; Et esse simul in diuersis locis, idem esse, quod esse non circumscriptum? Nihil ergo aliud dicit Selneccerus nisi hoc; corpus Christi est circũscriptũ circumscriptiuè, Et, est incircumscriptum incircumscriptiuè: Locale, localiter, Et, illocale, illocaliter, Existens vno tantùm loco, secundũ modũ existendi vno loco, qui est proprius corporum, Et, existens in multis simul locis, secundum modum existendi in multis, qui repugnat naturæ corporis. Eadem est ratio omnium terminorum, seu prædicatorum, quæcunque dari possunt.

III. Tertia fraus. Præter hanc nugationis occultationẽ in mutatione terminorum, tales etiam terminos substituit, qui possint omnibus contradictionibus conciliandis accommodari. Quod enim

nim ipse dicit de corpore Christi, idem posset etiam de alijs corporibus, & de omnibus rebus creatis dici; quòd sint in vno tantùm loco, circumscriptiuè, visibiliter, definitè & naturaliter &c. Et in multis, per Dei potentiam, modo cœlesti, miraculoso, spirituali, incognito: quòd nix sit alba, modo naturali & visibili, Et non sit alba, modo miraculoso & incognito &c.

IV. Quarta fraus. Terminos supposititios pro legitimis, tales vsurpat, qui cum opposito distinctionis membro coincidunt, atq; ita voce, alium præ se ferunt, reipsa verò eundem modum significant. Corpus existit vnico loco circumscriptiuè; Et est in multis locis modo cœlesti. Atqui omnia cœlestia corpora sanctorum sunt & erunt in æternũ circumscripta & localia. Et in multis, modo miraculoso: Atqui etiam corpora, in quibus miracula edita sunt, vel edentur, sunt circumscripta: neq; hoc miraculum in vllo corpore, imò in vlla re creata vnquam à Deo editum, vel edendum esse, Scriptura docet. Est in pluribus locis modo spirituali: Atqui etiam Spiritus vno tantùm in loco sunt definitiuè. Non ergo diuersum, sed eundem modum his vocibus exprimit Selneccerus: Ac proinde eodem modo, vtcunq; diuersis nominibus apellato, corpus Christi in pluribus locis simul esse, & non esse dicit.

V. Quinta fraus. Aliqui ex istis terminis supposititijs, efficiunt contradictionem in adiecto; quia repugnant naturæ subiecti. Modus enim, quem spiritualem vocat, idem hîc significat, quod modus, quo Spiritus sunt in suis locis, videlicet non circumscriptiuè, vt corpora, sed definitiuè, hoc est, intra certum quidem & definitum spacium, sed tamen corporibus alijs non cedentibus, & eos includentibus. Ponitur enim pro inuisibili & insensili, & omnia corpora sine cessione penetrante præsentia. Non potest autem idem esse corpus, & Spiritus, id est, non corpus: ac proinde non esse in loco aliquo sicut corpus & sicut Spiritus. Huc etiam pertinet modus, quem isti vocant dextræ Dei, id est, Deitatis, qua volunt corpus esse vbique. In quo tamen ipsi etiam

palàm sibi contradicunt; Negant enim corpus vbique esse repletiuè, sicut Deus est vbique, cum corpus non sit Deitas, ac proinde modus, quo Deitas est vbique, neque corpori, neque creaturæ vlli possit competere. Omnia igitur ista κρησφύγετα huc redeunt, vt dicant, corpus esse in vno loco, quatenus locale & corpus est; Et esse in pluribus, quà illocale & non corpus est.

VI. Sexta fraus. Cum dicit, corpus esse vno loco naturaliter: In multis autem locis per Dei potentiam; Confundit caussam cum modo, vt imponat imperitis, putantibus, eum modi discrimen indicare, quo corpus sit & non sit locale, cùm tamen ipse caussas tantùm dicat, ex quibus locale sit & non sit, videlicet, esse corpus locale ex natura sua: Esse illocale ex potentia diuina. Atqui in effectibus actualibus repugnantibus, non tollit contradictionem caussæ diuersitas. Effectu enim vnius caussæ in actu posito, actus alterius effectus tollitur. Vt si quis pauper sit propter inopiam parentum, & diues ex donationibus diuitum; Non sanè simul erit actu, pauper & diues. Donationis enim effectus, videlicet, diuitiæ, in actum productus, effectum actualem inopiæ parentum, nempe paupertatem sustulit. Sic non tollitur contradictio, cum dicunt; Corpus est locale ex natura sua, & est illocale, ex potentia diuina. Si enim effectus potentiæ diuinæ, videlicet, illocalitas, in actu ponitur; necessariò effectus naturæ, videlicet, localitas, excutitur, vel manet contradictio. Patet ex his, nequaquam à Selneccero sanatum esse vulnus contradictionis, fictitia distinctione modi, sed ipsos eodem modo, actuali & corporali, id est, secundum veri corporis substantiam, corpus locale & illocale, præsens & absens facere. Contrà verò nos absq; vlla repugnantia, corpus præsens & absens dicimus, diuersis præsentiæ modis, præsens spiritualiter, non præsens corporaliter. Hæc nequaquam sunt blasphemi, & diabolici sarcasmi, vt nominantur à Selneccero, sed vera imposturarum & præstigiarum ipsius detectio, quam quia refutare non potest, rabiosis conuitijs obruere & sepelire

pelire conatur. Si nostri ad illorum argumenta sic responderent, sicut ipsi ad nostra: qui triumphi, qui cachinni, quæ exagitationes & exsibilationes, quæ fraudum & scelerum exaggerationes essent futuræ? Sed his satis est dixisse: Ego pulcra poëmata pango. Hæc autē omnia putat Selneccerus se absq; refutatione per instantiā posse retūdere, cùm toties inculcat, Scripturam vtrumq; de corpore Christi tradere, quòd vno loco circumscriptum, & quòd in multis locis incircumscriptum existat: Ideóq; Christum velle & posse & facere vtrumq;. Sed falsum est vtrumq; eorum, quæ sumit sine probatione: Primum, quòd Christus vnquam dixerit, nedum faciat, vt corpus suum simul in pluribus locis sit: Alterum, quòd omnipotentia Dei poßit, idem corpus simul locale & illocale, corpus & non corpus facere: Solem sistere simul & mouere. Quid enim hoc fuerit, nisi corpus semper retinere suam naturam, sed tamen per potentiam diuinam, eam amittere simul & retinere? Quid autem est ludificari Deum & homines, & omnem in rebus diuinis & humanis veritatem ac certitudinē conuellere, si hoc non est?

Erigit autem ipsi sibi more puerorum auiculam ligneam, quam petat; Et tamen ne hanc quidem deÿcit; atq; sic suo & aliorum ocio abutitur. Obiectionē sibi ipse fingit, quam dissoluat, ne nihil egisse videatur. Obÿci ait à quibusdam, præsentiam & manducationem illam, corporalem nimirum & oralem, concedi posse credentibus, sed non infidelibus. Qualis autem est hæc obiectio, & quis in ea refutanda labor, cum recitatur conclusio falsa & absurda, sine præmißis & ratione vlla, & quam nemo sanus defenderit? An Selneccerus nouerit eos, qui hoc concedant, ego nescio. Nostros quidem scio pernegare, tam à fidelibus, quàm ab infidelibus Christum ore corporeo manducari; hoc autem asserere, quòd infideles in vsu Sacramenti sola signa visibilia ad damnationem, fideles autem cum signis rem quoq; significatam accipiant, spiritualem videlicet communionem corporis Fol. 209.

& sanguinis Christi, qua per Christi spiritum, ipsius corpori in cælo manenti, coniunguntur. Simulans ergo responsionem ad argumentum, quod nusquam apparet, repetit suas nænias suprà decantatas, atq; etiã refutatas, quibus fulcire conatus est manducationem impiorum. Substantiam corporis & sanguinis sui, promittit Christus in cœna tanquam rem Sacramenti: & ad huius corporis, traditi pro nobis, memoriam, iubet sumi hunc panem, interprete Paulo, qui panem hunc docet esse μνημόσυνον corporis pro nobis fracti, & per insitionem in illud, nobis communicati. Idem Sacramentum credentibus & impœnitentibus datur; nempe visibile signum, vt sæpè inculcat Apologia Augustana. Exhibetur & offertur vtrisque corpus Christi; Sed non ore manducandum: neq; ab vtrisq; recipitur & manducatur. Sacramentum, hoc est, verbum visibile, est impijs odor mortis, sicut verbum auribus perceptibile: non autem Christus manducatus, siue in verbo, siue in Sacramento.

Fol. 210. *Æque inani opera repetit patrum dicta, quæ suprà recitauit, aliqua eorum similia adijciens. Nam patres, cum dicunt impios edere corpus Christi, Sacramentaliter loqui, hoc est, Sacramentotenus hoc intelligere, certum est; quia ipsi sic declarant hac sua verba, quòd panem, Eucharistiam & Sacramentum corporis edant, non autem ipsum corpus. Addunt item huic loquutioni eiusmodi circumstantias ex notis, quæ de ipso corpore Christi propriè dicto, non possunt sine impietate aut absurditate manifesta accipi, vt cum dicunt, illud manibus & labijs attingi, dentibus teri, impios de ipso participare, cum tamen in partes diuidi non possit. His nihil magis aduersum dici potest caussæ Selnecceri. Frustrà igitur se torquet, in patribus ad suas partes pertrahendis, multò melius & caussæ suæ & honori suo consulturus, si vel silentio illos præteriret, vel autoritatem eorum simpliciter detrectaret: quod verissimum esse testabuntur, qui candido & libero iudicio patrum scripta inspexerunt, aut libros nostrorum, in quibus dicta patrum collecta & collata sunt, præcipuè defen-*

sionem D. Martyris contra Gardinerum; Dialogum eiusdem de duabus naturis: defensionem Thomæ Crammeri, & Oecolampadij Dialogum ad Melanchthonem: ex quibus facilè patebit, qua fide & dexteritate patres allegent aduersarij.

His rationibus & testimonijs iactitat Selneccerus suam sententiam se probè confirmasse, atq; euicisse, nostros docere fanaticas opiniones, deliria humana & physica; Testamentum Domini nequiter deprauare, ac nefariè detorquere. Sed ex his & similibus flosculis, quantò facilius, cõuenientius, rectius, ipse sibi quàm nob. coronam texeret, facilè videbunt, qui ipsius & nostrorum argumenta ac testimonia rectè expendunt; immò etiam, qui exempla deprauationum, quæ hic obijcit nostris, considerauerint. Accipite, inquit, exponunt pro credite: Miscet vera falsis, vt ita simpliciores minori negotio fallat. Iubet Christus nos accipere & manducare nõ panem communẽ, sed panem, qui est corpus ipsius, hoc est, Sacramentum corporis ipsius. Ergo iubet accipi & manducari vtrunq;, Sacramentum, & rem Sacramenti, panem & corpus suum: panem quidem manibus & ore: Corpus verò suum corde & fide. Talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur esse à subiectis, quibus tribuuntur. Non ergo sequitur: iubemur accipere & edere panem & corpus Christi: Ergo vtrumq; eodẽ modo: neq; deprauant verba Christi, sed rectè & secundum ipsius mentem intelligunt, qui verba accipiendi & edendi de pane corporaliter, de corpore spiritualiter exponunt. Ad corpus enim Christi quod attinet, si dicam verum Christi corpus accipi & edi, quæro propriéne hoc, an figuratè dici putet. Si propriè, cur detestatur Capernaitas? Si figuratè vel tropicè, tropum nominet. Si Metaphoram aspernatur, à Selneccero expectabimus alium: Nos interim, dum alius afferatur, dicemus esse Metaphoram. Ac quia omnis Metaphora habet similitudinem, ita nos explicabimus. Quemadmodum is qui cibum sumit, eundémque edit, hoc animo facit, vt alimento in nutrimentum conuerso, Fol. 212.

vires corporis instauret & reparet: sic qui vera fide Christũ amplectitur, in hunc finem amplectitur, vt viuificum succum ex eo hauriat, quo anima pasta ad spem vitæ æternæ nutriatur. Quòd si Sacramentales phrases Selneccerus non respueret, neque peruersè interpretaretur, adderem & alterum, etiam ore Christi corpus accipi & edi, Sacramentaliter, id est, accipi & edi veri corporis Sacramentum, id est, sacrum signum vel Symbolum. Hoc enim manibus accipitur & ore editur, vt res significata sola fide.

EST, *inquit, sumunt pro significat: Corpus pro figura corporis. Hîc primò candorem Selnecceri obseruabit lector: Sciens enim dissimulat, non coniunctim vtramque, sed alterutram harum expositionum seorsum poni à nostris. Neq; enim quisquam tam ineptus est, vt dicat, panem significare figuram corporis: sed panem dicimus aut significare, repræsentare verum corpus Christi, aut esse signum veri corporis. Secundò, qualis est hæc accusatio? Quantum enim audio, Selneccero erunt deprauatores nequã, & detortores nefarij Testamenti Christi, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Basilius, Chrysostomus, Dionysius, Theodoretus, Ambrosius, Augustinus, Gelasius, Beda, Bertramus, & pleriq; veteres, qui expressè & sæpè dicunt, panem & vinum significare, ostendere, figurare corpus & sanguinem Christi: esse corporis & sanguinis figurã, signũ, typum, antitypa, similitudinẽ, imaginem, mysteriũ, Symbola, exemplar, Sacramentum. Quin etiã deprauator sui fœderis erit ipse Deus, qui circumcisionẽ dixit esse fœdus suum, & figuram fœderis sui: Erit & Paulus deprauator fœderis Dei, qui circumcisionem dixit esse signum & sigillum iustitiæ fidei. Erit & Christus ipse deprauator sui testamenti, qui dixit, panẽ esse suũ corpus, & memoriale sui corporis pro nobis traditi. Tandẽ erit & Selneccerus cum sua cohorte deprauator testamenti Christi, qui cogitur fateri, panẽ esse corpus Christi Sacramentaliter. Quid est enim Sacramentaliter esse corpus, nisi esse*

Sacramentũ, mysterium, symbolum corporis, veraciter atque efficaciter. Quid tu ad hæc grunnis? Signum est corporis præsentis. Ita sanè: spiritualiter præsentis, vt in verbo prædicato & in toto Ministerio: non autem in pane: non in manibus, non in aris, non in patellis, cantharis, poculis vestris: non in tuo rostro, quo pabulum Animarum, doctrinam Ecclesiæ, fœdas & conspurcas, & voces istas tuas inpuras, flagitiosas & impias, in faciem Christi & Ecclesiæ ipsius expuis.

MEVM accipiunt pro virtute mea & fructu corporis. Hoc etsi falsissimum esse omnes norunt, tamen vt mendacium hominis vani omnium oculis exponatur, Theodori Bezæ, qui vel Selnecceri testimonio idoneus nostræ sententiæ testis est, verba huc asscribam. Sic enim ille in Epist. 5. ad Alemannum. Nam certè corporis & sanguinis nomina, nimis absurdum foret, de fructu & efficacia mortis Domini interpretari, vel ad solum ipsius Spirituale institutum restringere. Quod vt planissimè intelligas, age pro hisce vocibus, corpus & sanguis, substituamus illam interpretationem, ac dicamus: Hoc est efficacia mortis meæ, quæ pro vobis traditur, &, hoc est spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid ineptius est hac oratione? Nam certè verba illa, quod pro vobis traditur, &c. necessariò huc te adigunt, vt de ipsamet corporis substantia hæc intelligere cogaris. Quod si id ipsum sumi iubet Dominus, quod tradidit & effudit pro nobis, necesse est fatearis, credentes fieri ipsiusmet participes, vt postea demum ex ipso ad nos vis illa omnis & efficacia viuifica defluat &c. Hæc ille. Verum ergo carneum & osseum pro nobis crucifixum corpus Christi, nobis verè cõmunicari in sacra cœna credimus. Huius enim veri corporis symbolum est panis iste fractus & manducatus ad illius recordationem.

Repetit etiam illam sæpe antè eructatam calumniam: nostros docere, corpus Christi ab VSV COENAE tã procul abesse, quàm cælum à terra. Atqui non à cœna, sed à pane tam procul abesse

dicunt. Cæna enim quæ terrena simul & cælestis actio est, in terra & in cælo perficitur. Obiectum actionis externæ, visibilis, terrenæ, videlicet panis, in terra existit, vbi et nos, qui sumimus eum. Obiectum actionis internæ, inuisibilis, cælestis, videlicet corpus Christi, non in terra vbi nos, sed in cælo existit: Cælitus nobis communicatur: in cælo manens nobis in terra existentibus per Spiritum suum vnitur, vt nō in terra maneamus aut adhærescamus, sed sursum attollamus corda, & quæ sursum sunt, quæramus, vbi est Christus ad dextrā Dei sedens, donec reuertens illinc assumat nos ad sese, vt vbi ipse est, & nos simus cum ipso semper. Audiat ergo rursus Selneccerus Bezam in eadem epistola sic scribentem: Tertius error in eo est, quòd substātiale corpus Christi in cœna præsens esse simpliciter negas. Opus fuit enim distinctione: Quia sicuti reuera à nostris oculis, ac proinde A LOCO, in quo cœnam Domini celebramus, tam procul nunc abest Christi corpus, quàm abest cælum à terra: tamen quatenus hæc actio cælestis est, & fides nostra in cœlum vsque subuehitur, vt Christum quàm efficacissimè apprehendat, hoc sanè respectu præsentissimā esse Christi carnem in cœna nisi fatearis, cœnam Domini euacuas. Hactenus Beza: quem Selneccerus Scripturæ testimonijs refutet, non calumnijs, argumentis non conuicijs. Spuat sanè versus, cælum donec in os eius recidat profana illa βωμολοχία, qua putat se eludere posse, quod de fidei in cælum subuectione dicitur, Theologus oralis, ventralis, non Spiritualis, terrenis non cælestibus inhians. An non nostrum caput & πολίτευμα in cælis est? & fides nostra quò? quid respicit? quibus inhæret? quæ complectitur? terrenane, an cælestia? O Theologos egregios, in quorum libris & concionibus sæpius fit mentio oris, quàm fidei: sæpius corporaliter, oraliter, legitur & auditur, quàm Spiritualiter: sæpius et magis sollicitè impiorum manducatio asseritur, quàm piorum explicatur & cōfirmatur. His autē Theologis qui contradicunt, illi Christo & Apostolis & toti Ecclesiæ Orthodoxæ magno & atroci impetu & impudentia

Præsentia Christi in Coena.

pudentia contradicunt, vt Selneccerus loquitur, qui si vel tantillū pudoris haberet, nunquã ea chartis illiniret, quæ vt falsa & impia reÿciuntur ab Orthodoxis, vt conuiciorum & mendaciorum plena, contemnuntur à bonis, vt barbarica & inepta, deridentur à doctis.

Vt consumto aceruo, grumas etiam stercorum reliquas in nos cōÿceret, addit in fine, locū à nobis, ad quem ascenderit Christus, nominari nō posse. Aut igitur surdus aut cæcus est, aut symbolum Apostolorū ignorat, in quo dicimus: ascendit in cælū. Paulus nominat illū locum (inquit Philippus in Coloss.) SVRSVM, in quē Christus localiter ascēdit. Alibi dicit eū esse supra omnes cælos, scilicet visibiles. Deus eū nominat sedem suã, Christus domū patris sui. In hunc locū Stephanus introspexit apertis cælis. Ex eo Dominum expectamus, vt nos in eū locū ad se assumat, vt ibidē simus cū ipso.

Quamuis defungi cupiam labore molesto monstrandi contradictiones & absurditates Selnecceri, tamē sermonis istius de loco Christi nominando, proteruia, impudentia & vertigo, cogit me aliquantisper hic immorari. Oro enim vt cogites, Christiane Lector, cogitetis iuuenes & adolescentes studiosi in Academia Lipsica, hæc Selnecceri dogmata. Toties reÿcit vbiquitatē absolutam, & ibi tantū vult præsens esse corpus Christi, quò alligatū est verbo Christi, vt in pane cœnæ. Interea tamē contendit corpus ibi existere, vbicunq; existit λόγος, alioqui fore vt diuellatur Christus. Fatetur ascensionē esse localē, et tamē factã fingit in nullū locum, quia ascenderit supra omnia loca, quia supra cælum nō sit locus, & hic, quia non possit nominari locus in quē Christus ascenderit: idquod non pudet hominem effutire contra tot expressissima Scripturæ testimonia, contra articulos & fundamenta fidei Christianæ, ac deniq; contra se ipsum. Sed cum Selneccerus istam vocem protulerit ad stabiliendam oralem manducationem corporis Christi, ex ipsius & fratrum eius hypothesibus sic argumentantur nostri. Substantia quæ est in nullo loco comprehensa, est vbique, id est, omnia loca replet, ac propterea de loco in locum

non mouetur, cum neq; deserat, neq; adeat vllum locum, vtpote, quæ in omnibus locis maneat, & in omnibus iam ante existens, nullum de nouo locum occupare poßit, vt de Deo manifestum & in confesso est. Si igitur & corpus Christi sua substantia est vbique, haud dubiè de loco in locum transire non potest, ac proinde nec ex manu ministri in os sumentis, cũ pane proficisci aut inseri, neq; inuisibiliter neq; visibiliter, neq; supernaturali neq; naturali, neq; subtili neq; crasso modo. Sunt enim nugæ & verborũ præstigiæ, quod garriunt, se non loqui de inserendo corpore in ora hominum more carnis bubulæ. Non de eo est quæstio, sed de ipsorum subtilitatibus, quas ipsi cælestes, Spirituales, miraculosas vocant. Non ergo ore manducatur, aut recipitur substantia carnis Christi, quia hæc secundum istorum dogmata, in os non ingreditur. Æstima iã Lector, quàm præclarè defendat Selneccerus manducationẽ oralem. Professus est se soluturũ argumenta de veritate corporis, de ascensione, de contradictione. Quomodo illa soluerit, vidimus. Cur autem & reliqua nostrorum argumenta, & præsertim hoc, non soluere aggressus est, quod maximi ad causam ipsius erat momenti? An quia ne speciem aut laruam quidem vllam responsionis inuenire potuit? An quia successuram sibi metuit responsionem, sicut ea olim successit fratri ipsius Schmidelino? Is enim cũ obijceretur ei, κοινωνίαν corporis Christi non esse ingressum eius in ora & corpora hominum, neque existentiam intra corpora hominũ, siue piorum siue impiorum; sed piorum cum Christi corpore vnionem, per inhabitationem eiusdem spiritus in Christo & in ipsis, tragicè conquestus est & de iniurijs, spirans ac spuens iracundos conuitiorum ignes, calcitrat aduersum stimulos, quasi percitus æstro, non cogitans quem lædat, aut cui maledicat, nempe iubentibus dici, quid Sacerdos gestet in manu. Sed hoc accidere solet nimis cupidè aliquid agentibus, vt sæpe arripiant arma, quibus seipsos lædunt, & properando nimium præteruehantur, & amittant illud quod quærebant. Sic isti oralem esum

Postrema responsione de Maiestate hominis Christi. Ann. 66. à pag 53. vsque ad 61.

esum defendendo, vbiquitatem excogitarunt, quæ oralem esum funditus euertit, sicut ille, qui ne perdiderit, non cessat perdere lusor. Conatus est igitur ille respondere, sed amiculo se tegens veteri ac lacero, quod Lutherus abiecerat, id est, solutione friuola, qua cum se intricari magis, quàm extricari sentiret, deinceps abstinuit: obiecit primùm instar clypei instantiam. Spiritus sanctus etiam non circumscribitur loco, & vbiq; existens, non transit de loco in locũ sua substantia: Et tamen dicitur descendere super Christum & super Apostolos, cum descendit super eos columba, ventus validus, flammæ, & Apostolis datur cum flatu Christi. Ergo & corpus Christi sine motu locali ex manu in os, potest ore comedi. Aut si hoc non potest, sequitur etiã Spiritum sanctum Christo & Apostolis dari nõ potuisse, quia non moueatur localiter. Hic verò nostri, quod ille dat, accipiũt, atq; rursus ex hypothesi illius ita cõcludunt. Ipsorũ confessione manducatur ore corpus Christi, manducato pane, sicut descendit spiritus, aut fertur in discipulos, descẽdẽte columba, vento, flamma super ipsos, impulso flatu in illorum facies. At reipsa descendebat sola species corporalis columbæ, venti, flammarum, Et flatus corporeus loco mouebatur, quæ erant symbola Spiritus sancti, secundum suam naturam præsentis & operantis in Christo & in discipulis. Ipse autem Spiritus sanctus dicitur descendere permutatione nominũ, qua symbolis, columbæ, flatui & flammis tribuitur nomen rei, videlicet Spiritus sancti: & vicissim rei, id est, Spiritui sancto tribuitur, quod est symboli, & quod in solo symbolo fit, nempe descendere, sedere super vnumquemq;. Ergo & in cœna, reipsa manibus fertur, ori admouetur, & ore accipitur intra sumentium corpora, tantùm panis & vinum, symbola exhibiti, & secundum suam naturam præsentis & nutrientis ad vitam æternam, carnis & sanguinis Christi: Ipsum verò corpus & sanguis dicitur ore sumi per mutationem nominum, vt loquitur Cyprianus, Theodoretus & Augustinus; qua panis, qui est symbolum corporis, nominatur

corpus Christi, et vicissim corpori tribuitur, quod reuera tantùm symbolo cõpetit, & in eo solo peragitur, vt manibus tractari, ore sumi, labijs cõtingi, dentibus conteri, linguas madefacere, in partes distribui, posse in terram decidere &c. Quis enim ita insanit, vt non videat impropriè & figuratè, siue metonymiã, siue aliter appellare figurã libeat, dici, Spiritum sanctũ descẽdere aut ingredi in discipulos, sumendo Spiritũ non pro donis, sed pro authore donorũ? Si autẽ sic etiam dicitur & intelligitur corpus Christi oraliter manducari, qua de re contenditur? quare damnamur nos hæreseos hoc ipsum dicentes? quare lacerantur Ecclesiæ? Exemplo igitur Spiritus sancti descendentis clarißimè demonstratur, vbiquitatẽ corporis ex diametro repugnare orali mãducationi. Atqui de hac ipsa Lutherus mouit litẽ, de hac ipsa tantis vtrinq; conatib. pugnatũ est. Hac sublata quorsum excogitatur vbiquitas, cum qua tamẽ illa consistere nõ potest? Quis nõ videt hoc modo à vero controuersiæ statu et quæstione istos discedere, & prorsus nouum atq; ipsorũ etiã dogmati repugnans certamen de vbiquitate in Ecclesias importare? Ac sanè vidit homo Sophisticus & versutus hac instantia se causam suã euertere, itaq; alterã etiam Lutheri responsionẽ subsidiariã adiunxit, si fortè ista præstigiarũ confusione nebulas offundere hominũ oculis, et vulnus à se sibi inflictũ, quod sanare non poterat, saltẽ tegere & occultare posset. Concedit corpus nõ ingredi tum demũ in ora & corpora sumentiũ, quando panis ingreditur, sed corpus iã antea substãtialiter præsens et existens, intra manducantiũ ora et corpora, et in illis, & in patinis, & manibus ministrorũ & vbiq; perpetuò manens immotum, pane Eucharistico manducato, nouos effectus & operationes in hominibus ciêre, quas prius non ciebat, & vim suã in illis exerere, viuificando dignè, & iudicando & occidendo indignè sumentes panẽ istum: Sicut Spiritus sanctus cum sit vbiq;, non tum demum ingrediebatur in Christũ & Apostolos, cũ super ipsos descenderet columba, flatus, flamma; sed iam antè in illis existens, incipiebat in eis operari, quod prius quàm acciperẽt illa externa, symbola in

ipsis non operabatur. Hoc illius commentum est, quo argumentũ eludere, & oralẽ esum tueri se posse existimat. Sed qualis est impudentia, operationẽ nouã corporis loco se non mouentis, venditare hominibus pro orali manducatione corporis? Oraliter mãducare est ex manu aut vndecunq; in os transferri, siue visibilis siue inuisibilis sit mãducatio, modò oralis sit. At Spiritus sanctus dicitur venire, mitti, dari, accipi, nõ quia substantia eius prius nõ adsit, sed quia iam antea præsens, nunc incipiat operari. Si ergo propter hanc operationẽ nouam corporis iã antea existentis in hominibus dicitur corpus ore manducari, eâdẽ ratione & Spiritus sanctus dicẽdus erit ore comedi, quia & ille prius præsens est sua essentia, quàm gratia, id est, prius quàm incipiat operari vitã spiritualem per verbũ & Sacramenta. Viderunt etiã hoc modo perdi suã causam, & nihil minus quàm oralẽ manducationẽ obtineri. Ideo finxerunt simile quoddã de speculo comburente, in quo radij Solis cõgregati et repercussi in corpora vstilia, accẽdunt et vrunt ea. Sic dari & operari dicunt corpus Christi cũ pane per manũ ministri eo modo, quo absq; isto pane nõ detur nec operetur. Sed quid absurdius ista collatione? Quis cõcedet illis in pane cõgregari et condensari corpus Christi, aut virtutẽ corporis, & cõgregatũ vtrumuis horum in pane, ferri cũ pane in ora hominũ et oraliter mãducari, cũ vbiq; dispersum in & cũ alijs rebus ore nõ possit excipi, atq; ita cũ pane receptum intra corpora operari demum ea, quæ ante istã receptionem ibidẽ existens, non operabatur? An tum substantia & virtus corporis in pane recepta fortior & efficacior est, quàm prius in hominibus existebat, sicut radij vniti in speculo et repercussi vrunt corpora, in quæ prius incidẽtes & sparsi, nihil tale operabãtur, quia virtus vnita est fortior quàm dispersa? Nihil de persona cuiusquã dicã, dogmatũ verò istorũ cõmenta nõ possumnõ habere pro mõstrosis, impijs et idololatricis, de quibus verè liceat vsurpare illud Athanasii, ποῖος ᾅδης ἠρεύξατο? donec eorũ ex verbo Dei veritas probata fuerit. Quantum hinc nouarũ ἀντιλογιῶν & absur-

ditatum nascetur? Aut idem numero corpus erit mobile & immobile, & quidem secundum modum dextræ Dei & sessionis ad illam, vbique immobile & mobile in pane: aut erit geminum Christi corpus, alterum immotum, semper vbique existens, alterum verò mobile: atq; istud mobile rursus duplex, visibile in ascensu, in descensu, in cælo, in nubibus, & inuisibile, insensile, incircumscriptum, in pane, in manibus, in ore, &c. Affingetur Christo corpus humanũ & verũ, carens motu suo locali: Et si hoc immobile est verũ Christi corpus; illud, quod in cælũ ascendit, quod de cælo descendet, quod ibi nunc versatur et versabitur in æternũ, nõ erit verũ ipsius corpus, sed Marcioniticũ phantasma. Sed non libet hæc persequi. Neq; est quòd se excusant, simile non esse idem. Dissimilitudo enim est in eo, de quo agitur, & secundũ quod, ista quæ fingunt esse similia, ipsi conferunt. Iacet ergo prostrata & contusa oralis mãducatio per vbiquitatem corporis, & pugnant ista duo falsa dogmata inter se tali cõtradictione, qua etiam prætextũ illum futilem fictitij modi illis adimit. Nam secundum modum eundem, nempe dextræ Dei, volunt idem corpus simul esse vbiq; immotum & mobile in pane. Ergo idem corpus secundum idem, videlicet secundum esse totum & omnes suas partes, respectu eorundẽ locorum ac terminorum suorũ, eodem modo dextræ Dei, & eodem tempore constituunt locale & illocale, mobile & immobile, &c. aut necessariò manducationis oralis iacturã faciunt. Nam perpetuò immobilem præsentiam corporis in omnibus locis (vt illi loquuntur) cum porrectione eiusdẽ corporis per manum ministri in ora sumentium, & orali eius perceptione, tam non cõciliabunt in æternũ omnes sophistæ, quàm lucem & tenebras: & oralis esus sine ingressu eius quod editur, in os edentis, est homo sine anima rationali; animal sine sensu, ambulatio sine motu locali, triangulũ sine tribus angulis. Nemo profectò, nisi qui aut cæcus sit, aut ad Solẽ meridianũ volens claudat oculos, nõ videt irrideri Deũ & homines, dũ fingitur & defenditur esus oralis propriè dictus, corporis immoti secundum locũ, & ora sumentium nunquã

ingredientis. Quòd si etiam faterentur, se oralē manducationem abijcere, solam præsentiam requirere, tamen eos nouam controuersiam mouisse hoc modo esset manifestum: Et hæc etiam immobilis præsentia corrueret, quam ex esu corporali corporis in cœna probare nituntur. Qualis enim est communio, talis etiam præsentia corporis est. Nam præsentia est propter communionem, & ad communionem dirigitur. Si ergo non est corporalis esus, sed spiritualis tantùm communio corporis, erit etiam præsentia, quam communio hæc postulat, non corporalis, sed spiritualis.

Hæc in Recitationibus Selnecceri de persona & de cœna Christi, nunc annotare volui, & lectoribus æquis consideranda proponere, vt videant, suam ne an nostrorum caussam Selneccerus communiuerit. Alij eruditiores plura reperient; Licet enim hic ἐκ πίθου ἀντλεῖν, cum singulæ propemodum lineæ, aut singulos errores, aut calumnias, aut sophismata contineant.

Restant tres Selnecceri recitationes de Augustana Confessione, de autoritate Philippi & Lutheri, de quibus multa dicere non necesse est, cum in Neustadiana admonitione, in Vuolfij & aliorum scriptis, etiam fastidioso lectori de his abunde satisfieri possit. Et Selneccerus eorum, quæ à Neostadianis de vera Confessionis sententia exposita sunt, refutationem ne tentauit quidem, procul dubio memor eius, quòd à Medicis dicitur, μὴ δεῖν ἐπιχειρεῖν τοῖς κεκρατημένοις. Explicat recitationem bene longam, & verbis, ipsius iudicio, valde commodis. Vnum est quod mihi vitiosum videtur, quòd ex multis, qui legerunt, vix pauci intelligere possint, quid velit. Alij insidiarum caussa hoc factum arbitrantur: Alij Selneccerum hoc genere eloquentiæ delectari affirmant. Sunt tamen nonnulli oculatiores, qui hoc eum agere dicunt, quod etiā liber Bergensis agit, vt persuadeat hominibus, se solam Scripturam Propheticam & Apostolicam cum Symbolis Catholicis normā fidei & iudicij de doctrinæ veritate constituere: re ipsa verò his adiungat Confessionis Augustanæ primum

Vndecima Recitatio, Fol. 212.

exemplar, Lutheri articulos, Catechismos, & declarationem, & Formulam Bergensem: quia hæc scripta vult esse talem Confessionis regulam, cui non per omnia subscribens, nemo possit Christianus esse, & in cuius tam verbis, quàm sententijs aliquid corrigi, aut reprehendi, aut desiderari nefas sit. Hunc enim in his Recitationibus dicunt esse scopum Selnecceri, vt obtineat, quicunq; X. articulum Confessionis non intelligunt secundum Lutherum & formulā Bergensem, eos Christianos esse non posse. Sed quia fieri potest, vt, propter argutū D. Superintendentis dicendi genus, ipsius mentem non omnes assequantur, breuiter in vndecima recitatione quædam examinabo, quæ cum Neustad. querela magis, quàm cum excusatione Selnecceriana congruere mihi visa sunt.

Fol. 213. Dicit initio, in Confessione Augustana Anno 30. Carolo V. exhibita, doctrinam sinceram, dilucidè, categoricè & simpliciter esse repetitam. Sit sanè hoc ita in alijs articulis, quod tamen in aliquibus partibus etiam ex ipsis quidam in dubium vocant, de articulo tamen decimo Confessionis, qui est de cœna Domini, hoc non perinde fuisse præstitum propter eius temporis rationem, satis ostendunt sequutæ eius correctiones & diuersorum diuersæ eius declarationes. Addit, eam Confessionem esse communem omnium piè reformatarum Ecclesiarum. Hoc Selneccerus dicit, sed non omnes reformatæ Ecclesiæ. Nam & Heluetica, & aliæ in superiore Germania præcipuæ, erant reformatæ, non minus piè, quàm Saxonicæ. Hæ autem cum viderent non nulla obscurius & ambiguè in Augustana Confessione dici, & à quibusdam perperā intelligi & exponi, suam quoq; ediderunt, nō quòd illam damnarent, sed ne probare viderentur id quod non probabant. Sic etiā præcipuæ Ecclesiæ superioris Germaniæ ediderunt suam Confessionem, quòd alteram secundum Lutheri opinionem, non intelligendam esse putarent, atq; illam retinuerunt vsq; ad tempora interimistica, quemadmodum publicè notum est. Neq; tamen vetus doctrina, etsi à successoribus rectè docentium mutata est, legitimè vnquam est damnata. Vult

Vult Augustanam Confessionem esse Symbolum huius temporis, quo ipso facit eam normam fidei, quod ego nunquam putassem Selneccerum facturum, cum splendidam eius protestationem legebam, de omnibus dogmatibus Ecclesiasticis ad solam Scripturam sacram examinandis. Minus intelligo, quod ait nostri temporis esse Symbolum. Ergo Ecclesia Christi nostris temporibus habet aliud Symbolum, quàm inde ab Apostolis, & temporibus primis? Id primùm ex Selneccero nobis discendum est: hactenus ignorauimus. Sed quia addit, Confessionē Augustanam Symbolum esse in Ecclesÿs Saxonicis, iam video non esse Symbolum catholicū. Si non est Catholicum, non possunt omnes damnari hæretici, quicunq; ei per omnia non subscribunt, dummodò à veteribus & Catholicis Christianorū Symbolis nihil diuersum profiteantur.

Rursus inducit colorem, dicens se omnia scripta hominum sacra Scripturæ subÿcere. Sed non consentiunt his sequentia: Quia scripta quorum mentionem facit, sine exceptione hac (Quatenus verbo Dei consentanea deprehendantur) defendit, eáq; censuræ eximit, vtcunq; in his alÿ quædam negent ac refutent; & postulat, vt omnes, qui nolint pro hæreticis haberi, per omnia illis vt Symbolis veteribus subscribant. Est igitur ista protestatio, facto, vt loquuntur, contraria.

Putat se bene discreuisse hæc à Catholicis Symbolis, cum dicit, nemini obtrudi & à nemine postulari subscriptionem. Interim tamen pronunciat esse reiectos & damnatos hæreticos, qui his scriptis non per OMNIA subscribant. Sed fortaßis ego non assequor phrasin D. Superintendentis, secundum quam non obtruduntur scripta ÿs, qui per ista scripta extruduntur ex Ecclesia. Inculcat enim perpetuò suas Ecclesias, quasi nulla esset extra Diæcesin D. Superintendentis, Ecclesia. Fol. 214.

Dicit illis scriptis seiungi suas Ecclesias ab alÿs sectis. Ergo re ipsa facit ea normam fidei Catholicam; quandoquidem omnes ea scripta non per omnia probantes, vocat sectas alienas à vera Ecclesia.

Tandem hoc fulmen vibrat, in quo ſpem victoriæ ponit: pacem in Imperio ſecundum Confeßionem Auguſtanam confirmatam eſſe. Rectè, ſed non ſecundum interpretationem Lutheri. Nam in pace comprehenſa ſunt Anno 32. Schvuinfurti & Noribergæ etiam Eccleſiæ ſuperioris Germaniæ, quæ Auguſtanam Confeßionem, non vt Lutherus, ſed vt noſtri tum intellexerunt. Et ipſa Confeßio veram & ſubſtantialem communicationem corporis Chriſti aſſerit, quam & nos confitemur: De orali manducatione, de præſentia corporali in pane, de vbiquitate nihil dicit. Non igitur nos, ſed qui iſta affingunt, à Confeßione Auguſtana diſcedunt.

Conſenſum omnium Eccleſiarum ſtatuit expectandum in die vltimi iudicij. Idē & nos ſtatuimus: ſed quia in hac vita Deus incoari vult, ſtudendum etiam huic conſenſui omnibus eſſe pro virili ſtatuimus. Non igitur Selneccerus hac expectatione eludit iudicium legitimæ Synodi, vt ipſi videtur, alioqui multis rebus in hac vita non eſſet opera danda, quæ tum demum perficientur. Interea vult retinere, quod ἀυτόπιςον cognoſcit. Si ergo dogmata & verba ſcriptorum, quæ ſunt in corpore doctrinæ Bergenſi, vocat ἀυτόπιςα, cur negat à ſe æquari ea Scripturæ? Nemo vnquam hunc titulum humanis ſcriptis auſus eſt tribuere. Immo ne ipſi quidem omnia probant in Confeßione & Apologia.

De tuendis Lutheri Catechiſmis & articulis Schmalkaldicis allegat Philippi verba: Sed in illis iſtam conditionem intelligi (niſi aliquid melius ex verbo Dei monſtretur) ex eo manifeſtum eſt, quod addit: Teſtamur nos nunquam voluiſſe diſcedere à Prophetarum & Apoſtolorum doctrina. Ergo eatenus voluit ſubſcribi huic Confeßioni, quatenus cum verbo Dei conueniret. Et hoc ipſe fecit ac nos facere voluit in articulo de cœna Domini, quem deinde clarius explicauit. Itaque cum inquit: Nec Fol. 215. *dubitamus doctrinam Confeßionis noſtræ veram & veterem*

Eccleſiæ

Ecclesia Dei Catholica sententiam esse; intelligit hoc sicut & nos, quod ad fundamentum attinet. Sed inde non sequitur, aliquid stipularum admisceri non potuisse. Multò minus sequitur, omnes Lutheri aut vestras glossas, vel probari, vel cum Confessione congruere. Vbi enim est vbiquitas in omnibus illis scriptis à te enumeratis?

Quod autem VVitebergenses Theologos insimulat errorum, facit quidem, vt solet. Sed neq; Selneccerus, neq; alij ostendere hactenus potuerunt, quicquam illos docuisse, quod cum Confessione pugnaret, etiamsi Lutheri opinionem & interpretationem articuli de cœna improbarunt. Illorum erroribus & deceptionibus ait occursum esse per librum Concordiæ, in quo repetita sit prior doctrina, & controuersiæ explicatæ. At corruptam esse doctrinam, & non explicatas, sed magis implicatas controuersias libro Bergensi, & à nostris demonstratum est, & vel his Selnecceri Recitationibus abunde confirmatum. Admixta enim est vbiquitas, quæ in illis libris non extat. Defensa oralis manducatio, quæ ex Confessione & Apologia non potest elici, sed à Luthero est assuta.

Postquam Symbolis Catholicis antiquis Confessionem Augustanā æquauit, huic verò Schmalcaldicos articulos & Catechismos Lutheri, nunc æquat eidem Concordiam Bergensem. An hoc non est eam facere Symbolum Ecclesiæ Catholicæ, cui tam necesse sit omnes Christianos assentiri, quàm Symbolo Apostolico? Sed falsis propositionibus nititur gradatio, ideo Selneccerus tanquā fractis gradibus de scalis ruit scandens incautius. Neq; enim autoritate neq; dogmatibus paria sunt, quæ ipse paria facit. Non est eadem autoritas Confessionis Augustanæ, quæ Symbolorum Catholicorum: multò minus declamationum Lutheri, & minimè omnium formulæ Bergensis. Nec sine næuis est Confessio Augustana, sicut Symbola vetera: nec præsentia corporalis in pane, quam Lutherus addit, monstrari potest in Confessione & Apologia: v-

biquitas autem Bergensis neque in Confeßione, neq; in Lutheri articulis aut Catechismis locum habet. Paritatē Confeßionis Augustanæ & Bergensis, confirmare vult autoritate Illustrißimorū principum & aliorum ordinū, sed quia illorum haud dubiè fuit propositum & consilium, retinere doctrinā Confeßionis Augustanæ, genuino sensu, hoc est, secundum verbum D[illegible]i intellectæ, non aliquam nouam & cum illa pugnantem introducere. Idcirco vos minus estis excusabiles, qui Confeßionis Augustanæ titulo, obtruditis dogmata vestra vbiquitaria, cum Scriptura & cum Confeßione pugnantia, persuadentes interea principibus, illos à Scriptura & Confeßionis vera sententia discedere, qui non discedunt, & noua vestra dogmata cum illa congruere, quæ cum ea manifestè & multipliciter pugnare, à multis est demonstratum, & neque à Selneccero, neq; ab alijs refutatum. Hanc fraudem cum animaduertent Illustrißimi principes, atq; alij viri cordati, qui hactenus vobis nimium crediderunt, & videbit posteritas liberiorem censuram agens, quæ putatis de vobis fore iudicia? Et cum videat eam Deus, an vos impunè ipsi & Ecclesiæ illusuros confiditis?

Fol.216. Hinc intelligitur, quo iure aperti mendacij accuset Neustadianos, quòd scripserint, patres Bergenses Confeßionem Augustanam, & formulam ipsorum Concordiæ, normam & Symbolū fidei Catholicum omnium Ecclesiarum constituere. Nam Selneccerum aperti mendacij coarguit liber ipse Bergensis, & eius præfationes, in quibus certè nominatur & Confeßio Symbolū fidei, & formula Bergensis norma doctrinæ, à qua dissentientes condemnantur tanquam hæretici, à qua neq; in rebus, neq; in phrasibus discedendum sit, id quod soli Scripturæ conuenit, & Symbolis Catholicis. Quin ipsum redarguunt sua ipsius verba, qui paulò antè Confeßionem vocat nostri temporis Symbolum, quod quicunq; non PER OMNIA probent, eos reiectos & damnatos sectarios & hæreticos, & alienos ab Orthodoxa Ecclesia nominat: quin etiam librum Concordiæ in Recitatione quinta Symbolum vera

veræ doctrina de persona & cœna Christi nominauit, & aliquoties negat posse Christianum esse, qui ipsius declarationibus non assentiatur. Sed hæc noua istorum hominum Grammatica & Logica, cui solenne est, res easdem alijs verbis asserere, alijs inficiari, definitiones affirmare, & definita negare, si hoc est contradictiones diluere, omnes conciliari facilimè poterunt, simúlque verum erit Solem quidem lucere, sed non esse diem.

Refutasse hoc sibi videtur, quòd formulam Bergensem faciant Symbolum Catholicum, cum inquit, de nostris Ecclesijs agitur. Atqui haud scio an magis agatur de nostris, quæ à vobis condemnantur tanquam schismaticæ & hæreticæ, quòd vestris placitis non acquiescunt. Sed quæ tandē sunt vestræ illæ Ecclesiæ? An non Orthodoxæ? At vos illas tantùm Orthodoxas agnoscitis, quæ Scripturam & Confeßionem Augustanam secundū formulam Bergensem intelligunt, nō dico, quæ secundum Selneccerum. Nam de eo nescio quàm bene inter vos conueniat. An autem hoc non est formulam Bergensem facere Symbolum, quo omnes Orthodoxi Christiani & Ecclesiæ veræ discernantur à falsis?

Ad alium autem consensum negat perueniri posse. Hoc dicit Selneccerus, quia metuit lucem, & examen liberæ & rectè institutæ Synodi, Ideóque videndum sibi putat, vt sit pax tantùm intra muros suos, intra quos videlicet nemo audeat ei contradicere. Nos autem cum Apostolo precamur & studemus suo quisque loco, vt idem sentiant & in pace agant omnes Christi Ecclesiæ, & omnes, qui inuocant nomen Iesu Christi Domini ipsorum & nostri in omni loco. Magis etiam confirmat quod dixi, cum ostendit se illos tantùm agnoscere pro fratribus, socijs, ciuibus suæ, hoc est, veræ Ecclesiæ, & illos tantùm accedere ad veritatem Christi, qui accedant ad ipsum, hoc est, ad libri Bergensis & Selnecceri recitationum dogmata. Quid autem si quis monstret ex verbo Dei, vos à veritate Christi alicubi discedere, num illi ad vos, an vobis ad illum acce-

dendum erit? Si quis noluerit hoc facere, eum, inquit, non cogimus: Sed datis operam vt expellatis eum: Nec damnamus. Nicolaë, ad librũ Bergensem respice. Quoties in eo reperitur, Reijcimus & damnamus. Respice ad id quod dicis ante tertiã lineam. An inter deprauatores veritatis hæreticos & Apostatas comprehendis etiam nos, qui vbiquitatẽ & esum oralẽ corporis Christi non agnoscimus? Respice ad nonam & decimam tuã recitationẽ, vbi dicis eum Christianũ esse non posse, qui nõ credat corporalem præsentiam Christi in pane: pag. tua 178. 205. &c. An hoc non est damnare? Sed hoc excusas, inquiens, falsa dogmata simpliciter damnanda esse. At quæ simpliciter damnanda sunt? Nónne ea, quorum falsitas ex verbo Dei prius est demonstrata. Id cum de nostrorum doctrina hactenus neq; tu, neq; socij tui fecerint, ne dogmata quidem damnandi ius vllum habetis, nedum homines, qui ea defendunt, dum legitima cognitione nulla sunt erroris conuicti.

Fol. 217. Scribit hîc, Neustadianos velle autoritatem Confeßionis Augustanæ labefactare. Id non verum esse, testatur tota illorum de hac retractatio, in qua hoc tantùm agunt, Confeßionem eam eiusdem esse debere autoritatis, cuius aliæ Confeßiones particularum Ecclesiarum piæ & orthodoxæ. Hoc vt refutet, ait, phantasiam Theologis esse indignam, scribere, non omnia subitò rectißimè perspici & explicari potuisse in Confeßione post tam densas & diuturnas errorum & idolamaniæ pontificiæ tenebras, & in tanta disputationum, sententiarum, & ingeniorum, etiam inter socios Confeßionis varietate. Maior credo phantasia est hoc negare, oblitum infirmitatis humanæ. Sed hac phantasia perniciosior est arrogantia omnibus Christianis, nedum Theologis indigna, eius quod semel elapsum aut probatum est, nullam admittere emendationem, quantumuis solidè demonstretur aliquid vitij inesse. Ingrata etiam & aliena à Christiano peruersitas, monstratis verioribus, in errore semel recepto velle per-

perſiſtere, & omnes alios detinere, quemadmodum quidam mali & inflati falſa ſapientiæ opinione Philoſophi, de quibus eleganter ſcribit Lucianus. Atq; hi etſi ſerò tandem ſentiunt, ſe deceptos eſſe, quia tamen ſenio iam confecti ſunt, idcirco reuerſionis illos piget pudetq́;, quòd vereantur confiteri, ſe id ætatis cum eſſent, non animaduertiſſe, quam puerilibus rebus occuparentur. Quapropter in ijſdē permanent pudore retenti, præſentiaq́; laudant, & quoscunq; poſſunt ad eadem amplectenda cohortantur, ne ſoli decepti videantur, vtq́; ſe conſolentur aliorum multitudine, qui ſimili in errore verſentur. Cæterum neq; hoc illos latet, fore vt ſi vera dicant, aliquid de authoritate, qua in vulgo eminent, detrahatur, honorq́; quo ante hac affecti fuerint, adimatur. Quapropter non ſponte dixerint præclarè ſcientes ſe, vbi ijs, quæ modò diximus, exciderint, ſimiles futuros aliorū. Hæc ille de Philoſophis, quæ vtinā nō eſſent æquè, aut magis vera de multis noſtri temporis Theologis. Quid enim eſt quod doctiores inter patres Bergenſes ad manifeſtorum errorum defenſionem continuandam impellit, præter δοξαςιόντι δύςηνον & reſpectum ſuæ exiſtimationis? Neq; enim facilè mihi aliquis perſuaſerit, eos vel ſuperſtitione vel inſcitia peccare, quorum malorum alterum haud ſcio an Selneccero infeſtum ſit, niſi fortè vtrunque, aut etiam vtroq; magis, communis ipſi cum cæteris ambitio.

Cœpit, inquit, repurgatio doctrinæ Anno 1517. Cœpit: ſed non perfecta fuit eo anno. Notum eſt multos annos retinuiſſe Lutherum Papiſticas Ceremonias, præſertim miſſales. Et viuunt qui ex ore Philippi Melanchthonis ſepius audiuerunt, eum aliquot annos ſe maceraſſe recitandis horis, quas vocant, canonicis; Cum autem per labores creſcentes non poſſet illis quotidie vacare, totum diem Sabbathi illis ſepties repetendis impendiſſe, donec à Philippo admonitus, eam ſuperſtitionem abiecit: motus hac Philippi ratione: Si peccatum eſſet illam recitationem Canonicam omittere, iam peccaſſe eum contra legem, non reci-

tando quotidie: Sin autem absq; peccato omitti posset, quare frustrà negotijs melioribus & vtilioribus tempus eriperet. Respondit Lutherus se rectè moneri, ac deinceps pro illis horis recitaturum precationem Dominicam. Quàm multa progressu temporis didicerit, scripta illius priora cum posterioribus collata testantur, & Selnecceri ac similium Theologorum τελραγώνων coaxationes abunde refutant. Legatur de hac re Augustini prologus in libros Retractationum totus: in cuius fine dicit. Inueniet quomodo scribendo profecerim, quisquis opuscula mea ordine, quo scripta sunt, legerit. Cur non in Philippo? cur non in Luthero hoc etiam locum habeat?

Ideo inquit, Philippus ipse testatur, confessionem illam esse eius doctrinæ confessionem, quæ iam recepta erat. Sed inde non sequitur, omnia statim fuisse dexterrimè explicata. Possunt etiam aliqua falsa recipi, vt opinio Lutheri de cœna Domini. Atque hæc recepta siue à multis, siue à paucis, siue dudum, siue recens, deponenda sunt, si demonstrentur esse falsa. Fatetur Philippus ipse hanc difficultatem, qui eam expertus est, & recitat, multos ex socijs minimè postremis ne articulum quidem iustificationis per 13. illos annos rectè didicisse: cuius recitationi plus credendum est, quàm omnibus recitationibus Selnecceri.

Lutherus inquit, Philippi locos communes editos anno 1525. canone Ecclesiastico dignos iudicauit. At contrarium iudicauit Philippus, qui in eo libello multa correxit. Sic etiamsi Lutherus anno 29. scripserit, omnia capita doctrinæ sic à se & Philippo fuisse explicata, vt nihil amplius desideretur, Philippus tamen postea secus censuit, & res ipsa ostendit, controuersiam Missalem à neutro tum satis explicatam fuisse.

Fol. 218. *Reliquum huius Recitationis ferè consumitur in Articulis & Epistolis Lutheri. Videtur autem ista protulisse, quia non habuit, quod ad ea diceret, quæ de Augustana confessione scripserunt nostri. Scriptos esse à Luthero articulos istos, vt materia, non vt*

formula

formula Confeßionis essent, manifestũ est: Ἐξεργασία enim illis opus fuisse ostendit collatio cũ Confeßione. Etsi autem iniquum & stultum fuisset Lutheri consiliũ in Confeßione scribenda nõ adhiberi, tamen neque hoc eam eximit ordini confeßionum particularium in Ecclesiis, neque in illis articulis est, quod nostri non libenter agnoscant, exceptis paucis in decimo de cœna. Nã quod in tertio articulo dicit non esse docendum, quòd Christus tanquam homo, aut humana eius natura tantùm pro nobis passa sit, hoc eam non sic voluisse intelligi, vt quidam interpretati sunt, quod etiam diuina natura sit passa, satis ostendit, quod additur, non tantùm hominem, sed Deum verè esse passum, videlicet non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem suam. Fol. 219.

In decimo autem dicit, verè in Sacramento altaris præsens esse in pane & vino verum corpus Christi. Propter hunc articulum, videtur Selneccerus etiam cæteros recitasse, vt confeßionem Augustanam in suas partes pertraheret, sed multa sunt quæ obstant illi. Non enim confeßionis, sed Lutheri sententia hoc articulo confirmatur; neque magis ex isto, quàm ex alijs eius scriptis sequitur, quia sic Lutherus intellexerit confeßionem publicam, idcirco vel ab omnibus confeßionis socijs sic intellectam fuisse, vel sic intelligi oportere. Hæsitauit Melanchthon in causa Sacramentaria etiam tum temporis, quando nondum eam intellexit. Ideo etiam in confeßione & Apologia nihil dixit de præsentia in pane, nihil de manducatione orali: sed tantùm de vera præsentia & efficacia Christi in cœnæ legitimo vsu, & de vera communione corporis Christi secundum Cyrillũ. Hæc nobis non aduersantur. Etsi autem ab aduersarijs de orali manducatione exponuntur, tamen ea neque ex verbis Confeßionis obtineri, neq; cum ijs, quæ in alijs Confeßionis & Apologiæ locis dicta sunt, cõsistere potest. Quin etiam cum verbis huius Articuli Lutheri non congruit illa opinio. Si enim corpus substantialiter Fol. 222.

existere in pane intelligitur, nō consentit hæc interpretatio cum verbis Christi, secundum quæ vult Lutherus sua verba intelligi. Christus enim non dicit in pane corpus, sed panem esse corpus suum. Si ergo Lutheri locutio in pane congruere debet cum verbis Christi, necesse est vt illa quoq; Sacramentaliter intelligatur, hoc est, quòd corpus Christi sit in pane præsens fidei, sicut res promissa & exhibita fidei in signo aut in verbo. Hoc rursus nihil aduersus nostros. Et nisi Lutherum velint à se ipso (sicut alibi sæpe ipsi accidit in hoc negotio) hîc quoq; dissidere, etiam sequentia verba Articuli hunc sensum postulant. Dicit enim hæc verba: Hoc est corpus meum, flagitare fidem, & conferre atq; exuscitare fidem in omnibus qui Sacramentum seriò petunt, sicut baptismus. Hinc enim sequitur, nullum esse legitimum Sacramenti vsum sine vera pœnitentia & fide in Christum, & in his verbis nullam aliam promissionem adiungi sumtioni panis, nisi eam quæ fide accipienda sit, quemadmodum in baptismo nihil aliud visibili signo promittitur, nisi quod etiam in voce Euangelij. Idem confirmat Articulus octauus, qui dissertè dicit, prædicationi verbi, id est, promissioni Euangelicæ de Spirituali communione Christi addita esse signa externa, baptismum & Eucharistiam, quibus fides confirmatur. Hîc nullus relinquitur locus orali manducationi.

Fol. 224. Post recitatos articulos Lutheri, subiungit, alia esse de Augustana Confessione dicta à Neustadianis ad suas laruas mangonizandas. Illi verò nullas laruas finxerunt, neq; vlla mangonizatione indigent, sed simpliciter nota omnibus & manifesta, & Philippi de suis laboribus verba recitant, quæ vituperare Selneccerus potest, refutare non potest. Addit & hanc calumniã, nostros hoc velle, vt confessionis Augustanæ societas deinceps non conseruetur. Hîc verò manifestè eam redarguit Admonitio, quæ nec societatem nec authoritatem confessionis Augustanæ oppugnat, Sed hoc tantùm vult, eam suo loco & ordine collocandam esse:

esse: Contrà verò Selneccerus & alij, qui altius eam euehunt, quàm par est, non modò authoritatem eius eleuant, sed etiam aduersariorum ludibrijs exponunt, vt res ipsa ostendit. Quod ad nostros attinct, semper professi sunt & adhuc profitentur societatem confessionis Augustanæ, sed secundum Scripturam & suas ipsius declarationes intellectæ. Non autem secundum Lutheri vel Selnecceri, vel alterius interpretationes ipsi confessioni & Apologiæ repugnantes. Fuit & Melanchthon; Fuerunt ante INTERIM Ecclesiæ Rhenanæ & Sueuicæ Augustanæ Confessionis sociæ, & tamen eodem modo, quo nos, eam intellexerunt. Atque sic intellectam, vt ab ipso est declarata, etiam Philippus testimonium consensus voluit esse confessionem, non autem ad Lutheri opinionem, nedum ad vbiquitaria figmenta quenquam ea re inuitare aut obligare voluit. Sed occurrit: repetitiones & explicationes, quæ additæ postea fuerunt, nihil detrahere confessioni. Neque hoc nostri volunt: sed illud duntaxat ex his declarationibus consequi ostendunt, primam editionem, in qua potius quantum tunc potuit, quàm quantum opus fuit, præstitum est, nequaquam esse præferendam posterioribus, sed potius posteriores primæ.

Fatigatus quasi ex pugna, impingit nostris aliud falsum crimen, turbationem videlicet pacis. Atqui res ipsa clamat, nostros hoc vnicè agere, vt legitima cognitione decisis controuersiis, vera & solida pax & Concordia, in omnibus Euangelium profitentibus Ecclesiis constituatur: & semper sese ad fraternitatem Christianam colendam obtulisse & offerre, modò ne ad approbandas contra conscientiam falsas opiniones adigantur: Contrà verò Selneccerum & ipsius gregales, cum videant se rationibus vinci, tamen implacabili odio furentes aduersus omnes, qui non omnia ipsorum decreta adorant, seditiosis clamoribus & conuitiorum rabie, omnes hominum ordines, aduersus nostros incitare, vt planè videatur eorum vesania, malle publica ruina Fol. 225.

concidere, quàm de φιλονεικίᾳ sua vel minimum concedere. Ipsi igitur malorum, quæcunque ex hoc infelice certamine extiterunt, vel existere possunt, Deo, Ecclesiæ, et patriæ rationem sunt reddituri. Rursus calumniatur Neustadianos dicere, quia pauci fuerint Theologi, qui confessionem Augustanam conscripserint, ideo authoritatem eius esse exiguam. Illi verò neque dicunt, neque cupiunt esse exiguam; nam & ipsi vel inuito & ægrè ferente Selneccero, societatem illius profitentur: sed hoc tantùm dicunt, non esse habendam eam pro symbolo Catholico totius Ecclesiæ Christi, sed pro confessione particulari, sicut alias confessiones Ecclesiarum similes.

Addens aliã calumniam, quid verò, inquit, hoc monstri? quid malitiæ? Non quæritur num multi vel pauci fuerint, sed an piè & rectè scripta sit. Primùm hîc monstrosa est Selnecceri vel inscitia vel malitia, qui confundit has duas quæstiones plurimum distantes, An vera sit confessionis doctrina, & an alijs omnibus confessionibus hæc formula præponenda sit, tanquam plus habens authoritatis. Quod cum voce diuina congruit, verum est & recipiendum absque controuersia, etiamsi totus mundus reclamet. Authoritas autem humana plurium & posteriorum post res magis excussas & explicatas, assentientibus præsertim etiam antecessoribus, non est minor, quàm pauciorum, qui primi res mouerunt. Si nescit Selneccerus, discere debuit, si scit, etiam dissimulare ipsi turpe fuit discrimen authoritatis diuinæ & humanæ in scriptis Ecclesiasticis. Dogmatum diuinorum semper est authoritas diuina: neque illis propter homines asseuerantes ea, sed propter testimonium diuinæ vocis assentimur. Verborum autem forma & modus quo exponuntur, in sola Scriptura sacra diuinam authoritatem habet: In alijs scriptis aut sermonibus Ecclesiæ aut membrorum eius humanam. Alij enim alijs purius, integrius, commodius & dexterius doctrinam cælestem explicant, ideo censuram admittunt & postulant, hoc est,

cum Scriptura collationem, & sæpe emendationem aut mutationem & illustrationem. Si igitur ex veritate doctrinæ Selneccerus authoritatem confeßionis æstimare vult, nostrorum confeßiones extant, quæ non cedent authoritate Augustanæ: quia non minus & piè & rectè, & in aliquibus capitibus etiam purius & planius sunt scriptæ, quàm illa. Sed non tam stolidè concluserunt Neustadiani, quàm fingit Selneccerus. A paucioribus conscripta est. Ergo minus vera est: aut quod ex verbo Dei profitentur pauciores minus authenticum est eo, quod profitentur plures. Selnecceri hæc larua est: Illi autem hoc dicunt: Posteriores formulæ à pluribus conscriptæ, excussæ, probatæ sunt, & post res acrius vtrinque disputatas, illustratas & expensas: Ergo authoritas earum Ecclesiastica & humana, quæ huic generi scriptorum conuenit, non debet esse minor, quàm confeßionis Augustanæ præsertim primò exhibitæ. De hac igitur authoritate, quæ examen & correctionem admittit, ineptè dicitur, non quærendum esse num multi vel pauci fuerint authores, censores & approbatores istarum formularum. Est enim id quærendum: cum de discrimine vniuersalium & particularium confeßionum agitur. Non enim hîc disputatur an doctrina Confeßionis tenenda sit, quam & nos tenemus, & quidem melius & purius quàm Selneccerus & omnes vbiquitarij, sed an præferenda sit alijs subsecutis editionibus, & omnibus alijs Ecclesiarum particularium confeßionibus. In illa quæstione non habet, in hac autem habet locum consideratio personarum, quarum consilio confeßiones istæ sint scriptæ & editæ. Hinc etiam intelligitur, quàm inanis sit Selnecceri digreßio ad paucos per angustam portam & arctam viam ad vitam ingredientes, & multos per viam & portam latam currentes ad exitiũ. Nondum enim valde attritũ angustijs huius portæ vidimus Selneccerũ cum suis sodalibus, qui cũ animaduertant, quanta vis sit inueteratæ superstitionis, vt placeãt multitudini, defendũt perti

nacia, & clamoribus, quæ verbo Dei defēdi nō possunt, aliud haud dubiè facturi, si culinis & prælaturis eorum hoc tam expediret, quàm illud. Neq; ille hactenus probauit, nos esse ex Ethnicorum, hæreticorū, Iudæorū, Turcarū, Epicureorum agminibus, latam viam currentibus, ad quos nos relegat, neq; nos argumento Turcico, quod nobis affingit, veritatem nostræ doctrinæ, multitudine suffragiorū confirmamus, vt faciunt patres Bergenses. Et vtri magis quæsentur ingressu per angustā portā, nostrine an illi, rectius alij iudicabunt, quàm Selneccerus. Nā quòd quærit, cur nostri paucos ipsos tam immaniter adoriantur: sine ratione quærit suo more. Quæ enim nostrorum est immanitas? Nisi immanitatem vocet robur veritatis, cui ipsi non possunt nisi viribus et artibus mundanis obsistere: Contrà verò ipsi nostros innocentes & pacis cupidos adoriuntur crudeliter, inauditos condemnādo & proscribendo. His condemnationibus iniustis & hostilibus consilijs nostri ex officio, quod debent Deo, Ecclesiæ, posteritati & suæ conscientiæ, necessarias apologias non possunt non opponere. Negat etiam audacter sedens intra muros suæ Superintendentiæ, principes & Theologos exhibentes confeßionē, intra muros Augustanos fuisse in metu: excipiens tamen Philippum: nō secus ac si ipse tūc interfuisset rebus. At Philippus nō suū tantùm, sed etiam sociorum narrat metum & periculum, cuius magnitudinē sani et prudentes in historia considerantes, facilè possunt æstimare, an iusta metus causa fuerit in tanta odiorum asperitate & hostium potentia. Viuunt testes fide digni, qui illa quæ recitarunt Neustadiani, audiuerunt ex ore Principum, qui Confeßionem exhibuerunt Imperatori Carolo, & quidem quorum non postrema fuit prudentia, magnanimitas & authoritas. Non est igitur quod dicat Selneccerus hoc fictum esse à Neostadianis, à quibus vera commemorari testatur apertè etiam historia confeßionis à collega ipsius edita, præsertim in deliberatione de vitandis articulis odiosis.

Fuit

Fuit in principibus constantia & παῤῥησία diuinitus excitata & memorabilis ad omnē posteritatē. Sed quis nisi valde stupidus & impudens hanc neget expertem fuisse timoris ex hostium multitudine & potentia concepti? Certè fundamenta missæ tunc non ausi fuerunt palàm conuellere: immò retinere se missam professi sunt, ne grauius exulcerarent animum Imperatoris & aliorum principum, quos maxima ex parte habebant aduersarios & iniquos. Nimis ergo inconsideratè ex alacritate & παῤῥησίᾳ in articulis tutioribus, quibus minori cum specie poterat contradici à pontificijs, & quibus minus acerbè repugnabatur, Selneccerus probat eandem fuisse in articulis, qui plus disputationum & motuum atq; offensionum fuissent parituri. Immò ne in ceteris quidem cogitat sapientis esse, metum suum nō apud hostes prodere, sed apud amicos expromere. Et qui Illustrißimos heroas hoc de se & socijs ingenuè cōfitentes audiuerunt, fide digniores sunt, quàm multi de Selnecceri grege, cui nullum potest opponi tam locuples & graue rerum ac personarum testimonium, quod non audeat sine refutatione arguere mendacij.

Selneccerus autem ad refutandam trepidationem & actionum ex ea ortam lenitatem, producit aliquot Epistolas Lutheri: quasi verò in omnibus fuerit eadem animi magnitudo & Spiritus heroicus, qui erat in Luthero. Gratias tamē hoc nomine agimus Selneccero, quòd has Epistolas inseruit, quarū iucundior pijs & vtilior est lectio, quàm omnium recitationum Selnecceri, quandoquidem in illis lucet insigne exemplum fidei & animi Christiana fortitudine & Spiritus diuini robore suffulti: illis autem quæ dicta sunt à Neustadianis de illis Confeßionis autoribus & socijs, qui anno 30. fuerunt Augustæ, nihil ibi contrarium reperitur. Fol. 226. Lutherus

Illud verò quod scribit Lutherus in Epistola tertia, se non cessurum aduersarijs, nisi viderit eorum rationes aut Scripturas Fol. 236.

clariores, quàm hactenus vidisset, parùm fauet ipsius Lutheri & degenerum eius discipulorum certamini Sacramentario. Istam enim conditionem, ad quam se hîc astringit Lutherus, isti iam prorsus excludunt, nullis quantumuis solidis rationibus & perspicuis Scripturæ testimonijs cedentes, sed simpliciter & categoricè contendentes, nō in vllo apice falli se potuisse aut posse: Simioli Lutheri in arena sua Sacramentaria feruentis: at nō imitatores virtutum & pietatis eius, quæ effulsit in ijs, quæ animo non affectibus turbato, sed sedato, & verbi ac Spiritus diuini ductum sequente fecit.

In fine Camerarij verba citat de Confessione, mansurum vsque ad extremum diem, diuinum huius scripti opus, in quo continentur Prophetarum Apostolorúmque, & qui illorum vestigia secuti sunt docendo in Ecclesia Christi oracula atque consentientis perpetuò sanæ & integræ doctrinæ testimonia. Sed aut non videt aut dissimulat his verbis excludi corporalem præsentiam & manducationem Christi in pane. Hæc enim Prophetarum & Apostolorum oraculis & veteris Ecclesiæ testimonijs palàm repugnat; ac proinde Confessionē de hac interpretari nemo potest, nisi qui eam à consensu Scripturæ sacræ & orthodoxæ veteris Ecclesiæ velit auellere. Dissimulat etiam illiberaliter Camerarij verba, quæ paulò pòst sequuntur; operam dedisse Philippum, cum ederetur frequentius illa Confessio, vt alicubi expositio esset dilucidior & plenior. Nam præclarè dicitur: Multa diem monere, & posterioribus cogitationibus priores fieri meliores. Manebit ergo hoc diuinum opus, vt & nos optamus & confidimus. Sed manebunt etiam alia non deteriora illo: & manebit hoc ipsum, vt est ab autore declaratum & correctum, ita vt ἀρτολατρεία pontificia eius prætextu & patrocinio non confirmetur.

Magnum omnino & non sine diuino auxilio factum opus fuit, prima Confessionis succincta & perspicua comprehensio: Sed hinc nimis impudenter & arroganter aliquis collegerit, il-

lud

lud non potuisse aut debuisse deinceps melius explicari & muniri. Ostendit hoc primæ statim editioni adiuncta Apologia, in qua pleraq; copiosius, clarius & solidius exponuntur, quàm in ipsa Confessione. Si non iudicatum esset, quædam posse commodius dici, cur viuo adhuc Luthero tam multa essent mutata? Si non idem vidisset Philippus, cur non potius acquieuisset in prima, quàm nouam expositionis formam eiusdem doctrinæ scripsisset? Sed vos idolum vestrum tuendi studium vrget. Hoc speratis vos primò exhibitæ formulæ Augustanæ pallio occultare posse: ideo reuocatis Ecclesias à frugibus ad glandes: sed frustrà. Tandem enim bona caussa triumphabit, vel inuito Selneccero, & ipsius sodalibus, nisi Deus illis det meliorem mentem.

In duodecima recitatione inanem & ridiculum laborem sumit Selneccerus, probare debebat in Confessione Augustana contineri præsentiam & esum oralem in pane & vbiquitatē corporis Christi, quæ stabilitur in libro Bergensi: atq; de his eam intelligi oportere: Quid autem ipse? Multum laborat vt probet, Confessionem sic intellectam fuisse à Luthero, & ab huius autoritate pendentibus: quasi verò id non multò melius ex ipsius Lutheri & ὁμοψήφων eius libris polemicis de cœna Domini cognoscamus: aut quasi illi Confessionem contra ipsius Confessionis & Apologiæ verba, in sententiam alienam torquentes, exemplo suo omnes homines ad idem faciendum obligare possint. Facit itaq; hic Selneccerus, quod astuti Rhetores, qui præteritione aut derisione sepeliunt, aut eludunt argumenta, quæ refutare non possunt. Duodecima Recitatio. Fol. 236.

Stultum est, inquit, quærere velle de vera sententia Confessionis Augustanæ. Imò verò, Selneccere, necessarium est istud quærere propter vestram fraudulentiam & importunitatem, qui postquam Confessionem falsis & cum ea pugnantibus interpretationib. deprauastis, immodica eiusdē prædicatione homines fascinatis, eiusq; prætextu falsa dogmata illis obtruditis. Imò vestros dolos aperientiū sanguine, decreta vestra papalia, si possetis, Dracones.

scribere velletis. Fingit ergo nostros velle Confeßionem esse pallium deliriorum suorum. Nos verò non deliramus, sed Dei beneficio vera & sobria verba eloquimur. Pallio autem nostræ doctrinæ nullo nobis opus est. Panoplia enim & chlamyde verbi Dei induti pugnant nostri tecum Selneccere. His tu, his inquam armis ab illis mactaris. Vos autem Confeßionis prætextu mendacia & idola vestra tegere conamini. Sed angustius est hoc pallium, quàm vt tot tantáque monstra occulere poßit. Nostri ostenderunt, suam doctrinam etiam Confeßionis testimonio confirmari. Hoc tu vel refuta vel tace. Vox Lutheri nō est vox Confeßionis publica in ista caussa, quam ille non Ecclesiarum, sed suo nomine egit, & quam, dehortantibus ab ea collegis & fratribus, suam non illorum esse voluit.

Qui verò melius, inquit, de sententia Confeßionis pronunciare poßunt, quàm ordines? Non credo quenquam ex ordinibus sibi hoc sumere, quod hoc loco Selneccerus illis tribuit. Quis enim melius de sententia pronunciare poßit, quàm ipsa Confeßio & Apologia, & Scriptura & antiquitas Ecclesiæ, secundum quas normas intelligi vult Confeßio, & secundā quas intelligi eam volunt omnes eam amplectentes? Quis item melius illo, qui scripsit eam? Sed tamen ordines etiam testimonium satis locuples veræ sententiæ Confeßionis tribuerunt in declarationibus publico consensu deinceps approbatis. Cum ergo sit ordinum, teste Selneccero, Confeßio, non priuatorum: non secundum priuatam Lutheri vel Selnecceri, vel aliorum glossam intelligenda est, sed secundum eas declarationes, quas communis omnium ordinum & orthodoxorum consensus approbat.

Fol. 237. *Epistola Lutheri ad Landgrauium Philippum missa, quam hic inserit, quid nobis incommodet, non video. Confirmat enim hoc, quod suprà dictum est, Illustrißimū & sapientißimum principem Confeßionem nō prorsus sic intellexisse, vt Lutherus, multò minus vbiquitatem probasse. Idem testantur actiones, quibus*

quibus ille conatus est hoc Ecclesiæ vulnus sanare, & Ecclesias
Helueticas, ac sentientes cum illis Rhenanas & Sueuicas pro Con
fessionis eiusdem socijs agnosci voluit.

Ablegat nos ad testimonium Illustrissimorum princi-
pum Saxonicorum & aliorum, qui Confessionem exhibuerunt.
De illis fallitur Selneccerus, si putat nostros aliquid fingere.
Quid enim opus est hic fictione? Multa sunt, quæ Selnecceri
rationem infirmant. Primùm nondum est à Selneccero proba-
tum, omnes eam secundum Lutheri libros polemicos de cœna in-
tellexisse. Secundò constat Ecclesias Rhenanas & Sueuicas ante
Interim eam aliter intellexisse, & tamen ab illis, qui primi sub-
scripserant, socij Confessionis & fratres sunt agniti. Tertiò illi e-
tiam ipsi, qui Lutheri sententiam sequebantur, vbiquitatem
& realem vestram communionem Idiomatum ignorarunt: Ac
si hæc noua dogmata illis tum fuissent obtrusa, aut Confessioni
publicæ admixta, haud dubiè totum religionis negotium in Ger-
mania impedire Pontificijs facilimum fuisset. Neque cre-
dibile est, sapientissimos & grauissimos principes harum absur-
ditatum patrocinium suscepturos fuisse. Quartò quòd ali-
qui illorum posteri vobis subscribunt, hoc fraude vestra fit, qui il-
lis persuadetis, vos intra Confessionis Augustanæ limites subsi-
stere. Huius verò prætextus falsitatem qui perspiciunt, non
turbant suas Ecclesias, sed non subscribendo vestris noua-
tionibus, ne turbentur, piè & prudenter cauent. Denique e-
tiamsi omnes Confessionem intellexissent secundum Lutherum,
non tamen inde conficeretur, eam non potius secundum sua
ipsius verba & declarationes in ipsa & in Apologia scriptas,
intelligendam esse. Etiam Scripturam & veteres aliter,
quàm nostri, intelligit Selneccerus: non tamen propterea disce-
dunt à Scriptura & veteribus, qui non intelligunt eos secundum
Selneccerum.

Fol. 239. *In Epistola autem Lutheri nihil est, quod vel nostrorum sententiam infirmet, vel Landgrauium aut alios sine προσωποληψία iudicantes in Lutheri sententiam pertrahere debuerit. Ea enim repetuntur, ad quæ à nostris sæpe & solidè responsum est. Textum Scripturæ iactat. Sed vbi Scriptura dicit, corpus Christi existere in pane? Panem Christus dicit esse corpus suum; id quod multis in locis acerrimè etiam Lutherus ipse contendit, & rectè: Sed non obtinens inde suam sententiam. Nam totum Ecclesiæ consensum obtendit sine colore. Papistica Ecclesia ita sensit contra piam vetustatem. Ac plurimi pij à Papa in hoc sicut in alijs doctrinæ capitibus dissenserunt etiam sub Papatu, vt Bohemi & alij alibi, quemadmodum scripta eorum & Confessiones testantur, quæ extant. Aequè falsum est alterum antitheseos membrum, & verißimè in vos retorqueri potest, videlicet nostram doctrinam non esse satis in verbo Dei fundatam. Nihil enim nos profitemur, quod non vos etiam fateri cogamini, scilicet panem esse corpus Christi Sacramentaliter, cum sit eiusdem corporis μνημόσυνον: Christum suo corpore vero & naturali in cælum ascendisse, ibiq; nunc esse, & illinc rediturũ, visibiliter, localiter, & circumscriptè: nos autem in terra existentes vero eius corpori in cælo existenti & manenti per ipsius Spiritum vniri & incorporari, sicut membra capiti, vt ipse in nobis & nos in ipso semper maneamus: atque huius veræ & substantialis communionis non tantùm Spiritus, sed per Spiritum etiam carnis & sanguinis Christi, Sacramentum, sigillum & pignus certum, ratum, efficax esse fidelibus ritum cœnæ Domini. Quid in his non fundatum in verbo Dei? Quid, quod in dubiũ vocare vos audeatis? Vos autem his non contenti, additis, & à nobis credi & approbari postulatis alia: non ipsum panem, sed in pane inuisibiliter, illocaliter, incircumscriptè sua substantia simul præsens esse verum Christi corpus, semper in cælo circumscriptum manens, & ore*

corporeo

corporeo cum pane à fidelibus & infidelibus sumi, eodémque modo verum Christi sanguinem è poculo bibi: Et corpus hoc modo corporaliter & oraliter sumtum in fidelibus vitam, in infidelibus mortem æternam operari: Et corpus Christi verum & vnicum alij vbique, alij tantùm in cælo & in pane corporaliter præsens esse dicitis, & multa quæ de reali communione idiomatum & cum his cohærentia docetis. Vbi hæc in verbo Dei fundata sunt? Nam in verbis certè Christi, Hoc est corpus meum, istorum nihil traditur: alijs autem Scripturæ testimonijs plurimis & articulis fidei manifestè aduersantur. Non igitur nostri Lutherum, sed ipse nostros à certis, in verbo Dei traditis, & ab vtraque parte Confessione sua approbatis, ad incerta, cum verbo Dei non congruentia, partim à Papa, partim ab ipso recens excogitata auocare ac traducere voluit, ijsq; assentiri nondum probatis, recusantes, sunt vobis Sacramentarij, hæretici, Ariani, Mahumetani, blasphemi, catharmata & alastores. Pedetentim verò agite.

Scribit ibidem Lutherus, se facile crediturum fuisse, Sacramentarios, si malum fuisset adhuc bene positum & lateret, ipsos in mouendo eo timidiores & circumspectiores in posterum futuros. Hoc etiam non de nostris, sed de vobis rectissimè dicitur. Magno enim credo redimeretis, à vobis nullam vnquam vbiquitatis defensionem susceptam fuisse; inprimis tu Selneccere, qui toties absolutam vbiquitatem explodis, quam tamen ad præsentiam corporalem in pane tuendam subinde subsidio aduocas. Nostros neque suæ doctrinæ est quod pudeat, neque errorem suum, si quem eis demonstrare possetis, fateri ac deponere eos puderet. Vos autem dogmatum vestrorum, quando propriè & nudè, sine verborum fucis efferuntur, pudet, & tamen, qui hæc approbare nolunt, eos nec ferre, nec refutare potestis. Nam quod hæc argu-

menta: panis est signum. Ergo non propriè dicitur res signata. Item: corpus Christi non est sine loco. Ergo non existit in pane; Lutherus vocat putida, inepta, infirma, id facit more oratorio. Fuit enim hoc ei dicere facilius, quàm illa refutare. Potuissent vel ista sufficere ad caussam tuendam, etiamsi quædam alia, vt solet in principijs contentionum fieri, rebus nondum explicatis, minus firma, aut minus ad rem pertinentia, fuissent admixta disputationibus.

Ad errores quod attinet, quorum meminit, de Baptismo, peccato originali, Sacramentorum vsu & verbo externo, illi melius à nostris refutantur, quàm à vestris: Et potius λογομαχίας has fuisse, quàm veras dissensiones nostrorum à Luthero certum est, sicut euentus docuit Marpurgi, & scripta testantur. Ad inuidiam igitur augendam hæc extra caussam quæsita sunt. Illud verò, quòd Carolstadio hospitium præbuerint Heluetij, ægrius quàm alia, & in eo fortè aliquid humanitus passus esse Lutherus videtur.

Auocat Lutherus hîc Landgrauium ad alia grauiora negotia. Quasi verò res leuis sit, diuinæ veritatis inquisitio & cautio ab idolis, aut aliquod possit esse negotium ad gloriam Dei, ad officium & salutem Magistratuum & subditorum magis pertinens.

Negat se meminisse, quibus Scripturæ testimonijs sua nostri probarint. Ea scilicet, quæ libenter volumus, non solùm libenter credimus, verùm etiam libenter meminimus. Id quod Luthero quoque accidisse videtur. Si quid incommodius dictum, vel non satis explicatum, aut appositè probatum in principio fuit, hoc meminit & exaggerat. Sed quæ rectè & solidè dicta fuerunt caussam ipsius euertentia, eorum non meminit. Ideo bene factum, quod scripta adhuc extent ad posteritatis memoriam.

Quod

Quod in fine addit: se credere, Christum per ipsum etiam, vt organum suum aliquid effecisse: Id profectò & nos credimus, Fol. 241, & prædicamus: sed inde non sequitur, per alios Christum prorsus nihil egisse, aut ipsum solum sic omnia vidisse, vt in purgando superstitionis pontificiæ stabulo, nihil fimi alijs exportandum & euerrendum reliquerit, neq; vlla in parte offenderit: quod ipsum tamen etiam, infelici illi inter ipsum et Carolstadium exortæ contentioni potius, quàm iudicij in ipso defectui imputandum videtur.

Exprobrat Zuuinglio & Oecolampadio paucitatem argumentorum. At pluribus non erat opus, cùm pauca hæc Lutherus nondum soluisset. Fatetur, eos professos esse, Corpus Christi veraciter esse præsens in cœna, at spiritualiter tantùm. Ergo corruunt & pudefiunt omnes calumniæ, quibus nostri accusantur, tanquam negantes veram præsentiam Corporis Christi in cœna. Nam & spiritualis præsentia vera præsentia est, & præsentia atque communio vera corporis in cœna, nequaquam requirit præsentiam corporalem in pane.

Petiuerunt se haberi inter fratres. Ostenderunt vehementißimum desiderium concordiæ: An hoc est hæreticum? an schis- Fol. 241. maticum? an Christiana mente indignum? Lutherus eis fratrum nomen negauit; nomen hæreticorum impegit: modestiæ illorum insultat, quasi propter hanc essent victi: An hoc ipsi honorificum? An Christiano Theologo & quidem Luthero dignum? Ardebant toti, quoties audiebant sibi dici à Luthero, quòd haberent alium spiritum, quàm Lutherus. Nũ ardebant absque causa? Nũ hæc digna vox Luthero? Si enim Lutheri spiritus, erat Christi Spiritus, illi verò habuissent alium, quem nisi Antichristi & Satanæ spiritũ habere potuissent? An non & Christus respondebat ad hanc veritatis blasphemiam, Ego dæmonium non habeo? Insultat ipsorum dolori, quòd non potuerint impetrare nomen fratrum, sed coacti fuerint discedere pro hæreticis. At à quo iudice condemna-

ti hæreſeos? Ab aduerſario ſuo Luthero. Quibus rationibus hæreſeos conuicti? Conuitijs & iniuſtis contumelijs, Sophiſmatibus & calumnijs cooperti. Summam ipſorum humilitatem & humanitatem cùm diffiteri non poſſet, calumniatur fuiſſe fictam. At longè aliud fuit Philippi & omnium bonorum, qui viros illos nôrunt, iudicium, vt teſtatur Philippus de Oecolampadio in Epiſtola ad Heruagium. Vides, Selneccere, ſi oculos habes, te melius conſulturum fuiſſe honori Lutheri, iſtam Epiſtolam non recitando: Ac te tuiq; ſimiles deteriores eſſe Chamo, qui pudenda patris non tantùm nudata non tegitis, ſed etiam tecta & ſepulta denudatis.

Maledictus Cham

Fol. 243. 244. 245. Epiſtola Philippi ad Landgrauium nihil ferè habet, quod non ea etiam, quæ ad Oecolampadium ſcripta & præfixa eſt Dialogo Oecolampadij, quo reſpondet ad teſtimonia Patrum, collecta à Philippo. Huic igitur abundè ſatisfecit Oecolampadij reſponſio, quam poſtquàm Philippus legit, vidit non aduerſarios, ſed ſe in errore verſatum fuiſſe. Quapropter de ipſius & Confeſſionis vera ſententia, non ex ijs, quæ veteri opinione & autoritate Lutheri occupato animo, ſed quæ rebus melius conſideratis & intellectis ſcripſit, iudicandũ eſt. Tota Epiſtola nihil aliud habet, niſi noſtros non eſſe habendos pro fratribus, & etiã abſq; legitima Synodo condemnari & excludi poſſe, quia doctrinam falſam defendant. Hoc autem antecedenti ſublato, ruit etiam conſequens. Quòd enim noſtros cum Papiſtis & Anabaptiſtis confert, eiuſdem erroris eſt. Nondum enim noſtri erroris conuicti erant, aut ſunt, ſicut Papiſtæ & Anabaptiſtæ. Quod in fine eſt de ſeditioſis conſilijs, id veræ doctrinæ non æquum eſſet imputari, etiamſi talia à quibuſdam eam profitentibus ſuſciperentur. Sed non eſt pronunciandum de conſilijs publicis ex priuatorum, imperitorum, aut maleuolorum ſermonibus.

Fol. 246. Landgrauij autem conſtans ſententia de noſtris à fraternitate non excludendis oſtendit ſatis, eum hos, qui veram, realem

lem & substantialē communionē corporis Christi per fidē & ipsius Spiritum confiterentur, etiamsi corporalem et oralē in pane manducationē nō admitterent, pro fratrib. & socijs Confeßionis agnouisse, vtpote quæ illos tantū damnet, qui in Sacramētis vel nuda signa, vel res signatas cum signis ex opere operato accipi volunt.

Cum autem recitat Selneccerus, nostros excepto articulo de cœna voluisse Augustanæ Confeßioni subscribere, manifestè confirmat, quod nostri profitentur, se amplecti Confeßionem Augustanam, articulo saltem de cœna nō secundum Lutheri opinionem & detorsionem, sed secundum ipsius Confeßionis & Apologiæ, Scripturæ & veterum declarationem accepto. Confirmat etiam euidenter, meras esse calumnias, quæ de erroribus & dissensionibus in alijs doctrinæ articulis nostris obijciuntur: Ac proinde malè factum fuisse, quòd authoritate Lutheri à societate confeßionis sunt repulsi: rectè autem deinceps hoc mitigatū esse, cùm Ecclesiæ Rhenanæ & Sueuicæ sententia & confeßione sua non retractata, nec damnata, sociæ Confeßionis sunt agnitæ. Fol. 247.

Selneccerus hic mortuo Vuolfgango Capitoni, qui socius fuit Buceri in quærenda Concordia cum Luthero, impingit crimē Arianismi, quod fortaßis eo viuo vix fuisset ausus. Ait Schnepfium dixisse, quòd Ario fauerit. Si dixit hoc ille, fortaßis ex suspicione aut affectione ea dixit, qua vos soletis nostros insimulare Arianismi, etiamsi Deitatem Christi æternam, non paulò quàm vos solidius & fortius defendunt contra hæreticos, dum vos illis maledicitis, quos contra communes hostes pugnando, adiuuare debebatis. De Capitone autem longè aliud iudicauit semper Ecclesia & Schola Argentinensis, in qua multos annos docuit, & omnes qui eum audiuerunt & nouerunt. Aliud D. Bucerus, qui familiarius eum norat quàm Schnepfius, & si quid in eo tale sensisset, haud dubiè non voluisset actionum suarum habere socium: aliud eius scripta, quæ extant: Sic enim scribit in capit. 1. Hoseæ. Ergo hic filius hominis, qui est substantia imaginis Dei, cui pater ius fecit iudicij

faciendi, qui Deus iudicij, Deus fortis, pater futuri sæculi est, propterea quòd omnia, quæ Patris sua, & quæ sua, Patris esse nouerit, & quod poßit & faciat, quæcunque Pater potest facitque in creaturis, vel condendis, vel seruandis, vel administrandis, est Abraham & Dauidis secundum carnem filius. Et in cap. 2. Moses quãuis mediator, homo tamen est, non Deus iudicij, vt noster Mediator Christus. Nomen Iehoua huic declarauit, quod non declarauerat patribus, quibus nomine Schaddai reuelatus est: Sed id nominis Christo proprium est, qui est Deus verus benedictus in sæcula. En tibi Selneccere responsionem Capitonis ad tuam calumniam, & tibi Lector candorem Selnecceri.

In Epistola ad Præpositum Bremensem gloriatur Lutherus de sua victoria Marpurgensi, quam neque hîc, neque in suis polemicis, licet omnia expertus, declarauit. Et licet sibi gloriosum putet nihil reuocasse, tamen melius fecisset, si aliqua reuocasset. Nam argumentum Zuinglij de vero corpore, certè instantia Lutheri de suprema sphæra cælesti non labefactat. Etsi enim cælum non sit locatum, vt alia corpora, quæ ambit: tamen locale & suis terminis comprehensum, neque simul in pluribus locis est, aut esse potest, siue totius, siue partium ratione. Idem de Christi & Sanctorum corporibus sentire docet nos Scriptura, in illo supra & extra hunc mundum aspectabilem, cælesti domicilio degentibus.

Oecolampadij etiam adhuc inuictum stat. Patres appellarunt signũ. Ergo ex verbis Christi non sequitur IBI *esse corpus. Duo tamen hic obseruanda. Primum quòd non tantùm patres, sed etiam Christus appellat signum cùm iubet panem hunc ad sui memoriã edi. Item cùm nominat hunc ritum nouum fœdus, perinde vt circumcisionem olim nominauerat antiquum fœdus. Item cùm non corpus in pane, sed ipsum panem corpus suum esse dicit. Item Paulus, cùm panem fractum dicit esse corpus fractum pro nobis. Alterum, quòd non concluditur hoc argumento, Corpus Christi non esse*

esse ibi: Sed panem dici corpus, quia signum seu sacramentum corporis est, ideo non posse ex his verbis elici illam caussam huius appellationis, quòd corpus in pane sit: ac proinde si corporalis præsentia in pane esset credenda, eam ex hoc dicto Christi de pane nequaquam probari posse: quia Scriptura & Patres aliam causam docent, propter quam panis dicatur esse corpus, videlicet significationem, non autem existentiam Corporis in pane.

Postquam Lutheri somnia, quorum similia ab aliis recitata mirificè exagitauit, & eius in actione de concordia rigorem commemorauit, scribit Bucerum in responso Coburgiano à Luthero dato, acquieuisse. Sed is etiamsi tum nullum aliud potuit elicere, tamen in eo quomodo acquieuerit, ostendunt acta Concordiæ Vvitebergensis, quæ extant ex publicis & fide dignis testimoniis descripta.

His cognitis, inquit Selneccerus, iudicari potest, quomodo confessio Augustana intelligenda sit. Quomodo Lutherus eam intellexerit, & qui opinionem illius sequebantur, ex his potest iudicari, Sed non quomodo intelligi debeat. Ad hoc enim ostendendum alia requiruntur argumenta. Non enim sequitur, Lutherus & multi alij eam sic intellexerunt: Ergo sic intelligi debet: Sicut non sequitur, vel Selneccero teste, Ecclesiæ Rhenanæ & Sueuicæ, et Philippus paulò pòst melius edoctus intellexerunt, & nos intelligimus eã aliter: Ergo aliter intelligenda est. Sed huius demum argumenti veritas & consequentia firma est Selneccere, sicut à Neustadianis expositum est, Sic postulant eam intelligi Scriptura & vetus Ecclesia, cuius testimoniis suam sententiam explicat & astringit Confessio, & cum qua consentire eam inter nos vtrinque in confesso est: Et sic postulant eam intelligi verba & partes ipsius Confessionis & Apologiæ inter se collatæ: sic denique subsecutæ interpretationes, emendationes, repetitiones, declarationes ab iis, qui primùm obtule- Fol. 248.

runt Confeßionem, & ab iis, qui postea ad eam accesserunt, approbata, & ab ipso scriptore Augustanæ Confeßionis, quē tu authenticum esse eius interpretem fateris, inde ab anno primæ editionis, vsq; ad eius vitæ finem constanter traditæ, solidisq; rationibus munita. Ergo sic & non aliter intelligenda est, nisi à Scriptura & veteri Ecclesia, & à Philippo, & à se ipsa Confeßionem auellere velimus. Multa hic sunt coniuncta, quæ singula satis habent roboris, ad dißipandos omnes Sophistarum fumos. Vt hoc verum esse intelligas, experire Selneccere, vel exiguum hoc ex istac armatura telum. Cyrillus super 15 cap. Ioh. nullam aliam nisi spiritualem carnis & sanguinis Christi communionem docet. Augustana verò Confeßio nullam aliam corporis Christi cōmunionem agnoscit & profitetur, nisi eam, quam illis Cyrilli verbis explicat. Ergo ex Confeßione Augustana, & eius Apologia, nulla alia, nisi quæ per Spiritū & fidem fit, corporis & sanguinis Christi, vera & substantialis communio, elici aut extorqueri potest. Hoc argumentum, & alia non leuiora dißimulando soluit Selneccerus, prudenter sanè, meo iudicio, cùm respondendo sentiret se non posse. Itaq; in suis Recitationibus nihil horū attigit, in quibus vis & cardo huius quæstionis versatur. Summa autem hæc est, Selneccere: non priùs Confeßionem Augustanam, quàm Scripturam, & veterem Ecclesiam nobis aduersari demonstrabitis, etiamsi calumniando & vociferando rumpantur omnes Sophistæ. Aufer ergo tuos exautoratos milites, Canonem Missæ, tam Græca, quàm Latina, & tuum non stultum Vulgarium, quos expunxerunt autores Confeßionis in prima editione, quos etiam vos de exemplari oblato Cæsari ineptè gloriantes, in Corpore vestro Bergensi puduit reponere, quia Transsubstantiationis maculam Confeßioni aspergebant. Ac de Vulgarij, id est, Theophylacti recentis scriptoris dicto notum est, quod fuerit Philippi iudicium: certè vt consistat, non nisi de Sacramentali mutatione panis in corpus Christi potest intelligi. His vel sublatis, vel sic

intel-

intellectis, vt ceteris omnib. Confeßionis & Apologiæ locis de Cœna & Sacramentis analoga sint, reliqua quæ citat ex Apologia, non ipsorum, sed nostram doctrinam continent. Fol. 249.

Confeßionem ait loqui non de nuda gratia, sed de sumtione veri corporis. Quidam Theologiæ, Iuris, Medicinæ, Theologiæ scholasticæ dictionaria scripserunt: vellem etiam Theologiæ Vbiquitariæ vocabularium ab aliquo compilari, vt intelligeremus nouos quotidie nascentes in agro Vbiquitario terminos & phrases, quales sunt realis communio Idiomatum, Idiomata communicabilia & incommunicabilia, communicabilia ἐνοικειώσει & ἐνεργείᾳ, absoluta Vbiquitas, nuda gratia, & id genus plurima. Si fingit Selneccerus gratiam Christi sine Christo, aut Christum ipsum sine gratia sua cuiquam communicari, delirat, & à fundamentis Christianismi aberrat. Non tantùm enim gratia, non tantùm Spiritus Christi, sed ipse Christus habitat in nobis per fidem, vt Apostolus ait, & non tantùm secundum Spiritum, sed etiam secundum carnem sumus membra & palmites eius, vt ait Cyrillus. Sin autem nobis affingit, quòd beneficia Christi sine ipso Christo in Cœna nobis communicari credamus, aut nescit quid dicat, aut impudenter nos calumniatur. Nomine autem gratiæ, totam ipsius Christi, & omnium beneficiorum eius κοινωνίαν in promißione gratiæ, hoc est, in Euangelio comprehēsam intelligimus. Hanc omnibus exhiberi & offerri in Cœna Domini asserimus, sed à solis fidelibus percipi.

Cùm Confeßio & Apologia ipsum Imperatorem alleget, inde concludit, facilè iudicari posse, non Sacramentario sensu constare Confeßionem. O frons perfricta Selnecceri. Allegat etiam Romanam Ecclesiam, vt testetur, se agnoscere substantialem communionem Christi, vt ea concessa, quoquo modo vitarentur disputationes de Transsubstantiatione, quam tum non audebant attingere, & declinaretur inuidia

apud Imperatorem. Sed quàm putidum est inde colligere substantialem communionem, quæ vtrinque in confesso erat, intelligendam esse secundum opiniones Caroli & Romanæ Ecclesiæ hodiernæ?

Eiusdem farinæ est, quod sequitur: Confeßio improbat secus docentes. Ergo excludit nostros à societate Ecclesiæ. Hoc enim inde vult elicere Selneccerus. Sed multis modis impingit. Sunt hæc verba in posterioribus editionibus sublata: ne quis ea de nostris posset accipere. Neque in quorum doctrina aliquid improbatur, illicò damnantur, & ex Ecclesia & fraternitate ac societate Confeßionis excluduntur, nisi aliæ causæ accedant. Sed etiamsi retineantur, nos non læserint. Qui enim improbentur, magis ipsi Confeßioni & Apologiæ, quàm Selneccero credendum est. Illa verò duos errores damnat: Eorum scilicet, qui fingunt in Sacramentis res signatas accipi sine fide, & qui Sacramenta volunt esse nuda signa coniunctionis, aut memoriæ inter homines. Vtrumque horum errorum & nos damnamus non minus quàm Confeßio. Quàm procul autem absit Selneccerus cum suis à primo, ipse viderit. Non ergo nos sumus illi, quos improbat Confeßio.

Iudicijs laudatæ memoriæ Imperatorum Caroli & Ferdinandi, nihil probat Selneccerus, cùm fuerint eorum, qui aliter iudicassent, si fundamenta rerum perspecta habuissent.

Prodit autem hic Selneccerus, quàm papisset, ac papaturiat ipsius palatū, & quàm sitiat membrorum Christi sanguinem, cùm nihil inter se & Papistas discordiæ fore concedit, modò tollerentur è medio non confitentes oralem esum carnis Christi. Quin igitur rectà abit Romam & galerum petit?

Magnum Chasma inquit, semper fuit inter nos & Sacramentarios. Fuerit sanè: at non fuit inter nostros, & Scripturam, veteres Orthodoxos & germanum Confeßionis Augustanæ sensum.

Vtinam

Vtinam, inquit, illum diem videam, quo dicant Caluiniani, se nobiscum sentire. Quamdiu tu talis eris, qualis nunc es, valde metuo vt diem illum videas. Augustanam verò confessionem nos amplecti, satis probatum est à Neustadianis, & contrà ostensum perspicuè, vos ab ea discedere.

Hic rursus iuxta morem suum spuit conuitia in os ipsius recidentia. Cur modum, inquit, possibilitatis à Christo exigunt. Cum quo loqueris Selneccere? Ad nos hæc quæstio non pertinet. Quomodo enim modum possibilitatis exigeremus eius, quod nunquam se facturum tot modis Christus testatus est? Fol.250.

Cur vitæ, inquit, æternæ statum iuxta hanc caducam vitam examinant? Nos verò examinamus vitæ æternæ statum iuxta verbum Dei, quod docet neq; Christi, neque nostra corpora in statu vitæ æternæ fore vbique.

Cur, inquit, nec mortuis nec viuis parcunt? Nos neminem nec viuum nec mortuum lædimus. Tu verò præclarè parcis, vt hîc fecisti Capitoni, Bucero, & suprà Victorino & alijs de Ecclesia benemeritis: & non suam, vt vos facitis, sed Christi caussam agentibus.

Addit errores nostros publicè refutatos fuisse. Polemicis credo Lutheri scriptis. Egregia verò refutatio, cuius tandem puduit ipsum autorem, & multò magis puderet, si nunc viueret.

Ne autem ignoremus vigorem argumenti Selnecceri: repetit eius summam, quòd videlicet Lutherus Buceri & aliorum sententiam non aliter acceperit, quàm secundum Confessionis Augustanæ mentem. Sed res loquitur, Lutherum Confessionem malè accepisse, secundum suam phantasiam: Ecclesias autem Helueticas, Rhenanas & Sueuicas accepisse & Confessionem & Concordiam secundum Buceri, id est, Scripturæ mentem. Lutherum ait deceptum fuisse. Quomodo potuit decipi, ab Heluetijs ipsis scripta & missa ad eum declaratione, quam probauit? Fol.251.

Repetit etiam Vitum Theodorum hostem fuisse Sacramentariorum constantißimum. De hoc suprà responsum est in recitatione quinta. Non mirum est eum fuisse occupatum praiudicio Lutheri, cuius diu auditor & conuictor fuerat. Sed rebus pro ipsius pietate melius inquisitis & cognitis, non nostrorum neque Caluini, sed eorum hostem se fuisse testatur, qui nuda signa in Sacramentis dari statuerent, suis ad Caluinum literis, ex quibus amicitia inter Vitum & Caluinum, & mutua sententiarum de cœna approbatio non est obscura, non obstante huic superioris temporis errore.

Claudit hanc recitationem prolixa Epistola Friderici Myconij, de tractatione Concordiæ Vvitembergensis. De ea cum alij responderint antè, nihil attinet hîc plura dici. Hoc satis erit Lectorem admonuisse, in ea Epistola nihil contineri, quod nostrorum vel narrationem vel doctrinam euertat. Nam tota Concordiæ illius confectio id confirmat, quod à Neustadianis probatum & notum est omnibus, habitos eo tempore fuisse inter Cõfeßionis Augustanæ socios, etiam qui ex nostra, non autem ex Lutheri sententia eam intelligebant. Myconij autem Epistola edita, hoc etiam nomine Selneccerus Neustadianas narrationes non parum confirmauit, quòd in ea nostrorum in tota illa actione, vt & in alijs modestia Christiana & ardens piæ concordiæ desiderium: Lutheri autem multæ querelæ & comminationes iniustæ ac nimium dicta sua & autoritatem tuendi studium, nec rarò intempestiua sine argumentorum robore vehementia, conspicitur.

Fol. 253. Fortißimè euictum fuisse scribit, panem illum cœnæ esse et dici verum illud corpus Christi pro nobis traditũ. Nulla hîc opus fortitudine. Haud dubiè Bucerus & Capito non minus id concesserũt quàm nos, sed ea cũ cautione, quam neq; Lutherus potuit, neq; Selneccerus repudiare potest, videlicet, quòd panis sit corpus Christi Sacramentaliter, non autem substantialiter. Sed hoc nihil ad corpus inuisibile in pane. Et sine vlla cõtradictione at blas-

Fol. 255.

phe-

phemia simul pariter istas propositiones esse veras: panis est corpus Christi, panis nō est corpus Christi. Hic enim habet locū exceptio de diuersitate modi, quo panis est & nō est Christi corpus. Sic etiā dicimus cum veteribus, ore sumi Christi corpus, in Sacramento. Et non ore sumi, in veritate seu re Sacramenti. Nam illa de speculatione & cogitatione, quæ corpus faciat præsens pani, sicut Hectorem in Tragœdia: rancida calumniæ sunt. Non enim de speculatione loquimur, sed de Spiritus sancti in Christi & nostro corpore habitatione, qua non pani & vino, sed fideliter sumenti hunc panem corpus Christi præsens est, vnitur & cōmunicatur, vt simus ex carne & oßibus eius, & ex ipso viuamus. Sic etiā ab infidelib. edi corpus Christi dicūt veteres, sed Sacramentotenus. Etsi.n. indifferenter offeratur fidelib. et infidelib. res Sacramenti vna cum Symbolo, tamen infideles nihil accipere præter Symbolum externum & Apologia Augustana sepè inculcat, & euincit hac regula, quòd extra vsum à Deo institutum nihil habeat rationem Sacramenti. Nec tamē inde sequitur: panem esse corpus Christi ex virtute nostræ fidei. Est enim panis corpus, & datur nobis corpus Christi edendū ex institutione & promißione Christi, sine qua neque fidelibus neq; infidelib. panis hic poßet esse Sacramentum corporis Christi, aut cum eo sumi corpus Christi. Quia verò hæc promißio habet annexam conditionem fidei, scilicet: si sumatur hic panis in Christi commemorationem, cuius caput est fides: tam in hoc Sacramento quàm in alijs, nihil rerum inuisibilium neq; promittitur, neq; communicatur infidelibus. Multò minus hinc sequitur non esse verum, quod Christus dixit. Videndum enim est non oscitanter quid dixerit: Non certè in hoc pane corpus, sed hunc panem esse dixit corpus suū: non quia in pane corpus: sed quia panis sit memoriale corporis fracti & traditi pro nobis. Fol. 256.

Sicut autem non desinit mandatum & ordinatio Christi, de hoc pane ad sui memoriam sumendo, licet infideles ei non obtemperent: Sic etiā Sacramentaliter illis panis, quod ad ordina- Fol. 258

tionem diuinam est corpus Christi, etsi non quoad ipsorum perceptionem corporis cum pane, tamen prophanatio & contumelia Sacramenti in ipsum Christi corpus redundat, quod abusu Sacramenti cõculcant. Id quod confirmatur exemplo hîc proposito nominis diuini ab impijs prophanati. Dum enim verbis abutuntur, quib. Dei natura significatur, ipsum Deum, ipsam potentiam, iustitiam, sanctitatem eius afficiunt contumelia. Sicut autem voces seu appellationes Dei ad ipsum Deum: Sic etiam Sacramentum corporis Christi habet se ad ipsum corpus, cuius nomen seu verbum est visibile. Hoc igitur prophanans, corpus Christi prophanat, non minus quàm Iudas osculans Dominum.

Postremò narratur Bucerum cum ceteris legatis promisisse, se diligentissimè omnia ea, quæ Confeßio Augustana & Apologia edita contineret, defensuros, docturos & obseruaturos etiam. Fecerunt hoc illi constanter & fideliter: & tamen sine vlla ipsorum culpa parua Confeßionis ..npetus in eos factus est. Faciunt idem nostri in hunc vsq; diem, & tamen cogimur hæretici abire à tribunali nostrorum accusatorum. Et quemadmodum
Fol. 261. calumnijs de baptismo, de magistratu & multis alijs tunc non fuit: ita nunc non est mirũ planè similibus obtrectationibus maleuolorum bonos multos à nobis alienari: Mirum est autem illis tam facile tum creditum fuisse & iam credi sine veritatis inquisitione. Fit quidem ita inter homines, vt quos oderunt, eos vellent videri omnibus quàm deterrimos: Sed Christianorum est, nec propter falsa crimina, nec propter ea cuiquam irasci, quæ reprehensionem aut saltem iram non merentur: qualia sunt quæ nostris tum obiecta fuere pleraq;, & quæ nunc obijciuntur. Expostulabat Lutherus cum Bucero propter editionem Epistolarum Oecolampadij & Zvuinglij, in quibus multa historica, multa ad multorum Christianæ doctrinæ capitum illustrationem pertinentia, multæ calumniarum à seruis & Ecclesijs Christi depulsiones, & idolomaniæ missalis solidæ refutationes continentur.

tur: præcipuè verò illustre testimonium consensus, qui tunc fuit inter Ecclesias Helueticas, Rhenanas, & Sueuicas. Hoc ægrè Lutherus ferre non debebat. Ita nostri iam conflagrant inuidiæ incendio, propter ingenuam veritatis Confeßionem, falsorũ dogmatum & idolorum notationẽ, accusationum & condemnationum iniustarum refutationem. Sed est, qui videt & iudicabit.

Hactenus Selneccerus, cũ debuit probare Confeßionem Augustanam oportere intelligi de corporali præsentia in pane, & orali manducatione corporis Christi, operosè probauit & euicit nemine reclamante, eam sic intellectam fuisse à Luthero & docentibus in Ecclesijs Saxonicis. Ecquid lector tibi rem acu tetigisse & Neustadianorum argumenta de vera Confeßionis sententia è Scriptura, ex antiquitate Ecclesiæ, ex ipsa Confeßione & Apologia, ex authenticis eius declarationibus, & Ecclesiarum ceterarum testimonijs prolata, solidè refutasse videtur?

Sed audiamus iam in postrema Recitatione, graue Selnecceri iudicium de autoritate Lutheri & Melanchthonis. Vt autem hîc etiam videas Lector, quantus in arma ruat, quantus consurgat in hostem Selneccerus, paucis te monebo, quid in hac postrema recitatione præstandum illi fuit, vt cum eo tu, quod præstitit, facilius conferre poßis. Obijciunt nobis Bergenses; Lutherum intellexisse Scripturam, antiquitatem & Confeßionem ex illis definitam, de corporali præsentia & manducatione Christi. Ergo illas ab omnibus sic accipi oportere. Huius argumenti maiorẽ nostri negant, videlicet quidquid Luthero placuit, id habendum esse pro Orthodoxo. Ab illis autem hoc modo probatur: Spiritu Prophetico præditi non errant in doctrina & sententia Scripturæ explicanda: Lutherus fuit excitatus à Deo ad repurgationem doctrinæ, Spiritu Prophetico ornatus, & præcipuus Doctor Augustanæ Confeßionis: Ergo non potuit errare, sed omnia ipsius dogmata sine controuersia re-

Decima-tertia Recitatio. Fol. 263.

cipienda sunt. Hic ostenderunt nostri: ipsos pueriliter ludere homonymia nominis Prophetici: monstrarunt discrimen inter prophetas extraordinarios, immediatè edoctos & missos à Deo, habentes testimonia diuina, quòd non errent in doctrina, quam Dei nomine promulgant: & ordinarios seu perpetuos in Ecclesia, edoctos & vocatos mediatè ad docendum & interpretandũ Scripturam Propheticam, cui tanquam regulæ sunt astricti, & à qua discedentes errant, ac proinde ad eam omnis eorum doctrina examinanda est: Vnde à Paulo iubentur omnem suam prophetiam ad analogiam fidei conformare, quia fieri potest & sepè fit, vt fundamento Prophetarum & Apostolorum ligna & stipulas superstruant, etiam illi, qui in plerisq; doctrinæ partibus, aurum & gemmas ædificant. Demonstrarunt etiam non in primo, sed in hoc secundo ordine Prophetarum, hoc est, interpretum sacræ Scripturæ, collocandum esse Lutherum, ac proinde ipsius dogmata & verba non esse αὐθόπιςα, sed non minus quàm Philippi, & omnium doctorum Ecclesiæ veterum & recentium, præter solos Prophetas & Apostolos, censuræ & examini Ecclesiæ esse subiecta: atque ita nihilo firmius esse argumentum, si quis dicat, Lutherus cum magna parte doctorum & Ecclesiarum sic intellexit Confessionem: Ergo & nobis sic intelligenda est: quàm si dicat: Philippus cum multis doctoribus & Ecclesijs eam aliter intellexit: Ergo aliter intelligenda est. Hæc refutanda erant Selneccero, si suum ab autoritate Lutheri argumentum tueri volebat. Sed quid ad hæc ille? Encomia & ἀποθέωσιν Lutheri decantat, atque ita de autoritate Lutheri & Philippi verba facit, vt Lutherum omnibus alijs doctoribus Ecclesiasticis præferat, eúmque vnum non tantùm Philippi & omnium aliorum, sed etiam Scripturæ & antiquitatis, & Confessionis Augustanæ, legitimum & authenticum, omníque exceptione maiorem interpretem, Patres verò Bergenses ipsius etiam Lutheri declaratores & correctores constituat. Hoc sanè concesso, quid non euicerit Selneccerus? Sed audiamus quibus

argumentis in hunc autoritatis gradum Lutherum quantumuis repugnantem extollat.

Principiò cum dicit, Deum in hac mundi senecta, in Germania nostra, præsertim in Misnia & Saxonia delegisse sibi Lutherum, excitasse, docuisse, duxisse, rexisse & defendisse ad repurgationem doctrinæ Euangelij, videtur Selneccerus Ecclesiam Catholicam Christi velle includere primùm quidem Germania, deinde Misnia & Saxonia, ac demum sectatoribus Lutheri in doctrina de cœna Domini: stultam hanc & impiam arrogantiã supra etiam non veritus est ebullire. Excitauit Lutherum & rexit Deus, vt principium repurgationis per eum faceret in Saxonia. Sed excitauit, docuit, rexit, defendit etiã alibi alios extra & intra Germaniam, doctores pios & præstantes, per quos à Luthero incoatam Ecclesiæ instaurationem continuauit & amplificauit: eósq; defendit hactenus, quoad ipsi visum est, etiamsi aliquos exilijs, carceribus, supplicijs, veritati testimoniũ perhibere voluit. Neq; sequitur, quia per Lutherum est factum principium reformationis in Saxonia: quia ornatus fuit à Deo excellentibus donis: fortunatæ ipsius actiones: Ergo nulla in re errare potuit, nihil alijs repurgandum & illustrandũ relinquere. Non enim semper sic à Deo reguntur etiam sancti doctores, quin alicubi impingant, & allucinentur, vt his ipsis eorum erratis, discrimen inter ipsos ac Prophetas & Apostolos maneat conspicuum. Fol. 283.

Semper, inquit, Lutherus nos ducit ad os Christi: Cur igitur in multis partim perperam, partim rectè ab eo dictis, qualia non pauca sunt à nostris producta, vos eum nõ sequimini? Oblitus es, Selneccere, admonitionem Aristotelis, nullum propositionum genus facilius labefactari, ac difficilius defendi, quàm vniuersales affirmatiuas. De fundamento sanè Christianæ doctrinæ & plerisque eius capitibus hoc tibi concesserim: non autem de omnibus eius dictis in tanta mole & varietate scriptorum eius. Minimè verò omnium de cœna Domini, in qua

non rarò ad os Papæ & os suum nos ducit, cum ad oralem manducationem & vbiquitatem declinat.

Quicunque non sequuntur ipsius dogma de cœna Domini, hos ait Luthero infensos esse. Non vos imitamur Selneccere, vt homines odio prosequamur, cum errores detestamur, ac deteriores simus Philosopho illo, qui peccata quidem insectabatur, peccantibus autem ignoscebat, inque eo dicebat se imitari medicos, qui morbos curant, ægrotis nequaquam irati. Indicabat enim hominis quidem esse peccare, Dei autem, vel viri similis Deo peccata corrigere.

Fol. 264.

Illud autem minus etiam tolerabile, quod addit, omnes in hac parte doctrinæ Lutherum non sequentes, esse fures & latrones. Heus Selneccere: non Lutherus, sed solus Christus est illud ostium, per quod ingrediendum est in ouile. Qui ergo per hunc ingrediuntur, etiamsi alicubi à Luthero digrediantur, non fures & latrones, sed boni pastores sunt. Tu autem, serue nequam, dabis pœnas Domino tuo, qui percutis conseruos tuos absque causa. Suprà dixisti hypocrita, te non damnare dissentientes. An hoc non est damnare?

Reprehensionem Apostolicam eorum, qui dicunt, ego sum Pauli, Ego sum Cephæ &c. vult eludere, quia cum diuersa & contraria docentur, necesse sit scire & dicere, quis rectè doceat, quis falsò. Ita sanè. Sed necesse est etiam in dissidijs doctrinæ, non pendere ab hominum autoritate, nec Doctores alios confundere cum prophetis & Apostolis, eosq; censuræ Ecclesiarum eximere, vt vos facitis in extollendo immodicè Luthero. Adde, quòd vbi in fundamento consensus est, non debent istis nominibus factiosis & inuidiosis, vel alia quauis ratione distrahi Ecclesiæ, & alij alios pronunciare hæreticos, præsertim hæreseos nunquam conuictos. Nondum igitur effugit crimen carnalitatis & schismatis, quod illi impingit Apostolus.

Chri-

Christianos nullos vult esse nisi Lutheranos. Hæc ἀπαξιφορία Christianis indigna est. Christianus enim is est, qui doctrinam Christi amplectitur, siue à Luthero, siue à Philippo, siue Caluino, siue alio quocunque dissentiat. Philippus dissensit à Luthero de Cœna & Vbiquitate: & tamen fateris eum fuisse Christianum. Non igitur assentiētur noui pædagogi definitioni hominis Christiani, quasi is sit, qui per omnia assentiatur Luthero, donec D. Superintendens eam ex verbo Dei probauerit. Si nostri eadem vsurparent, appellarentq; se Christianos Caluinianos, quàm crebrò obiiceretur eis illud, & quidem meritò. Ego sum Pauli, ego sum Apollo, Ego Cephæ. Sed cùm hæ factiones à Lutheri schola degeneri introducuntur, nemo est qui reprehendere audeat, aut si quis audet, extemplo se hæreticum proclamari audit.

Vrbani Regij elogium de Luthero, scripto Neustadiano non aduersatur. Non conferunt se nostri Luthero. Magnus est & nobis Lutherus: non contemnimus Lutherum, sed iudicio Ecclesiæ, vt nec ipse suam doctrinam vnquam exemit, ita nec eximi eam debere asserimus. Neque tanquam score, sed tanquam discipuli Fol. 265.
vnici magistri cælestis Christi & Apostolorum eius, iudicamus dogma Lutheri de orali esu carnis Christi esse falsum, & à verbo Christi alienum, quantuscunq; ipse fuerit. Ne Vrbanus quidem, qui tanti Lutherum fecit, omnia eius probauit. Maior est etiam Philippus Selneccero, & similibus sciolis: & tamen hi non tantùm Ecclesiarum, sed suo etiam iudicio stultissimo & iniquissimo illum subiiciunt. Non igitur læditur honor Lutheri, cùm ab vniuersali regula Apostoli non excipitur: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Hoc mandatum non tantùm ad eos pertinet, quibus cura gregis Dominici commissa, & concessum à Deo est donum interpretandi Propheticam Scripturam, non minùs fortè quàm Luthero, vtcunque aliis donis antecelluerit, sed etiam ad omnes Christianos, quibus veritas diuina & sua salus cordi est.

Philippus, inquit, Lutherum postremæ ætatis Eliam appella-

uit. Sed nō eo sensu, quo vos hoc vsurpatis: In officio reformationis Ecclesiæ contulit eum Eliæ: non in autoritate doctrinæ. Addidit enim Philippus & hoc: Sicut Elias non sustulit vitulos Ieroboami ex Israele, cùm sustulerit cultum Baalis: sic Lutherum alia idola & errores Papatus detexisse, relicto idolo Missæ: at se miratum esse, quòd in eo moueretur diuturnitate erroris, cùm in aliis non fuerit motus.

Fol. 266. *Recitat deinde suos in Lutherū hymnos, siue quia ceteris suis argumentis parum fidens, plus fidei merituræ putauit diuini carmina vatis, siue quia obdormiscere videns in prioribus Recitationibus auditores, in hac ipse sibi modos faciens, excitare voluit spectatores eius, quam saltabat fabulam.*

Fol. 268. *Omnes Lutheromastiges, inquit, sunt aut idololatræ, aut hæretici, aut Epicurei, aut hypocritæ, aut flagitiosi, & Christum, & verbum eius non amant. Nos verò non sumus Lutheromastiges, etiamsi errorem eius de Cœna non sequamur, agnoscentes in ipso* ἀνθρώπινόν τι*: sicut non sumus Philippomastiges, aut Augustinomastiges, etsi aliquid alicubi in ipsorum sententiis desideremus. Et tu cum tua natione, hîc in sequente pagina, multò plura colligis ex Philippo, quæ reprehenditis, & tamen non vultis haberi Philippomastiges: cur ergo nos Lutheromastiges? Qui etsi dogma eius de orali esu improbamus, in aliis tamen honestiùs celebramus iusta laude Lutherum, quàm vos, qui nomen eius ludibrio aduersariorum exponitis, altiùs supra hominē illum extollendo, eiusq; næuos, qui per nos sepulti essent, in lucem reuocādo. Cetera cōuitia, quæ coaceruas, loqueris tuo more, ex proprio.*

Non accipimus, inquit, fidem à Luthero. Imò certè accipitis, dum eximitis eum examini ac censuræ Ecclesiæ, & non satis est vobis, si quis Christianum se profiteatur, nisi etiam Lutheranus nominari velit, hoc est, iuret in omnia verba Lutheri, quod ipse Lutherus nunquam voluit. Imò si viueret, nullis aliis vehementia ipsius esset formidabilior, quàm iis ipsis, quibus Christianum esse, est Lutheranum esse.

Fate-

Fatetur hic Selneccerus, Lutherum sua scripta verbo Christi subiicere. Idem vos facere profitemini, sed reuera non facitis. Vobis enim subiicere illa verbo Christi, est sine exceptione contēdere ea esse per omnia verbo Christi conformia, eaq; solam esse legitimam verbi Christi interpretationem. Ac sic etiam Apostolorum scripta verbo Christi subiiciūtur, hoc est, sunt ipsum Christi verbum. Verè autem subiicere verbo Christi, est ea non eximere iudicio & examini Ecclesiæ ad verbum Christi, ac fateri, posse aliquid in illis esse à verbo Christi dissonum, & si quid eiusmodi à quoquam demonstretur, id non defendere. Rursus ergo hîc verbis præ te fers, cuius contrarium facis.

Quæ assuit de Luthero, quòd nostri eum suspectum & odiosum reddant, scripta eius partim abiiciant, partim extenuent: meræ calumniæ & mendacia sunt. Non abiicimus vtilia scripta Lutheri, etiamsi libros Polemicos de Cœna improbamus. Sed ex his calumniis liquidò conspicitur, vos de Lutheri autoritate nō propter Lutherum, sed propter vestram authoritatem, hoc est, non de Lutheri iusta, ipsiq; conuenienti authoritate pugnare, quam nos ei nequaquam adimimus, sed de ea, quam vos nominis ipsius prætextu, quasi hæreditariam in omnes Ecclesias obtinere velletis: quemadmodū Papa de Petri cathedra pugnat, non propter Petrum, sed propter cathedram, in qua Petrus nunquam sedit, Papa autem prætextu nominis Petrini se ipsum collocauit.

Postquam Lutherum supra omnes Doctores Ecclesiasticos extulit, iam Philippum infra omnes, ac proinde infra se quoque Selneccerus deiicit. Sic enim de illo verba facit, vt Lutherum Theologū faciat, quod ad res, siue dogmata, & quod ad verba & explicationis formā attinet: Philippū verò in rebus & verbis philosophū, Theologū autē nō in dogmatib⁹, sed in verbis tātùm & phrasib. & expositionis methodo. At sibi certè Selneccerus non verba tantùm & phrases, sed rerum etiam scientiam & doctrinam Fol. 269.

arrogat, & quidem eam, quæ etiam Philippi doctrinam corrigere & castigare norit. Quid si autem ego Philippum, & philosophum, & Theologum fuisse Luthero meliorem, nedum sexcentis Selnecceris, probem firmissimo argumento, & planè Selneccериano? Philippus præstat Luthero in omnibus. Ergo etiam in Theologia & philosophia. Antecedens probo ipsius Lutheri ad Philippum verbis, à Selneccero in vndecima recitatione, fol. 233 positis. Sed quid ego tecum talia? qui dono Dei maior es me in omnibus? Epistolæ huius publicatio non omnibus, credo, Lutheranis grata erit. Nam Lutherum mendacij arguere non audebunt, nec tamen patientur Luthero Philippum, vel æquari, vel præferri; quo concesso, Bergensis formulæ autoritas, dubium non est, quin paulatim vilescat.

In aditu postquam salutauit Philippum communem præceptorem, sicut ille in horto, Aue Rabbi, præfert eum omnibus philosophis, quos nostra ætas tulit. O iudicij exacti hominem. Vnde nobis hic Aristarchus, qui de omnibus philosophis huius ætatis pronuntiare audet? Habemus hîc in Germania, vt video, omniũ Philosophorum maximum Selneccerum. Nam ni esset, non ita confidenter de omnibus iudicaret. Si viueret Philippus, non tunicæ manica, sed fustibus hunc Criticum è collegio expelleret. Maioribus curis, negotiis, occupationibus fuit Philippi vita distracta, quàm vt philosophiæ se totum daret, atque ita excellentibus viris in hoc genere se præferri pateretur. Non vidit, non audiuit, non legit Selneccerus præstantes philosophos, ac ne quidem εἰσαγωγὰς Philippi Selneccerus se rectè intelligere, re ipsa ostendit, & de omnibus tamen philosophis nostræ ætatis pronuntiat. Sed ideo hunc supra philosophos omnes effert, vt infra Theologos omnes abiiciat. In philosophia dicit cum Luthero, Qui Philippum non agnoscit præceptorem, eum necesse est merum esse asinum, & beanum superbissimum. Atqui Lutherus hoc de Theologia dixit, vel sola, vel præcipuè. Sciuit enim Lutherus, multos esse

Da ligt der Hass begraben. Sic Schp. de Sturmio

esse huius ætatis doctißimos philosophos, quos non fuit ipsi propositum in Philippi scholam philosophicam reuocare. In Theologia Lutherus ait Philippum sibi socium adiunctum fuisse à Deo: In Theologia, non tãtùm in literis, tantum operatum esse Deum, per hoc organum, vt omnes debeant eum agnoscere præceptorẽ, vt frustrà irascãtur Satan, & omnes eius squamæ. Viderit ergo Selneccerus, in quo grege reponatur ipse à Luthero. Non tantùm methodum, verba & phrases aptas, sed etiam Ecclesiæ doctrinã sanam & puram in scriptis Philippi extare Lutherus est testatus, scriptis & sermonibus, idq́ nondũ à Selneccero aut Schmidlino refutatum est. Et si phrases aptæ veris dogmatibus sunt apud Philippum, quid fiet de phrasibus Vbiquitariis, Flaciobrentianis, Bergensibus, quæ non modò apud Philippum nusquam sunt, sed etiam Philippicis manifestè repugnant? Si definitiones rerum petendæ sunt ex Philippo, cur non etiam definitiones Sacramentorum, Cœnæ Domini, locutionũ Sacramẽtalium, vnionis personalis, cõmunicationis Idiomatũ, ascẽsionis in cælũ, sessionis ad dextrã Dei, præsentiæ Christi in Sacramẽtis, in Cœna, in toto ministerio &c? Vnde prodierũt harũ & similiũ rerũ tot nouæ definitiones? nũquid has etiã ex Philippo didicit Selneccerus?

Pusillanimum ait fuisse interdum Philippum, animo & corpore ad ἤθη natum. Quid mirum? inquit, homo fuit. O eximiũ Philosophum. Philippus erat natus ad ἤθη. Lutherus ergo ad πάθη. Vter igitur ex his præstãtior? Iudica, Philosophe. HOMO fuit Philippus natus ad ἤθη. Num ergo Lutherus non HOMO natus ad πάθη? Crebriúsne homines peccant ἐν ἤθεσι, an verò ἐν πάθεσι? Responde philosophe. Plúsne detrimenti dedit rebus cõmunibus μικροψυχία Philippi, an μεγαλοψυχία Lutheri? Nõ semper timidi nocent rebus publicis, verùm etiam & quidem sæpiùs animo excelso homines. Plus mali attulit Atheniẽsibus Alcibiadis animus altus, quàm Niciæ humilis: plus illius ad bellum festinatio, quàm huius in suscipiendo cunctatio. Sed audi hac de re doctißimum Ca Fol. 270.

merariũ. Sic autem ille. Sint sanè & hoc in genere quædã peccata Philippi: et vt promiscua gratificatione et meritis erga dignos atque indignos, & facilitate, lenitate, mansuetudine, humanitate sua deliquerit: Sic nimia quoque fuerit & infinita consideratio, solicitudo, circumspectio, metus illius: minus tamen hæc omnia Reipublicæ damni dedisse, immò plus vtilitatis attulisse deprehendetur: quàm aliorum audacem confidentiam, & animi vehementis subitos impetus & orationis libertatem, vt taceam copiam effusam atque profluentem, tam temerè cogitatorum, quàm malè & indecorè cum plurimorum exitiosa offensione, pronuntiatorum, vel etiam effutiendo prolatorum. Qui fuerint illi alij, quos notat hic Camerarius, dicat nobis Selneccerus, atque ita dicat, ne erubescat.

Suspicatur Philippũ ideo lenitate erga Sacramẽtarios vsum, vt eos lucrifaceret. Primùm, credo, risisse Schmidelinũ cùm hanc fallaciam Selnecceri à non causa legeret, præsertim recordatum sermonum crebrò inter se & Selneccerum de Philippo habitorũ: fraternam verò fidem Selnecceri celebrasse dignis laudibus, cùm cogitauit, quanto afficeretur ab illo honore, qui Philippum dicit fecisse studio lucrifaciendi Sacramentarios, quod ipse, quia cum his de doctrina consenserit, eum fecisse asseuerat, atque ita confirmauit, vt apud sanos careat controuersia.

Tria crimina Philippi nec patrocinio, nec excusatione sua Selneccerus tueri vult, quòd lenius egerit contra Sacramentarios: quòd mutauerit quædam post Lutherum priuato consilio: Et quòd scripserit quædam contra Lutherum. Atqui in his Philippus patrocinio & excusatione Selnecceri non indiget. Satis enim ei patrocinantur veritas, & iustitia facti. Non enim debuit agnitam veritatem oppugnare, sed eam pro virili tueri ac propagare.

Si Philippus, inquit, post Lutherum se opposuisset Sacramentarijs, non laboraremus. Ergo laborat vestra causa destituta homi-

hominum autoritate. At veritas, etsi Philippi quoq; nomen ad eã premendam vobis accessisset, opprimi tamen à vobis non potuisset. Non enim Philippi, aut ullius hominis autoritate, vel nititur illa, vel à nostris defenditur, sed verbo Dei uiuentis, qui aduersus omnes aduersarios ipse sibi est satis valido præsidio. Ac Philippi & aliorum autoritatem vobis non opponeremus, nisi videremus, vos malle humanis armis, quàm diuinis pugnare & vinci. Erras igitur Selneccere, si putas te victorem futurum, & de veritate actum fuisse, vel esse, si Philippum in tuis castris haberes cum Luthero coniunctum.

De mutationibus priuato consilio factis à Philippo, quod dicit, calumnia est. Nam mutationes in verbis confeßionis uiuente Luthero factæ sunt, & ab omnibus ordinibus approbatæ, & pontificijs communi nomine oppositæ. In doctrina autem nihil mutauit. Eadem enim viuo Luthero & approbante scripsit in Apologia & Locis communibus, quæ post eius mortem: etsi aliqua tum aliquanto expreßius.

Propter has causas in Philippo agnoscit humanam imbecillitatem. Cur ergo nostros vocat Lutheromastigas, si etiam in Luthero agnoscant humanam infirmitatem?

His vbi pellicere Philippum in suas partes non potuit, obtorto eum collo tentat rapere. De libris Philippi ex forma concordiæ vult iudicium fieri. Concesserim sanè, hoc iudicium fieri posse, sicut ex nigro de candido, & ex tenebris de luce iudicari potest, quantum hæc ab illis differant. Vult eos intelligi secundum Lutheri sententiam. Miratus fuissem hoc legens, nisi vos etiam Scripturam & omnes veteres auderetis facere vbiquitarios. Sed quid si glossa pugnaret cum textu? Tentauit hoc etiam Schmidlinus: sed cùm vidit se ludere operam, proclamato Philippo Sacramentario, liberauit se labore difficili & inani.

Vult scripta Philippi ornari pallio Lutheri. Cur ergo non etiam vicißim pallio Philippi scripta Lutheri, quæ melius dixit

Lutherus,in iis Lutherum: quæ melius Philippus, in iis Philippum sequentes? Atque ita haud dubiè multò honestiùs alter ab altero ornabitur, quàm si ambo vestra toga Vbiquitaria inuoluantur. Sed quæ hæc est peruersitas, Lutherum facere interpretem Philippi, quem Lutherus suum interpretem esse voluit? Cur non potiùs grandiloquentiam & ἀκυρολογίας Lutheri etiam vera dicentis, per Philippi simplicitatem & proprietatem interpretemur, quàm contra?

Tandem, inquit, non Sacramentarium, sed Lutheranũ Philippum agnoscimus. Sed in causa Sacramẽtaria non patitur Philippus, non patitur Schmidelinus, in cuius concionibus de libro Concordiæ audiendis aut legendis dormitasse videtur Dominus Superintendens; nisi fortè excuset eum lapsus memoriæ.

Ceterum ne videatur iniurius fuisse in Philippum, relegando eum ex Theologis ad Philosophos: recenset ipsius dicta obelisco digna, Selnecceri iudicio. Nisi Lutherus esset Propheta, mirarer, in ipsius scriptis nihil occurrere notandum. Sed videamus, qualia sint Philippi errata.

1. Regula Theodoreti, Vnio facit communia nomina: fatetur etiam Lutherũ vsum fuisse. Cur igitur eam arroditis in Philippo? At, inquit, Lutherus intellexit communia non titulo, sed re vera. Is verò intellexit re ipsa communia personæ: titulo tenus naturæ propter vnionem. Eodem enim sensu hominem Deum, atque æternum facit, quo omnipotentem: & eodem sensu Deum passum, quo hominem viuificatorem. Sic & Theodoretus, & omnes veteres: sic & Philippus, & omnes nostri.

2. Filio Dei restituta est gloria &c. Cyrilli fatetur esse vocẽ, sed piè accipiendam, de manifestatione gloriæ ad tempus occultatæ. At quis aliter eam accepit? Ac non tantùm Cyrilli vox est, sed ipsius Christi dicentis, Glorifica me, Pater, ea gloria, quam habui apud te ante mundum conditum. Quis ergo non videt, has notationes ex Zoili scriniis esse depromtas, ad Philippi veram do-

ctrinam premendam, & Lutheri errata canonizanda?

3. Spiritus sanctus est aliquid Dei, vel essentiæ diuinæ &c. Fol. 271.
Phrasis hæc, inquit, est ignota Ecclesiæ, cum de Spiritu sancto vt Deo sermo habetur. Cur ergo Angelus nominat eum virtutem altissimi, & Christus Digitum Dei? Non est aliquid Dei, sed Deus. Quasi verò id quod est essentiæ Dei, siue in essentia Dei, possit aliud esse quàm Deus ipse, cum Deus sit ἀμέριστος. Et Filius & Spiritus sanctus dicuntur in Scriptura esse in Deo & ex Deo: quorum illud vnitatem essentiæ, hoc personarum discrimen indicat: Vtrumque voluit significare Philippus, cum dixit, Spiritum esse aliquid essentiæ Dei, hoc est, ipsam essentiam Dei, siue ipsum Deum, sic tamen vt sit distinctum à Deo, cuius est. Et fatetur ipse cum in explicatione dicti, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, dicitur mitti aliquid Dei, vel essentiæ Dei, distingui personam diuinæ essentiæ mittentem à missa. Philippus ergo nihil aliud voluit, nisi quod significatur, cum Spiritus sanctus dicitur Spiritus, virtus & Digitus Dei, sumendo nomen Dei pro persona patris. Neque hinc sequitur, Spiritum sic esse aliquid Dei, sicut pars est totius, aut accidẽs subiecti, aut creatura creatoris. Ideo explicat se, aliquid essentiæ Dei, id est, essentia Dei. Hanc sententiam ait Selneccerus, contextus orationis Philippi euidenter ostendit, licet verba nudè allegata non approbentur. Quis igitur calumniator te docuit nuda verba allegare contra sensum orationis, quem contextus euidenter ostendit? Satis præclarè explicauit suam sententiam Philippus de persona Spiritus sancti. Itaque illiberale & malignum est, etiamsi aliqua duriuscula verborum formula alicubi vsus esset, eam exagitare potius, quàm secundum ipsius autoris declarationem accipere, cum præsertim ad eam imitandam ipse neminem obliget. Quàm multa sunt huius generis apud omnes patres, apud Lutherum, multò his duriora? Nodos in scirpo quæritis, vt sit quod calumniemini.

4. De prima caussa reiectionis pereuntium, & electione seruandorũ, scripsit sanè Philippus quædã imperfectius, obscurius, & non vbiq; sibi constans. Sed illa vos non tam explicatis, quàm implicatis, vna manu destruentes, quod altera extruitis, dum electionem confitentes, reprobationem negatis, quorum tamen alterum sine altero consistere non potest. Et aliquos verè conuersos ad Christum perire asseritis, quam in sententiam, licet etiam Melanchthon aliquando inclinat, oppositum tamen docet prolixè in Comment. super dictum Matth. 7. ædificatos super Petram non corruituros.

5. Definitionem liberi arbitrij dicit esse scholasticam. At Philippus eam recitat, non vt suam, sed vt Scholasticorum: quorum sententiam non defendit, cum docet non renatos non posse incoare nouam obedientiam. Cur igitur hæc reprehenditur tanquam ipsius? Et cum ipse testatus sit se de renatis hoc accipere, quid opus fuit hîc notatione?

6. In tribus caussis conuersionis dicit voluntatem esse subiectum. Sed si de actionibus voluntatis intelligantur, nihil est incommodi. In nouis inclinationibus accipiendis, habet sanè se voluntas purè passiuè, tanquam subiectum: In actionibus verò habet se actiuè & passiuè, tanquam subiectum & tanquam instrumentum Spiritus sancti simul agens.

7. Disciplina externa est Pædagogus ad Christum. Hanc phrasin, inquit, Paulus non vsurpat de disciplina externa, sed de lege qua cum accusat peccatum, impellit ad quærendũ medicũ Christum. Atqui hoc non excludit Philippus, sed vult ostendere, quot modis lex sit Pædagogus ad Christum.

8. Præsentia bonorum operum non excluditur ex iustificatione, sed meritum. Hîc Selneccerus vult excludi etiam præsentiam: quia iustificamur sola fide, etsi fides non sit sola. Iustificationis doctrinam Philippus melius explicauit, quàm Selneccerus, qui fortassis eam ignoraret, nisi à Philippo didicisset. De saluandis

fuit

fuit quæstio mota. In his præsentiam operum esse necessariam constat: Quin etiã in iustificandis, si intelligantur, qui iam iustificantur. Etsi enim natura & caussarum ordine, prior est iustificatio operibus, tamen simul sunt tempore, teste Selneccero. Si enim nunquam, Ergo nec in principio fides est sola, imò & ipsa bonum opus est.

9. Metonymia est, calix est nouum Testamentum, sicut Fasces sunt Romanum Imperium. Hæc est illa Helena, cuius duntaxat pedissequæ sunt accusationes reliquæ. Hîc aduerte animum lector, vt assequaris subtilitatem Selnecceri. Hoc exemplũ, inquit, ad figuram congruit, non ad rem, id est, ad Sacramentum. Duo itaque nobis largitur, quæ interea accipimus. Vnum est, quòd in verbis Christi figura sit: Calix est nouum fœdus in meo sanguine. Non ergo sunt intelligenda secundum τὸ ῥητόν. Alterum, quòd hæc figura congruit cum illa: Fasces sunt Imperium. Est ergo metonymia, id est, prædicatio rei signatæ de signo. Sed ad rem, inquit, non congruit. Rem autem exponit Sacramentum: Cur ergo fasces non congruerent ad Sacramentum, tanquam signum ad signum? Et Imperium ad fœdus cum Deo, tanquam signatum ad signatum? Non easdem, sed similes res requirit similitudo figuræ, & quidem in eo similes, quod est caussa & ratio similis de vtraq; re locutionis. Sine hac similitudine rerum non consistit similitudo figuræ. Vt hic vtrobiq; prædicatur signatum de signo, eodem figuræ genere, scilicet Metonymia: quia sicut fasces significabant & testabantur illi esse commissum Imperiũ à populo Romano, cui præferebantur fasces: neque propterea fuisset consul Romanus, si quis præferendos sibi curasset fasces, non traditos à populo, sed potius tanquam reus maiestatis, insaniæ & petulantiæ pœnas dedisset: Ita ritus cœnæ significat & testatur, illum confœderatum esse cum Deo, & habere communionem sanguinis Christi, cui Deus hoc Symbolum tradit: neque propterea est Christi κοινωνός, si quis infidelis, cui Deus non

dedit ius vsurpandi hoc Symbolum, illud ad se rapiat, sed potius tanquam reus corporis & sanguinis Christi, prophanationis huius pœnas sibi attrahit. Secum ergo pugnat Selneccerus suo more, concedens figuræ similitudinem, & negans rerum, de quibus vsurpatur, similitudinem. Sed vellet scilicet Sacramentum esse eiusmodi signum, in quo existeret res signata corporaliter, etiam extra vsum, nempe sanguis in poculo, & esset propriè loquendo sumtio istius poculi nouum testamentum, hoc est, secundum Selneccerũ, oralis haustus sanguinis Christi communis fidelibus & infidelibus: quod perinde est, ac si Imperium arripi à quouis potuisse dicatur cum fascibus. Congruit igitur exemplum ad rem & signum: quia sicut fasces sunt signum & testimonium Imperij, & propterea nominantur ipsum Imperium: sic Sacramentũ est signum & testimonium corporis Christi.

Sed aliud est, inquit, Calix est sanguis Christi. Hic metonymia nulla est. Respondet tibi Philippus in eodem loco ad Corinthios, dicens: Syntaxis apud Matthæum & Marcum alia est: Hic est sanguis meus noui Testamenti: Nec subtiliter quærenda est differentia. Hic est calix noui Testamenti, id est, ritus & pignus seu sigillum noui Testamenti. Hæc ille. Et cur quæso non esset hic metonymia? An non eodem modo & sensu sumtio huius poculi est nouum testamentum, id est, communio sanguinis Christi, quo vinum est sanguis?

Certè calix pro vino sumitur per Synecdochen continentis pro contento. Vinum autem nomine calicis intellectum nominatur sanguis Christi, vel sanguis noui testamenti, vel nouum testamentum seu fœdus, id est, reconciliatio cum Deo, in sanguine, seu per sanguinem Christi initum, per μετωνυμίαν.

10. *Sumtio propriè habet rationem Sacramenti in his qui sumunt fide. Hic etiam errauit Selnecceri iudicio Philippus. Errauit ergo & Paulus, qui dicit circumcisionem esse præputium in transgressoribus legis: Item à prophanantibus cœnam, non manduca-*

duca-

ducari cœnam Domini. Errauit Iesaias, qui dicit sacrificia im-
piorum fuisse quasi homicidia vel canum iugulationes. Errat e-
tiam Confessio & Apologia Augustana, quæ dicit Sacramenta si-
ne fide esse inanes Ceremonias, sicut verbum non acceptum fide
est inanis sonitus: Et tamen verbum Dei non desinit esse verbum
Dei, etiamsi audiatur ab infidelibus, qui nihil accipiunt, quod in
illo promittitur credentibus, & offertur etiam non credentibus.
Si ergo Sacramentum est verbum visibile, idem significans, quod
promissio Euangelica, quomodo accipient res eo significatas non
credentes id quod significatur? Ecce autem rursus artificiosam
glossam Selnecceri: sumtio scilicet salutaris, habet propriè ratio-
nem Sacramenti in sumentibus fide. Ergóne sumtio salutaris a-
liqua potest esse in sumentibus sine fide? Et sumtio salutaris a-
licubi impropriè dicitur Sacramentum. Aufer istas strophas.
Sumtionem cum fide ait Philippus esse propriè Sacramentum:
sumtionem sine fide non habere rationem Sacramenti, id est, non
esse Sacramentum sine fide sumenti, quia est extra vsum à Deo
institutum: etiamsi impropriè dicantur impij Sacramentum ac-
cipere propter ordinationem diuinam horum rituum, ad signifi-
candum id, quod in illis sumunt fideles. Sine fide, inquit, habet
rationem Sacramenti ad iudicium & mortem. Quid audio? Ha-
ctenus didicimus Sacramenta esse signa & Sacramenta gratiæ
fidelibus: infidelibus autem occasiones iudicij & mortis: Iam Sel-
neccerus nos docet esse etiam signa & Sacramēta iudicij & mor-
tis. Atqui quod iudicium & mortem affert, eo ipso non habet ra-
tionem Sacramenti. Addit & rationem: Nemo metiri debet
integritatem Sacramenti ex nostra fide vel incredulitate. At
Scriptura docet, integrum esse omnibus Sacramentum significa-
tione & oblatione rerum inuisibilium, non autem acceptione,
nisi solis fidelibus. Quia promissio gratiæ, siue verbis siue signis
repræsentata, in qua etiam ipsius Christi communio comprehen-
ditur, semper habet adiunctam conditionem fidei.

Euangelium est prædicatio pœnitentiæ. Castigat hoc dictum gemina interpretatione: pœnitentiæ scilicet salutaris: quasi Philippus voluerit Euangelium docere pœnitentiam Iudæ. Addit, si Euangelium pro tota doctrina sumatur, id est, Euangelico ministerio legis & Euangelij. Imò etiamsi propriè sumatur: Nam lex peccatori non facit spem veniæ: Euangelium autem peccatorem reuocat ad Deum & docet conuersionem. Arguit, inquit, Euangelij concio peccatum ministerio legis per accidens. Imò arguit peccatum etiam per se in genere, dum omnes iubet in Christo iustitiam quærere. Legis autem ministerio, singulæ peccatorum species arguuntur. Quin etiam in specie & per se accusat & damnat non credentes in Christum. Vtrumque enim est propria vox Euangelij: Qui credit seruatur, & qui non credit, damnatur. Etiam Philippum ait sic se declarasse. Quid igitur opus fuit nobis hac vestra censura, ô cuculi?

Hi sunt errores illi graues, propter quos Philippum Melanchthonem ex albo Theologorum expungit Selneccerus. Quis autem candidè iudicans non videt, exceptis quibusdam de libero arbitrio & prædestinatione languidius dictis, quæ tamen illi magis obscurant, in ceteris quæsitam potius, quàm inuentam esse reprehensionis materiam?

Claudit ipse suam de Luthero & Philippo recitationem his verbis: Quidquid diuinarum Scripturarũ autoritati congruit, cum laude eorum, qui illud docuerunt & scripserunt, accipiemus. quidquid verò nõ per omnia cõgruit, cum pace & honore autorũ declarabimus, sine Ecclesiæ offensione, non habentes respectũ ad personarũ qualitatẽ, sed ad verbũ Dei, ad quod etiã præceptores nostros respicere oportuit. Multa hîc dicit Selneccerus, quorũ facit contrariũ. Arrogat enim sibi soli peritiã & ius in Philippi scriptis iudicandi, quid congruat, quid nõ congruat cum Scriptura, & quæ placent ipsi retinẽdi, quæ displicent, abijciendi: cum tamẽ quàm idoneus sit iudex, satis declaret, cùm multa reprehendat cũ verbo Dei non pugnantia, quædam etiam incommodius dicta

retineat. In Lutheri autem scriptis ne quidem tanto doctissimorum & sanctorum virorum numero, & multis ac praclaris Ecclesijs censura & dijudicationis huius ius permittit: & sine discrimine ab illo rectè & perperam dicta obtrudit Ecclesia pro oraculis propheticis. Promittit se cum laude bona recepturum, & cum eorum pace & honore minus recta declaraturum. At ille Philippum etiam propter bene dicta reprehendit, & si qua incommodius dicta sunt, vel potius Selneccero dicta videntur, ea sine caussa exagitat: cui lucem explicata & in ordinem redacta doctrina debent Ecclesia Germanica, eum iste ingratus discipulus ex Theologica in Philosophicam scholam ablegat: quem honorificis nominibus appellat, eius veram & sanctam doctrinam impia & blasphema hareseos condemnat: dogmata autem falsa de orali esu & omnipraesentia corporis Christi ipsi affingit, qua ille viuus summè detestatus est, & nunc suum nomen illis praetendi, si in vita calesti audiret, non posset non aduersus impostores hoc siue inscitia siue malitia facientes, commoueri. Atque hac perpetrat ista κερκώπων ἀγορὰ in virum de ipsis & de tota Germania optimè meritum. Hiccine est honor? At propter istum honorē iamdudū aduersus te, Selneccere, beati pulueres Philippi clamant è sepulcro in calum: exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor. Et hac putat se facere sine Ecclesiarum scandalo. Quod verò scandalum Ecclesijs maius poßit obijci, quàm quòd tu Philippum contendis sensisse cum Luthero de cœna Domini; Schmidelinus autem fuisse eum Sacramentarium? Quòd item tu conaris misera iuuentuti persuadere, tuam doctrinam congruere cum Philippica, à qua toto calo distat? Quòd deniq; vestram formulā Bergensem, exautorato corpore doctrina Philippico substituitis? Non personarum, sed verbi Dei respectum se habere dicit. Sed aliud dicūt Encomia Luth. in hac vltima recitatione Selnecceri: aliud ipse liber Concordia, qui Confeßionē Augustanā intelligendam esse secundum Lutheri opinionē propriā de cœna, probat hoc

argumento: quia ipse sit præcipuus Doctor eorum, qui sunt Augustanæ Confeßionis: aliud vestra surditas & cæcitas ad illud quod vobis toties & tam diu inculcatur, verbum Dei cogere secus intelligi Confeßionem. An non est προσωποληπτικὸν in Philippo etiam rectè dicta carpere: ad Lutheri omnia dicere αὐτὸς ἔφα, cum tamen in eius libris plura fortè occurrant cautè legenda, quàm in Philippicis? Sed non est hic mos bonorum virorum præteritis bonis mala consectari, & auro neglecto stipulas aut fœnum colligere. Neq; enim vulturibus similes sunt, qui prætervolantes prata, suauitate odorum ex flosculis exhalantium referta, ad cadauera fœtida deferuntur; aut muscis, quæ sana corporis parte neglecta, vlceribus insident: id quod Selneccerus facit, qui ea quæ dexterrimè explicata sunt, ne aspicit quidem, ea tantùm conquirens, quæ specie aliqua carpi poßint. Ac si quid humanæ imbecillitatis erratũ, aut obscurius aut imperfectius dictum reperiatur, id exagitat, atq; inde qualis Philippus fuerit, ostendere conatur, pictores improbos imitans, qui eorum, quos depingunt, formas repræsentant, vel de nasi prauitate, vel cicatrice aliqua, vel alia parte corporis mutila & decurtata, siue naturæ vitio, siue alio casu malum illud vel inflictum vel contractum fuerit. Quia autem paulò antè muscarum facta mentio, recordor eius, quod memini me in Iustino Martyre legere, qui his verbis tum Iudæos, nunc Selneccerũ & gregales eius compellat. Sicut muscæ ad vlcera accurritis & insilitis; Et si in Myriade rectè dictorum, vnũ aliquod quantumuis exiguum sit, vobis displicens, aut à vobis non intellectum, aut non ita accuratum, neglectis illis multis bonis, in hoc oppugnando tanquã impio & nefario, operam vestrã collocatis. Sed perquã cõmodè Selneccerus moneri possit Zenonis Cittici dicto, qui audiens iactitantẽ quendã sibi Antisthenis plurima improbari, interrogauit eũ, num quæ bona illius esse arbitraretur: negante autẽ isto sibi hoc constare: cur igitur tu, inquit Zeno, impudens, si quid perperam protulit Antisthenes, id eligis atq; meministi, bona autẽ ne conaris quidẽ apprehendere?

Vultures

Pictores

In Epilogo voluminis recitationum, repetit congeriem calumniarum & schismatum. Religiosè à Deo precatur coniunctionem Ecclesiarum, & queritur de distractionibus. Interea verò pertinaci idolorum & falsorum dogmatum defensione, conuitijs & calumnijs aduersus innocentes, & iniustissimis condemnationibus, & hostilib. consilijs ac machinationibus, non desinit esse vnguis in vlcere, & Ecclesiarum vulnera refricare, legitimam cognitionem & decisionem controuersiarum execrari, & propter malæ causæ conscientiam, omni conatu impedire. Hæc vna est causa, quæ preces Selnecceri valde suspectas facit hypocriseos. Altera est, quòd concipit vota, nobis magis quàm ipsi conuenientia. Nos enim post veritatem doctrinæ nostræ demonstratam, precamur, vt aduersarios, vel ad eã amplectendam flectat Deus, vel contumaces reprimat. Ille verò precatur, vt nos accedamus ad eas opiniones, quarum veritatem nondum euicit. Restringit tamen votum ad Sacramentarios pios & doctos, humanos, placidos, versantes cum ipso in eadem naue aduersus hostes communes. Hos discernit ab acerbis & virulentis, Danæo, Vuolffio, Neustadianis, & reliquis, qui ipsius dogmata publicè refutarunt. Sed quæ ergo scripta Selneccero non essent acerba & virulenta? Credo, quæ ipsius fabulis applauderent, aut ipsi palpum obtruderent. Qui contulerunt Bezæ, Danæi, Neustadianorũ scripta cum Selnecceri, Schmidlini, Marbachij & similium Flaciobrentianorum, dicant, in vtris appareat virulentia. Et quid mirum, si ex nostris etiam aliqui irritati aduersariorum petulantia, quædam dixerint asperius? Quanquam acerbitatis defensionem non suscipio. Vtinam de rebus agatur, omissis conuitiis personarum & partium. Sed misera est conditio Selnecceri, dum ei veritas acerba est, quod quãtumuis duriter impactis calcibus, retundere stimulos illius non potest. Si autem pios illos & humanos Sacramentarios, qui non obstruunt ipsius luminibus, patitur secum nauigare in eadem naui contra hostes communes, ve- Fol. 272. 273.

lim sanè scire, contra quos communes hostes ceteri isti acerbi & virulenti non sint cum ipso in eadem naui. Non enim assequor acumen Selnecceri, qui nunc Sacramentarios in communem nauem admittit, quos aliquoties suprà & hoc ipso loco non patitur esse Christianos, nec re nec nomine.

Vt autem illos in castra sua alliciat, repetit summam suorum dogmatum de Persona & de Cœna Christi, sed pictam fucis, qui suprà sunt absterſi, & omnes hac breui responsione euanescũt, quòd nec vnio naturarum in Christo, nec officium Christi, nec exaltatio ad dexteram Patris, & regnum in omnes creaturas, carnem eius facit omnipræsentem & omnipotentem. Ait, carnẽ habere non simpliciter finitam potestatem, confundens potestatem cum potentia. Iterum desidero vocabularium vbiquitariæ Theologiæ. Si non simpliciter finitam, Ergo secundum quid finitam potentiam habebit caro. At continuò subiungit, eam esse infinitam & diuinam, quæ nec simpliciter, nec secundum quid finita est. Quomodo igitur congruunt hæ locutiones, Carnem realiter habere potentiam simpliciter infinitam, & non simpliciter finitam? Nisi conciliet & confirmet eas solidè ex verbo Dei Selneccerus, pstrophis & imposturis eas habebo, se ipsas elidentibus. Christo, quà homo est, omnia dicit esse præsentia. Hoc & nostri concedunt, ita vt suprà est expositum. Selneccerus autẽ non vult agnoscere, carni Christi aliquid esse præsens, nisi in eodem loco existat carnis substantia, etsi non conclusa & comprehensa eo loco, quo illud comprehenditur, quod ei præsens esse dicitur. Quid autẽ hoc est, nisi re ipsa facere carnis substantiam in omnibus locis & rebus existentem? Ita Selneccerus, quantò se magis mouet, vt ex palude vbiquitaria eluctetur, tãtò profundius in eam demergitur, cùm rectam emergendi viam non ingrediatur.

Ait, fideles & infideles, qui nomine tantùm sunt Christiani, verum corpus Christi edere, quia Christus dixerit vtrisq;, accipite, edite, &c. Sed Apologia Augustana docet, hypocritas tantũ in

in signis externis habere communionem cũ pijs. Et Paulus docet, Christum nequaquam velle, vt indigni manducent hunc panẽ, nisi prius digni fiant. Ac ridiculum est, contendere corpus Christi ore comedi ab impijs, cùm ne quidem de pijs hoc probari possit. Christus dixit, panem illum visibilem, quem de mensa tollebat, frangebat, tradebat, particulatim è manu sua in manus discipulorũ, & iubebat ore corporis mãducari, esse corpus illud suũ, quod illi videbant, accũbens mensa, quod paulò pòst erat crucifigendũ; & vinum, quod tollebat de mensa, esse suum sanguinem, qui tum nusquã erat nisi in Christi corpore, ex quo paulò pòst effundendus erat in terram, & conculcandus pedibus crucifigentiũ: Selneccerus contrà non panem & vinũ, sed carnem inuisibilẽ in pane, & sanguinem inuisibilem in vino, ore corporis manducandum & bibendum, esse verum Christi corpus, de quali carne & sanguine nullum iota extat in tota Scriptura: Et tamẽ toties clamat, se credere verbis Christi. Ad rem autem vbi venitur, profert nobis verbum Lutheri & Sophistarum, à quibus se accepisse hoc dogma Lutherus ipse fatetur. Non igitur nos Selneccerum, sed Selneccerus nos calumniatur: non doctrinam Christi, ac ne personas quidem aduersariorum odimus, sed idolum, quod comminiscuntur in pane consecrato, fugimus ac detestamur. Non contemnimus rationes, quas Christo iudici omnes sumus reddituri: neq; etiam exhorrescimus Selnecceri tonitrua Salmonea, cùm bona conscientia seruiamus Christo, donec veniat, sententiam laturus, non ex formula prius à Selneccero conceptis verbis dictata & præscripta; sed corpore suo verè descendens de cælo, quemadmodum ascendit, & conspicuus omnibus futurus in nubibus, sedens à dextris virtutis in gloria & maiestate Patris, ac proinde ipso facto absoluturus à crimine læsæ ipsius maiestatis illos, qui Corpus ipsius visibile, palpabile, circumscriptum & locale esse, & in æternum vsque fore, in hoc seculo malo ex verbo illius profitentur, illos autem refutaturus, qui corpus

ubiquitas unde

Fol 274. *vbiquitarium ipsi affingunt, & propter huius negationem, Christi membra persequuntur & lacerant. Quapropter, cùm velit asinus Christi esse & dici, ne in æternũ crèmetur, & fiat porcus & scabellum Diaboli: opinor, vt ostendit factis & dictis suis, quia baiulus illius Christi est, quem Papa finxit corporaliter existentem in specie panis: Viderit, etiamsi Romam vsque eum gestauerit, & sicut ille in Apologis, asinus simulacrum portans, aliquid ex eius gestatione honoris & laridi nunc percipiat, vt ei tum sit præsidio, cùm ille Christ:us de cælo redibit, qui carne sua nunc ibi ad dextram Patris sedet, contra eius stimulos iam Selneccerus calcitrat.*

Selneccerus asinus.

His itaque recitationibus suis lectis, promittit sibi Selneccerus, pios & doctos viros longè aliter de ipso sensuros esse, quàm hactenus; & rectè sentientibus æquiores futuros: Qua quidem spe ego quoq; non omnino falsum eum iri, facilè crediderim. Nam qui ante hac eum putârunt aliquid docere, lecto hoc ipsius libro, planè absurdorum dogmatum patronum eum esse intelligent: Ideoq; non dubito multos vel ad nos accessuros, vel saltem nobis fore minus iniquos, & à condemnationibus Bergensibus abhorrentes, legitimam synodum, aut mutuam tolerantiam, & contra communes aduersarios coniunctionem optaturos. Videbunt enim causam quam Selneccerus agit, iam dudum sua infirmitate labascentem, Selnecceri defensione sic esse impulsam, vt ruinã eius disputando fulcire, deinceps ipsi & sociis eius non facile sit futurum. Verba Christi & vbiquitas præsentiæ & manducationi corporali & orali aduersantur. Verba tamen propter χῆμα λόγου *Selneccerus prætendit: Vbiquitatem abÿcit propter nimiam absurditatem, & tamen defensionis inopiam subinde repudiatũ auxilium repetit. Lutheri nomen solum est illis reliquum. Huic possemus honestè opponere, si quidem autoritate humana certandum esset, totam orthodoxam antiquitatem Ecclesiæ, Philippum & plurimos superiorum & nostri seculi pietate & doctrina ex-*

eellentes viros. Sed sufficit nobis ad stabiliendam conscientiam & causam nostram, sacræ Scripturæ autoritas, & euidentia ac vis veritatis diuinæ. Nouimus enim, quid hominibus tribuendum sit. Ac si interroger, quid de Luthero, Philippo, Caluino sentiam, idem respondeam, quod Demonax olim de Philosophis: Lutherum colo, Philippum admiror, amo Caluinum: præ omnibus autem maximè colo, admiror & amo veritatem, quam meam esse duco, apud quemcunq; reperiatur, siue Germanus ille sit, siue Italus, siue Britanus, siue Gallus. Neq; enim vno aliquo territorio se includi patitur, Ecclesiæ Catholicæ per vniuersum terrarum orbem dispersæ comes tum amabilis tum inuicta & tam valida, vt omnibus humanis cogitationibus præualeat. Frustrà igitur sperat Selneccerus, se Lutheri & ex eo pendentium Theologorum nominibus expositis, quod vult consecuturum. Vt enim obtineat aliquid apud suos, nihil tamen proficit ad alios, οἱ τῶν πραγμάτων ἐξετάζοντες τὴν φύσιν τοῖς ἀνθρώποις οὐ προσέχουσι. *Ac quid ista ad posteritatem? Neque enim, vt etiam suprà monuimus, illa considera tura est, quid Amsdorfius Numburgi, Vvellerus Fribergæ, Myconius Gothæ, vel alij alibi scripserint, sed quid Apostoli & eorum discipuli docuerint. Ac quo ore, aut qua spe Selneccerus cum Pontificijs in concilio aliquo congressurus sit? Num putat futurum, vt Iesuitæ obmutescant audito vel Lutheri vel Amsdorfij nomine? Qua re fretus se illis primùm Lutherus opposuit? Cur hæc arma nobis eripere conatur, quibus armis Lutherus & se defendit, & aduersarios profligauit? Præclarè de veritatis vi etiam in rebus humanis ait Polybius: Etiamsi interdū tota quasi rerum natura veritatē oppugnet, ac à mendacio stent omnia illa, quæ ad persuadendum ac fidem faciendam accommodata sunt, irrepit tamen, nescio quomodo, in animos hominum, & aliquãdo statim exerit robur suū; aliquãdo verò longo tempore obscurata, tandem ipsa per sese præualet, & vincit mendacium: id quod etiã in hac cõtrouersia factū, et fiet deinceps, vt fremat & indignetur*

Selneccerus & ipsius similes, feli Aesopicæ nō dissimiles, limā lingenti: quā felem Selneccerus vel stultitia æquat, vel superat. Sentit, se ferrū lingere, videt, se frustrà pugnare, videt, se ita irretitū & constrictum aduersariorum argumentis, vt sine læsione se mouere nequeat: Ne suspicio tamen oboriatur rudiorib. de aduersariorum victoria, ita se iactat etiā colligatus, vt instar ferarum captarum, vel caput allidat parieti, vel calcibus stimulum feriat, vt vel se ipsum conficiendo testetur, non animum resistendi sibi deesse, sed vires. Atq; rem ita se habere, attenti, & non stupidi, neq; in hanc vel alteram partem propendentes, facilè animaduertent, si Selnecceri centones cum Neustadiana admonitione contulerint. Ad doctrinam ipsorum de Persona Christi & Cœna Domini breuiter & perspicuè expositam & confirmatam, Selneccerus ne verbulum quidem. Tantundem ad dilutionem falsarum accusationum. Nihil ad querelam de iniusta condemnatione doctrinæ nostræ in libro Concordiæ. Ad monstrationem falsarum assertionum in eodem Concordiæ libro sic respondit, vt nouis contradictionibus, futilissimis suorum argumentorum defensionibus, & obiectionum nostrarum arrosionibus, dogmata Bergensia euerterit, nostrorum verò doctrinam cōfirmârit. Antilogias libri, ne minimo quidem digitulo attigit. De incōmodis executionis huius Concordiæ, si quid habuisset, quod opponere potuisset, procul dubio non reticuisset. De vera item Christiana concordia in Ecclesiis constituēdæ ratione, quod improbaret, ne vna quidem littera ostendit, quia scilicet ostendere non potuit. Ad modum agendi quod attinet, idē propemodum respondet, q̃ discipuli interdum in scholis interrogati de emansione respondent, se domi fuisse. Non quæritur, quid actū sit (hoc.n. notum omnibus) sed quomodo agi debuerit. Tam autē in actionibus, quàm in dogmatibus Theologorum Bergensium, quæ à Neustadianis non sine iustis causis, & solidis rationib. sunt reprehensa, recitationib. suis, & frigidissimis excusationibus ita hominum oculis exposuit & palàm

palàm traduxit, vt euidentiùs illorum querela confirmari non potuerint: gratiam, credo, non magnam à suis socijs relaturus, vt qui ipsorum honori melius tacendo, quàm sic defendendo consuluisset. Causam certè sic egit ipsorum, vt eius infirmitatem & deformitatem etiam pueris conspiciendam & deridendam propinauerit. Itaq; si recta consilia audire vellet Selneccerus, suasor ei fuerim, vt malam causam defendendo, cribri foramina cera obstruere desinat, et hoc genere scriptorũ deinceps supersedeat, donec legerit plura, & meditatus diligentius fuerit, quæ ad istas cõtrouersias pertinent. Nec difficulter, credo, impetrabit, vt sic merẽte hui⁹ defẽsionis ruditate, ab Ecclesiis et sodalib. suis rude donetur.

Testatur Selnecceri recitationes, paucos Theologos perfecisse, ne opiniones vbiquitariæ exploderentur: nec tantùm domesticorũ, qui à Schmidlino erant occupati, sed etiã ex alijs locis, hoc est, à Schmidlino & ipsius factione, querelis & accusationibus Principes aduersus orthodoxos esse irritatos, hos & eorum libros, cum Scriptura & Confeßione Augustana congruentes, absq; vlla refutatione dãnatos aduersariorum arbitrio: horũ consilio & machinatione, exclusis omnib. qui ab ipsis dissentirẽt, ad ipsos solos delatã esse deliberationẽ de cõcordia: ascito sociorũ suffragijs Schmidlino, iã dudũ in hunc vsum præparatã ab ipso formulam concordiæ, aduocatã & recoctã, obtrusam esse principib. per calumnias atroces aduersus Orthodoxos: ac tandem collectis in speciẽ censuris, à patribus Bergensibus sub incudem reuocatã, atq; repugnantibus & neglectis plurimis, quorum agebatur causa, in lucem extrusam esse. Quo igitur ore, qua fronte Selneccerus nostros arguit mendacij, cõquerẽtes, quòd pauci suis calumniis & versutis machinationibus arripuerint autoritatẽ pontificiã, accusandi, iudicandi et condemnãdi innocentes & non auditos in causis grauißimis ad omnes Ecclesias pertinentibus? Dictitat Selneccerus concessum fuisse omnibus, vt liberè, quid quisque sentiret, proferret, sed euentus ostendit, hac conditione fuisse concessum om-

Fol. 100. 15. 24. 27.

Fol. 29. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 52. 55.

nib. vt non subscribentes expellerētur. Quid hoc est aliud, quàm pacē orare manu, prætendere puppib. arma, id est, vt Camerarius explicat, ostendere liberam cognitionem, & interim alligare animos atque deuincire velle, vt facere necesse sit, quidquid imperetur, siue probent aliqui, siue improbēt, nullis argumētis adducti, aut in refragando perseuerantes exulent, vel grauiores etiam pœnas persoluant. Quia autem disputatio illa sapientiæ & pietatis plenissima est, ac ad præsentem tractationem valde accommodata, non grauabor ipsa verba doctissimi & grauissimi viri asscribere. Liceat autem credo & nobis emblemate aliquo nostra ornare, cū cornicula Selnecceriana tot plumis alienis se vestierit. Sic autem Camerarius. Commemorabantur tum à nonnullis ea incommoda atque mala, quæ alios præstantes ingenio & vsu maximarum rerum considerare oportuisse existimabatur: eos præsertim, qui potuissent auertere, cùm ipsis nihil nisi in mærore & anxietate lacrimæ concederentur. Hæc erant istiusmodi ferè: Dissensiones de religione non esse similes aliarum, ac tales potius, quibus potentia moderari, quasq; coercere ac reprimere vis vlla nequeat. Sed esse de his cognitione & iudicio opus, propterea quòd animi impediantur metu, ne quid impietatis concipiant. Quòd si ita affectos cogere velis, apud fortiores nihil sis profecturus, vitam enim hi amittent potius, quàm mutent sententiam. Immò hanc aliqui laudē affectabunt, vt in Confessione veritatis afflicti dicantur. Alios reddideris improbos ac malos, qui iam dicere facereq; non dubitēt quiduis, quiq; commutare dominos per occasionem libenter velint, deniq; infidi hi erunt & leues. Si enim in rebus humanis, cùm id proditur, quod verum rectūq; esse aliquis decreuit, ex eo vitio proditiones amicitiarum & Rerūpub. nasci comperitur: qui à persuasione veritatis diuina metu aut spe depellitur: & de illis rebus contra animi sententiam iam loqui sustinet, eúmue quis vlli mortalium fidelem fore putabit? Dicet aliquis, redire hos in viam, neque eam esse veritatis desertio-

Vita Philippi. fol. 313.

desertionem, sed erroris. Id tunc demum fortasse dici posset, si reb. disputatis & explicatis, sublatáq; dubitatione abessent minæ, terrores, violentia, illecebræ obsequij, & spes emolumentorum. Itaque de quodam Arianæ sectæ legimus, quòd cum intellexisset vnum orthodoxum ex amicis præcipuis, amplecti illam doctrinam, sibi gratificantem, indignatus animo iusserit caput ipsius ceruicibus abscindi, cum quidam increpans eum dixisset: Te ne ego posthac mihi fidelem fore confidam, qui hominis caussa fidem fregisti datam Deo? Sed contra Imperatoris decreta hoc aut illud commissum omissúmue esse aiunt: Iis scilicet in rebus, de quibus semper in promtu est: Magis Deo quàm hominibus. Constantinus Magnus, cum de religione orta controuersia statuæ ipsius à concitata multitudine euersæ fuissent, quæstionem ea de re haberi noluit, ne religionis negotia cum prophanis permiscuisse perhiberetur. Quæ vota quàm longo tempore fuerunt bonorum, etiam sic satis bonorum, vt de religione suscipi fieriq; cognitionem potius, priúsque studerent ij qui deberent ac possent, quàm aliquid edicendo constitueretur, quod neque duraturum, & in aliorum dicta, in aliorum manifestas reprehensiones reclamationésque incursurum esset. Quàm multi sunt anni, quibus expetitur, vt necessaria maximè omnium legitima cognitio de controuersijs Ecclesiasticis? Hæc res cum tandem magno labore perfecta putaretur, & cognitio illa esset incoata, talibus actionibus eam interturbari non oportuisse plerique censebant: non hi quidem disputantes, quomodo negotium illius cognitionis institutum esset, aut quid eo quæri videretur. Sed hoc perpendentes: Si illi qui nollent & negarent posse ea probare & admittere, quæ disserendo notassent & essent insectati: Illi igitur si cogerentur dubia & incerta iam amplecti, aut si renitentes exterminarentur, quænam Synodus illa futura esset, ad quam vel non integrum venire iam quasi deiectis de iure disceptandi, aut venire esset necesse debilitatos atque fractos, cum libera tantarum

» rerum tractationes promitterentur, & plurimi esse tales indica-
» rent foréq. sperauissent. Dolebat quibusdam non saltem respe-
» ctum fuisse quendam habitum maleuolorum. Non enim pos-
» sunt certè omnium voces & ora interminando occludi. Quid
» igitur maleuoli tum dicere possent, non cogitatum, neq. circum-
» spectius res istas fuisse gestas, molestè ferebant aliqui, Quòd ne-
» gari non posset, dissentaneum esse, in ipso articulo ostensa cogni-
» tionis talia facta fieri, quibus iudicij omnis libertas adimi vide-
» retur. Cum tam diu aliqua tulerint, quædam dißimularint,
» &, vt pater adolescentis, quemadmodum ex nescio qua fabula
» vetere adducitur, Comici, quamuis ille oleret vnguenta, tamen
» odorari se negat: Sic isti quanquam essent in conspectu, quæ im-
» probarent, tamen oculos auerterint; nunc vbi dies venit, quo de
» cernatur de ijs ipsis & rebus & hominibus, isti iubentur præiu-
» dicare id damnando quod dijudicari debeat, aut si nolint, extor-
» res profugere cogũtur. Hæc Camerarius. Redeo ad Selneccerũ, qui de persona filij Dei & cœna suos ingratos κοκκυσμὺς repetijt sexcenties explosos: de autoritate Augustanæ Confeß. ita disputat, vt Archiuis & literis agat, id est, vt suo more principium petat. Quia autem tot Archiua & Epistolæ prolatæ atque adeo inculcatæ, optarim equidem etiam insertum fuisse exemplum literarum ab Esromo, antequam Vviteberga vel excederet, vel euaderet ad Academiam, si rectè memini, perscriptarum, in quibus & hoc, vt quondam ex amicis narrari audiebam, erat; Ecclesias Saxonicas futuras quietas & pacatas, si corpus doctrinæ Philippi retineretur, quo exploso vel condemnato, vereri se, ne maiores turbæ darentur, & tristiores consequerentur confusiones, quàm vllæ vnquam in his terris fuissent. Quantum enim malorum trahat secũ in Repub. in Ecclesijs & Scholis substitutio formulæ Bergensis in locum corporis doctrinæ sacræ à Philippo Melanchthone collecti, res ostendit clarius, quàm vt commemorari sit necesse. Corrumpitur doctrina Ecclesiæ & inuoluitur antilogijs, ambiguitatibus, obscuritatibus & labyrinthis infinitis: sanciantur

plurimorũ conſtientiæ, qui vel de veteri & noua doctrina, ac de tota religione in dubium veniunt, vel contra animi ſui ſenſum, veterẽ damnant, & nouæ ſubſcribunt. Nouis dogmatibus & factionibus diſtrahuntur doctores & Eccleſiæ, & mutuis vulneribus ſe conficiunt, hoſtibus iucundiſſimo ſpectaculo. Doctiſſimorũ optimeq́ meritorum virorum nomina & labores conculcantur, conſpuuntur: alijs ad carceres & exilia res redit. Horum fortunã intuens iuuentus, partim à ſtudijs prorſus alienatur, & ad quoduis potius aliud vitæ genus ſe applicat nec inuitis parentibus, qui noſtrum ordinem propter has συῤῥάξεις aut rident, aut oderunt: partim in curſu ſtudiorum elangueſcit: cúmq́ accedat ab eruditis doctorum hominum ſcriptis veteribus & recentibus ad Theologiã Bergenſem, ad libros Vbiquitarios, Brentij, Schmidlini, Selnecceri & aliorum eius farinæ, ad Catechiſmũ & libros polemicos Lutheri de cœna, & ad eius Poſtillas Germanicas, auocatio, ita fit vt omnis eruditæ ac ſolidæ doctrinæ diuinarum & humanarũ rerum ſtudium, tanquam res nullius vſus, & multis cultores ſuos incommodis inuoluens, vileſcat & negligatur, vel ita ſaltem colatur, vt leuiter humaniorib. literis deguſtatis, ad altiora ſtatim properetur. Interim ſuperſtitio nõ ſine Dei cõtumelia cõfirmatur, propagatúrq́ inſcitia, audacia; & barbaries opinionũ, ſermonis & morũ nõ iam clam per cuniculos irrepit, ſed luce clara palàm vrbes & oppida occupat, nõ modò non reſiſtentibus, ſed inuitantib. ac quaſi manus de muris porrigentibus ijs, qui & impreſſionẽ eius refutare poterant, & propulſare maximè debebant. De his malis res ipſa docet, ne per ſomniũ quidẽ cogitaſſe vnquã Selneccerũ & ipſius gregales, qui neq́ publici cõmodi, nec religionis, nec humanitatis, nec dilectionis, nec poſteritatis rationẽ vllã ſibi habendã eſſe ducunt, dum modo ſuis cupiditatibus morem gerant, atq́ animum nefariæ vindictæ voluptate expleant. Nota eſt vox paſtoris cuiuſdam in Saxonia non infimi, qui cum audiret, vel potius videret Theologos Vvitebergenſes ad carcerem abduci, ſe ipſo hilarior factus, Lætare, inquit, anime mi. Iam enim trium-

phes licet de hostibus tuis, quos præclarè vltus es. Atq; hæc vox ab vno quidem tum prolata fuit, sed nomine omnium emissa eorum, qui tum contra Academiam conspirauerant. Nihilominus tamen secundum Basilium, τὰς ἰδίας ἔχθρας ἐπικρυψάμενοι ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἐχθραίνειν σχηματίζονται. *Et vt idem mox addit:* τὸν ἐπὶ τοῖς αἰσχίστοις ἐγκλίνοντες ἔλεγχον τοὺς λαοὺς, εἰς τὴν κατ' ἀλλήλων φιλονεικίαν ἐκμαίνουσιν, ἵνα τοῖς κοινοῖς κακοῖς τὸ καθ' ἑαυτοὺς συσκιάσωσι. Διὸ καὶ ἄσπονδός ἐστιν ὁ πόλεμος οὗτος, τῶν τὰ πονηρὰ εἰργασμένων, τὴν κοινὴν εἰρήνην, ὡς ἀποκαλύπτουσαν αὐτῶν τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης ὑφορωμένων. ἐπὶ τούτοις γελῶσιν οἱ ἄπιστοι, σαλεύονται οἱ ὀλιγόπιστοι, ἀμφίβολος ἡ πίστις.

Ad vos optimarum artium & doctrinæ Christianæ studiosi, reuertor, quos initio compellaui. Vos rogo & obtestor etiam atque etiam, primùm, vt si qua occasione hæ nostræ obseruationes in vestras manus peruenerint, ne quid ad eas pellegendas præiudicati afferatis. Nam iniquum hoc esse vos non latet. Deinde si quam opinionem ex auditione recitationum Selneccerianarum iam vestris mentibus comprehendistis, si eam Scriptura conuellet, si orthodoxa antiquitas labefactabit, si denique veritas extorquebit, ne repugnetis, eámque animis lubentibus, non ad homines, sed ad Deum respicientes, remittatis. Innocentiam nostram nihil aliud premit, præterquam nominis, quo infamamur, inuidia. Ἀλλ' ἐξ ὀνόματος μὲν ἔπαινος ἢ κόλασις οὐκ ἂν εὐλόγως γένοιτο, *vt Iustinus Martyr ait,* ἢν μή τι ἐνάρετον ἢ φαῦλον δι' ἔργων ἀποδείκνυσθαι δύνηται. *Non defendi à nobis vel falsas vel impias opiniones de persona filij Dei ac de Sacramentis, omnes ij fateantur necesse est, qui nostrorum libros ita legerunt, vt ad eos iudicia iam facta domo non deferrent: ac pellectis his nostris non dubito, quin pleriq; vestrum multò æquiores nobis futuri sint, quàm fortasse hactenus fuerunt, Selneccerianis clamoribus à legitima caussæ cognitione, quæ sine scriptorum vtriusque partis collatione nulla esse potest, absterriti. Non negamus realem communicationem idiomatum in persona Christi, sed in naturis negamus: non*

ne-

negamus hominem esse Deum, etiamsi humanam naturam negamus esse Deum: Non negamus hominem Christum omnipotentem & omniscium, etiamsi carnem, animam & ossa eius omnipotentia & omniscia esse negamus. Non negamus carnem esse viuificatricem, etiamsi negamus eodem modo illam viuificatricem, quo Deitas viuificat. Non negamus Christum esse omnipræsentem, etiamsi carnem eius vbiq; esse negamus. Non negamus in cœna carnem Christi præsentem, sed in pane præsentem esse negamus. Non negamus verum Christi corpus accipi, edi, nobis communicari, sed manibus accipi, & ore manducari, & intra hominum corpora existere, hoc verò pernegamus. Symbola externa panem & vinum, quæ Sacramentaliter corpus & sanguis Christi sunt, manibus accipi & ore comedi à pijs ad salutem, ab impijs ad iudicium concedimus, sed res ipsas carnem & sanguinem Christi tantùm ad salutem sola fide à credentibus percipi, cum Christo, Paulo, Scriptura & veteri Orthodoxa Ecclesia affirmamus. Hæc omnia & verè negari & verè affirmari, perspicuè credo; & in his ipsis chartis demonstratum est. ὑμεῖς κρίνετε μαθόντες, τὸ περὶ δίκης γὰρ οὐχ ὑμέτερον ἀλλὰ δεινῶς ἰδιωτικόν. *Valete & adeste veritati, vt vos Deus amet.*



Ad D. Nicolaum Selneccerum.

Mente cares si res agitur tibi seria; rursus,
Selnecre, si ludis talia, fronte cares.

Aliud.

Selnecre, Norici decus clarum soli,
Scribis tuas recitationes editas
Fuisse ea ipsa luce, qua solet pios
Euangelij doctrina præmonere, vti
Caueant sibi à falsis pphetis: quis neget
Factum hoc fuisse prouidentia Dei?
Qui voluerit suam monere Ecclesiam,
Non hoc die tantùm, sed omnibus, sibi
A te cauerent, quis salus curæ suæ est,
Ceu maximo pseudopropheta in impijs
Et sordidis recitationibus tuis.

G g

Epigramma ad Nicol. Selneccerum.

Εἰ ἀποκρίνασθαι σὺ θελήσεις Σέλνεκρε, μ[illegible]
    Λυθήρου ποιοῦ, λίσσομαι, οὐδεμίην.
Οὐδὲ Στρειγελίου, οὐ Λιγκίου, οὐδὲ Φιλίππου.
    Τί πρὸς ἔπος τόσσον πλῆθος ἐπιστολέων;
Ταῦτά μοι ἐκ γραφέων ἀπόδειξον· σάρκα θεοῖο
    Παντ' ἐμπλησθέμεναι τῇ θεότητι ὁμῶς·
Δεχθῆναί τι αὐτὴν στόμασιν πιστῶν τ' ἀθέων τε,
    Ὧν περὶ τοῖν δὲ δυοῖν σοί τε καὶ ἄμμιν ἔρις
Τοὔνεκεν ἐντὸς ὅρων μένε τούτων; ἢ μέγα κράξω
    Κεῖνα μὲν ἄλλο λέγει, ἄλλο δὲ Νικόλεως.

Idem latinis versibus redditum.

Si tu respondere voles, Selnecre, Lutheri
    In chartis quaeso, nomen omitte tuis,
Nam quid Strigelius, quid Lincius atq; Philippus
    Te iuuat? aut spectant, quò tot Epistolia?
Quin ex Scripturis demonstras, quòd caro Christi
    Vt Deitas, terram compleat atq; polum,
Oréq; sumatur pollutorum atq; piorum:
    De quibus inter nos quaeritur, haec duo sunt.
Ergo intra hosce mane fines, aut vociferabor,
    Illa aliud, loquitur Nicoleos aliud.

Aliud.

Vbiquitatem Sueuicam
Vt absolutam reijcis,
Sed alteram tamen tuam,
Selnecre, mordicus tenes:
Quae quo vocetur nomine,
Per triplices Fraterculi
Modos, strophas, aenigmata,
Per Brentij. & Marbachij,
Per Masculi sacerrimos
Manes: per ἀντιλογεῖν *tuum,*
Ἀειλογεῖν τε *Chemnicij,*
Per Hosandron & Puchenium,
Conuitiorum fulmina
Duo: per gregales ceteros,
Plebis tribunos nobiles,
Sonóq; vocis Stentoras,
Nobis, rogatus, indica.
Sic te malúmq; argutijs
Scholastici caussam iuuent:
Sic artolatriam tuam,
Quae sponte nunc sua labat,
Landfrancus & Durandus, &
Quantum sophistarum vspiam est,
Communibus fallacijs
Conclusionum fulciant.

Gorgonius Bonfinis Heduus.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

Rogo te, candide lector, vt accedens ad lectionem huius libri, ne graueris corrigere errata, partim operarum, partim scribarum dissimilium & minus exercitatorum, festinatione commissa. Si quæ præterea occurrent, præsertim interpunctionum vitia, eiusmodi fore spero, vt te non facilè remorentur. Vale.

Fol.	Lin.	Lege.
4.	29.	*à nostris.*
9.	27.	*Atqui.*
14.	26	*χαίρειν.*
18.	28.	*Atqui.*
20.	7.	*sine.*
22.	6.	*πολλάκις.*
Ibid.	32.	*pumicem.*
23.	8.	*Atqui hoc.*
32.	30.	*Sic lege: Potuisset Philippus facilè eripere Ecclesiã illam ex periculo. Immò nullum erat periculum: Et neq; poterat. &c.*
34.	22.	*Lege: dictum de re terrena & cœlesti.*
36.	3.	*norit &.*
Ibidem	9.	*sacramentali, cum Vnio partium sit dissimilima?*
43.	1.	*quisquam.*
44.	10.	*eadem.*
50.	5.	*Pezelij.*
53.	6.	*Atqui.*
54.	19.	*lenissimè.*
64.	20.	*Reijcit item.*
69.	18.	*deq; obiecta ipsius*
Ibid.	25.	*Tridentinos.*
70.	12.	*qui suspecti.*
74.	13.	*pœna multetur.*
78.	23.	*in 6 Cap.*
Ibid.	3.	*nisi illud opus.*
93.	7.	*nisi addatur.*
Ibid.	11.	*luculẽta. Exclamauit.*
Ibid.	28.	*scientia. Nam.*
93.	29.	*dissimulatum fuisset. Sed.*
95.	9.	*Papistas.*
96.	5.	*Vnum, Deum.*
Ibid.	6.	*Alterum, studium.*
100.	7.	*& hic de capu.*
Ibid.	31.	*falsa definitio.*
101.	9.	*ἐγκωμίοις.*
104.	8.	*¶ Coldicij.*
Ibid.	13.	*inhæreat, es communicatur essentia diuina.*
105.	15.	*omnipotentem: Caro.*
106.	11.	*candentis. Sed.*
Ibid.	22.	*nos, dicentes.*
108.	21.	*¶ Sequitur.*
Ibid.	23.	*Videlicet:*
Ibid.	24.	*Dei:*
Ibid.	25.	*inepta:*
Ibid.	29.	*Consequitur. Ac promissio.*
111.	24.	*Vbiquitaria. Rapiemur.*
115.	1.	*recurrito. Idem.*
117.	23.	*quàm non sunt.*
118.	21.	*Vveisenseh.*
121.	20.	*frigidè, quàm futiliter.*
122.	11.	*Vestram causam.*
123.	25.	*formula Bergensis.*
125.	16.	*dexteritate: scilicet.*
133.	28.	*Assumtam naturam ex ratione huius seculi ereptam esse.*
142.	12.	*idolum.*
143.	26.	*à natura humana.*
144.	9.	*explicat dictũ ad Heb.*
146.	19.	*loco illo Act. 2.*
153.	7.	*infirmitate. Interea.*
156.	32.	*& hac per eam.*
159.	26.	*ducit.*
161.	3.	*& realiter, differũt.*
162.	3.	*Episcopo.*
166.	20.	*habitantem. Hanc*
167.	3	*proprietatibus.*
Ibid	8.	*vnius cuiusq; sed*
169.	12.	*natura, Iohan. 20. Christus.*
Ibid.	22.	*id quo.*
Ibid.	31.	*persona. Sed.*
171.	1.	*Symbolum hoc Spiritus, id est, flatum dedit carne:*
175	21.	*Adde, visibiles.*
176.	6.	*re ipsa ostendent, se.*
Ibid.	30.	*in margine: 137.*
182.	28.	*idem significat quod.*
185.	28.	*sed non in omnibus.*
188.	24.	*quàm sit natura humana.*
197.	24.	*cum Daniele.*
202.	14.	*agnoscimus: sed.*
Ibid.	23.	*fieret (Erat.*
Ibid.	24.	*omnipotens) Sed*
204.	7.	*Maiestatis. Naturã.*
206.	12.	*definitionem.*
209.	6.	*donorum. Carnis.*
Ibid.	21.	*Antichristi.*
210.	20.	*aduenisse, atque.*
212.	4.	*in hac precatione.*
Ibid.	6.	*illa approbauit.*
Ibid.	25.	*declarationem.*
214.	16.	*habent communes realiter.*
216.	20.	*tertio collationis.*
228.	20.	*¶ Negat.*
Ibi.	28.	*nequeat. Perfectione.*
230.	8.	*allegari.*
233.	4.	*Cancellarius. Mirũ.*
Ibid.	13.	*naturam.*
Ibid.	14	*naturam.*
234.	23.	*dum incircumscriptionem.*
235.	2.	*Christus corpus finitũ.*
Ibid.	8.	*in speciem.*
236.	13.	*Distinctio autem.*
237.	5.	*si pateris, monendũ.*
239.	24.	*modis.*

Pag.	Lin.	Lege.
Ibid.	25.	¶ Decimaquinta.
246.	30	promisso.
247.	10.	& res: de formalibus nihil dicit. Quo.
250.	6.	¶ Post hoc.
254.	29.	Christo symbolum.
255.	28.	Christi. Immò.
258.	28.	¶ Audacter.
259.	3.	totus ad hypost.isin.
Ibid.	12	postu et i e. ectis his.
260.	3.	præsentem haberi.
262.	21	deglutiri. Sed frustrà.
269.	27.	virum: Circumcisio.
271.	15.	intell genda.
276.	20.	Sacramentorū. Sed.
279.	3.	proinde aliam te.
280.	4.	προσεπιπλήξει.
Ibid.	26.	occultari.
281.	32.	Atqui ille.
282.	28.	Non autem iam.
283.	16.	vsurpatum.
285.	28.	manipulares non abhorrere.
286.	1.	dele: præsens esse in cœna & spiritualiter.
Ibid.	10.	videlicet hanc esse, quod.
287.	19.	Topicus.
288.	11	eruditioribus, haud.
291.	20.	existet in eo.
294.	11.	λόγος est. Hoc.
Ibid.	18.	facit: Respondentib.
Ibid.	19.	Corruit. Non.
295.	30.	corporis: ergo.
296.	6.	panem, non.
Ibid.	12	non obseruans, aliquem modum & gradum indignitatis sæpe.
Ibid.	14.	in vsu cœna. Est.
Ibid.	16.	Selneccerus: qui.
Ibid.	29.	domini quærimus.
Ibid.	31.	quia illud.
297.	24	Christianis?
298.	19.	Christi: Impij.
Ibid.	20.	Corpus: Negant.
Ibid.	10.	¶ Post hoc.
Ibid.	25.	ostendunt, cùm.
301.	13.	signa accipiunt.
302.	32.	expressè prolatam.
304.	9.	manducatione, Hierosolymis.
Ibid.	29.	suffuratur nobis Selneccerus.
306.	2.	Non ergo est.
Ibid.	6.	quam Christus ritu.
Ibid.	8.	non oportere. Sic.
Ibid	22	differant.
307.	9.	recordationem: Sed.
308.	27.	conclusionis. Nam.
309.	15.	homonymia tua.
Ibid.	16.	& reuera dicis.
Ibid.	26.	proinde sic non.
310.	22.	localitatem. Non.
314.	9.	nupsit non nupsit, ipsa.
219.	29.	cœlis: Si.
Ibid.	32.	contumelijs? Talem.
324.	7.	collocatione.
325.	21.	alligarit.
328.	7.	è loco.
Ibid.	19.	ipse nobis exposuit.
330.	2.	fuit inuiolata.
332.	30.	in hoc exemplo.
333.	10.	iustitia.
338.	23.	& notas.
342.	21.	versus cœlum,
344.	26.	est de iniurijs, & spirans.
345.	29.	Corporis & sanguinis
346.	33.	externa symbola, in.
348.	12.	se excusent,
Ibid.	20.	secundum sese tota
351.	11.	damnari vt hæretici.
352.	14.	illum incoari.
353.	29.	declarationum.
354.	4.	ordinum. Sed.
Ibid.	7.	introducere: idcirco.
355.	3.	noua est istorum
Ibid.	5.	negare. Si
356.	21.	particularium
358.	6.	testantur, quæ Selnecceri.
359.	8.	hoc eum.
360.	4.	loquutio, in pane, congruere
Ibid.	30.	manifestè eum
361.	6.	intellecta: non
362.	32.	explicant: Ideoq́3.
367.	14.	Selneccerus. Probare.
Ibid.	31.	obtruditis: imò
374.	20.	indicandum
375.	31.	scripta testantur,
385.	23.	illi fuerit,
Ibid.	26.	illis desumtam,
Ibid.	27.	Christi: Ergo
391.	4.	eaq́3 sola
Ibid.	5.	At sic
392.	26.	dele: Selneccerus.
384.	2.	& tamen.
396.	2.	sequendo?
397.	27.	eam exagitare
400.	9.	Christi communis fidelibus
402.	1.	11. Euangelium
412.	31.	eúmne
413.	7.	cùmquidem
Ibid.	26.	videretur: Sed
Ibid.	31.	libera
416.	7.	συνουσίασμον